J. 37 II

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS DE SACRAMENTIS
AD USUM SEMINARIORUM.
TOMUS SECUNDUS,

QUI QUATUOR COMPLECTITUR TRACTATUS:

I. De Eucharistia,	III. De Ordine,
II. De Extrema-Unctione,	IV. De Matrimonio,

ET APPENDICES TRES

DE CENSURIS, DE PURGATORIO, ET DE INDULGENTIIS.

AUCTORE

NICOLAO L' HERMINIER

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore,


INSIGNIS ECCLESIÆ CENOMANENSIS CANONICO THEOLOGO,

ET IN EADEM ECCLESIA ARCHIDIACONO DE PASSAIO.

EDITIO PRIMA VENETA

Ad postremam Parisiensem

Ab innumeris mendis expurgata.



FIRENZE

VENETIIS

MDCCLXI.

Typis Jo. Baptistæ Pasquali.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & Definitione Euchariſtiæ.

VAriis nominibus donatur Euchariſtia tum in Scripturis ſacris tum apud Scriptores Eccleſiaſticos. Dicitur Corpus Chriſti, Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, eo quod continet Corpus & Sanguinem Chriſti. Dicitur Panis Domini, Panis Cœleſtis, Panis Angelorum, eo quod conficitur ex Pane. Dicitur Communio, Pax, Gratia, Sacramentum gratiæ, habita ratione effectuum quos producit. Dicitur Eulogia ſeu benedictio, quia fit per benedictionem Sacerdotis. Habet & alia quam multa nomina, dicitur enim Paſcha, Sacrificium, Oblatio, Cœna Domini, ſacra Synaxis, Sacramentum Altaris, &c. Dicitur a Patribus Nicænis Can. 13. Viaticum, quod nempe viam nobis parat ad conſequendam ſalutem. Unde ſic appellatur potiſſimum cum defertur ad ægrotos.

Uſitatius vero Euchariſtia, id eſt bona gratia, vel gratiarum actio, in hujus quippe Sacramenti inſtitutione Chriſtus, *Gratias egit*, Matth. 26. & nos per hoc Sacramentum ampliſſimas Deo referimus gratias, ejusque gratiam impetramus & accipimus.

Euchariſtia ſumitur duobus modis, nimirum, ut vulgo dicitur in Scholis, in ſuo fieri, id eſt, quatenus fit & per verba Sacerdotis Panis & Vinum convertuntur in Corpus & Sanguinem Chriſti, quod quidem ſub nominibus confectionis, Conſecrationis, & Transſubſtantiationis potius quam ſub nomine Euchariſtiæ indigitari ſolet. Et in ſuo facto eſſe, hoc eſt poſt factam Conſecrationem, & quatenus eſt aliquid permanens, in quo differt ab aliis Sacramentis, quæ nonniſi in aliqua actione tranſeunte conſiſtunt, facta enim v. g. ablutione aquæ & pronuntiatis verbis in Baptiſmo, non permanet amplius hoc Sacramentum, cum econtra facta Conſecratione ſeu tranſmutatione Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Chriſti permanet Euchariſtia in ratione Sacramenti. De Euchariſtia in ſuo facto eſſe nunc agimus, de eadem in ſuo fieri conſiderata poſtmodum diſputaturi.

Definitur *Sacramentum novæ legis vere realiter & ſubſtantialiter continens Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus Panis & Vini ad ſpiritualem Chriſtianorum refectionem.*

Cujus definitionis duæ ſunt partes, prior in qua dicitur Euchariſtiam eſſe Sacramentum, poſterior quæ affirmat Dogma præſentiæ realis. Quatenus aſſerit Corpus & Sanguinem Chriſti vere, realiter, & ſubſtantialiter contineri ſub ſpeciebus Panis & Vini. De iſta parte fuſius differetur articulo ſequenti, nunc breviter examinandum eſt, an & quomodo Euchariſtia ſit Sacramentum.

Euchariſtia eſt verum novæ legis Sacramentum; eſt enim ſignum ſenſibile per ſpecies Panis & Vini, ſub quibus continentur Corpus & Sanguis Chriſti. A Chriſto inſtitutum, ut patet ex Evangeliſtis & S. Paulo qui apertis verbis Euchariſtiæ inſtitutionem a Chriſto factam deſcribunt. Dicitur gratiæ productivum; nam Joannes 6. *Qui manducat meam Carnem habet vitam æternam*. Gratia autem quæ ipſi propria eſt, datur recte diſpoſitis per modum alimoniæ & refectionis ſpiritalis. Quæ quidem verba proprium Euchariſtiæ effectum deſignant.

Diſputant hoc loco Theologi quid in Euchariſtia præciſe rationem habeat Sacramenti, an Corpus ipſum Chriſti, an ſpecies Panis & Vini, an Conſecratio, an ejuſdem uſus & ſumptio.

Reſp. Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere præciſe & formaliter in Corpore & Sanguine Chriſti, prout ſub ſpeciebus Panis & Vini continentur; ſic enim ſumptum, eſt ſignum ſenſibile productivum gratiæ. Species quidem ſolæ ſunt aliquid ſenſibile, ſed gratiam non producunt, Corpus Chriſti gratiam produceret per modum refectionis ſpiritalis, ſed non eſſet ſenſibile. Deinde Conſecratio eſt quidem actio per quam conficitur Sacramentum, ſed ipſa non eſt Sacramentum, cum inſuper Sacramento Euchariſtiæ conſiſtat in aliquo permanenti, ut mox diximus. Unde nec ſumptio ejus eſt Sacramentum propter eandem rationem.

Revera ſpecies dicuntur ſæpius Sacramentum; vulgo enim Theologi & Concilium ipſum Trid. ajunt Corpus Chriſti contineri in Sacramento Euchariſtiæ, ſed Sacramentum in ejuſmodi propoſitionibus ſumitur inadæquate pro ea ſolum parte quæ ſenſibilis eſt.

Hoc Sacramentum etſi ſub diverſis ſpeciebus Panis & Vini contentum, eſt tamen unum ſpecie, quia datur per modum convivii quod unum eſt ſpecie, quamvis fiat ex Pane & Vino ſpecie diſcrepantibus. Eſt autem multiplex numero licet unum ſit, & idem numero Corpus Chriſti reproductum, quia numerica differentia Sacramenti ſumitur penes varias Panis & Vini ſpecies.

Sequitur ex dictis, Euchariſtiam conſiſtere in re permanenti, nimirum Corpore & Sanguine Chriſti ſub ſpeciebus Panis & Vini contentis, non autem in actionibus tranſeuntibus, puta benedictione, fractione, conſecratione, & ſumptione, ut volunt Calviniſtæ & Lutherani; illud autem conſtat,

1. Ex ipſa inſtitutione Sacramenti in qua Chriſtus prius dixit: *Hoc eſt Corpus meum, & hic eſt Sanguis meus*, quam ea daret & diſtribueret Apoſtolis ad manducandum & bibendum, qua quidem ratione uſi ſunt Patres Tridentini ſeſſ. 13. cap. 3. *In Euchariſtia*, inquiunt, *ipſe ſanctitatis Autor ante uſum eſt, nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum vere tamen ipſe affirmaret Corpus ſuum eſſe quod præbebat*.

Neque eſt quod objiciatur S. Marcum cap. 14. ſic hiſtoriam Inſtitutionis narrare, ut ſignificet Apoſtolos prius Calicem bibiſſe, quam Chriſtus verba Inſtitutionis pronuntiaſſet. Namque 1. iſtud argumentum nimis probaret, nimirum Apoſtolos bibiſſe Vinum nondum ſanctificatum: 2. nemo neſcit Evangeliſtas in ſuis narationibus (quod etiam faciunt cæteri hiſtorici) non ſemper attendere ad rerum ordinem, utuntur quandoque anticipatione, ii autem hoc modo ſibi invicem mutuam lucem afferunt.

Deinde iſta doctrina colligitur ex perpetua Eccleſiæ praxi Euchariſtiam aſſervandi in ſacrario, ut ad infirmos deferretur, quod idem probatur & Communione domeſtica, & ex præſanctificatis: hos Eccleſiæ uſus multis & invictis momentis aſtruemus in articulo de Communione ſub utraque ſpecie; ex iis autem

tem

Digitized by Google

tem ſequitur Euchariſtiam eſſe Sacramentum permanens.

At, inquies, Chriſtus inſtituens Euchariſtiam juſſit Panem benedici, frangi, diſtribui, manducari. Sed non juſſit ſervari in pyxide, nec deferri ad ægrotos.

Reſp. hujus rei mandatum non haberi in Scripturis, ſed recte colligi ex Traditione; ex eo autem quod Euchariſtia inſtituta eſt ut manducetur, ſequitur tantum manducationem eſſe finem, non partem Sacramenti.

Porro in hoc Tractatu compendioſe pro ratione inſtituti diſſeremus; 1. de exiſtentia ſeu præſentia reali Chriſti in Euchariſtia; 2. de Tranſſubſtantiatione; 3. de materia; 4. de forma hujus Sacramenti; 5. de ejus Inſtitutione; 6. de ejus neceſſitate, ubi etiam agemus de Communione ſub utraque ſpecie; 7. de dipoſitionibus ad hoc Sacramentum recipiendum requiſitis. Denique breviter examinabimus quæ ſpectant Euchariſtiam prout ſacrificium eſt.

C A P U T II.

De Præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

PRæſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ primus aperto Marte impugnavit ſeculo undecimo Berengarius Andegavenſis Archidiaconus, contendens Euchariſtiam realiter non continere Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed meram eſſe ejus figuram & Sacramentum; unde Sacramentariorum parens dictus eſt. In variis Conciliis ſuit damnatus, & ejurata hac hæreſi tandem Pœnitens obiiſſe creditur. Hanc dederat Confeſſionem Romæ in aliqua Synodo. Ego Berengarius *Credo & ore confiteor Panem & Vinum quæ ponuntur in Altari per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem Carnem & Sanguinem Jeſu-Chriſti Domini Noſtri.*

Quanquam & jam antea ſæculo nempe nono peſſime de Euchariſtia ſenſiſſe putetur Joannes Scotus Erigena, ut teſtatur Aſcellinus in Epiſt. ad Berengarium his verbis, *Joannem Scotum nec inconſiderate, nec impie, nec indigne Sacerdotio meo Hæreticum habeo, quem toto niſu totaque intentione ad hoc ſolum tendere vides ut mihi perſuadeat, hoc videlicet quod in Altari conſecratur, neque vere Corpus, neque vere Chriſti Sanguinem eſſe.*

Dehinc ſæculo duodecimo Petrus de Bruis, a quo Petro-Bruſiani, negavit Corpus & Sanguinem Chriſti vere conſecrari & offerri a Sacerdotibus teſte Petro Cluniacenſi Epiſt. ad Ebrodunenſem Archiepiſcopum, ubi hujus Hæretici errores exhibet his verbis, *Non ſolum veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidie & continue per Sacramentum in Eccleſia oblatum negat, ſed omnino illud nihil eſſe neque Deo offerri debere decernit.* Quem errorem paulo poſt & eodem ſæculo docuit Toloſæ quidam Henricus, cujus Sectarii Henriciani dicti ſunt, & in quem non ſemel ſcripſit S. Bernardus in variis Epiſtolis.

An Petrus Waldo a quo Waldenſes, an Wicleſus, an Joannes Hus Chriſti Corporis & Sanguinis realem præſentiam ab Euchariſtiæ Sacramento rejecerint, diſputant hoc loco Theologi, ſed iſta quæ parum ad inſtitutum noſtrum conferrent, fuſius non examinabimus.

Hoc certum eſt, ſæculo decimo ſexto, quo famoſæ Lutheri & Calvini Sectæ cum tanto Eccleſiæ detrimento prodierunt, varios extitiſſe iſtius erroris duces, qui licet circa venerandum hoc Sacramentum, diverſimode ſentiant & loquantur, vel etiam quod ſæpius ſibi ipſis non conſtant, tamen in eo conſentiunt quod veram & ſubſtantialem Cor-

Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam rejiciant, tales ſunt Carloſtadius Archidiaconus Wirtembergenſis; Zuinglius cui adhæſit Joannes Oecolampadius, & quem poſtea ſecutus eſt Bucerus qui apud Argentinenſes Miniſter, ut aiunt, fuit.

Excipimus tamen Lutherum, qui revera negavit Tranſſubſtantiationem, ſeu impanationem admiſit, contendens poſt factam Conſecrationem remanere in Sacramento integram Panis & Vini ſubſtantiam, ſed victus perſpicuitate verborum Chriſti Domini in Inſtitutione Euchariſtiæ, dicentis nempe, *Hoc eſt Corpus meum*; ea non potuit interpretari de ſigno & figura, quaſi illorum ſenſus ſit, hoc ſignificat Corpus *meum*.

Verum hos inter & multos alios qui tunc temporis nomen & famam ſibi fecerunt, inſignis præ cæteris eruditione & facundia eminuit Calvinus, quem adhuc hodie ducem & Magiſtrum ſequuntur Calviniſtæ; is quidem modum exponens, quo Chriſti Corpus eſt in Sacramento Euchariſtiæ, viſus eſt prima fronte magis ad Fidem Catholicam accedere, quatenus non dubitavit dicere Chriſtum veram & propriam Carnis & Sanguinis ſui ſubſtantiam dare in hoc Sacramento; ſed iſtud ſic demum intelligere ſe docuit, ut in rei veritate nihil aliud admiſerit quam merum Corporis & Sanguinis Chriſti ſignum, meram figuram.

Prius quidem colligitur ex ejus commentario in cap. 26. S. Matthæi, ubi ſic loquitur. *Vere in Cœna datur nobis Corpus Chriſti, ut ſit animis noſtris in Cibum ſalutarem, hoc eſt ſubſtantia Corporis Chriſti paſcuntur animæ noſtræ, ut vere efficiamur unum cum eo*. & lib. 4. Inſtit. cap. 17. paragr. 5. *Quemadmodum*, inquit, *non aſpectus, ſed ejus Panis alimentum Corporis ſufficit, ita vere ac penitus participem Chriſti animam fieri convenis*. & paragr. 32. *In ſacra ſua Cœna jubet me ſub Symbolis Panis ac Vini Corpus ac Sanguinem ſuum ſumere, nihil dubito quin & ipſe vere porrigat & ego recipiam*. In quibus locis diceres Calvinum Catholicum hoc aſſerere Dogma, profitetur enim in Cœna vere dari & manducari Corpus Chriſti, ſubſtantiam Corporis Chriſti.

Poſterius autem longe clarius eſt, videlicet Calvinum exiſtimaſſe Euchariſtiam nihil aliud continere quam nudum Corporis ſignum, in qua vere quidem ſumitur & manducatur Caro Chriſti, ſed per Fidem; ita ut Corpus Chriſti ſit tantum in Cœlo, non in terra quoad ſubſtantiam ſcilicet; nam agnoſcit tantum virtutem quandam ineffabilem ex Chriſti Carne ad nos derivari, ſic enim loquitur ibidem parag. 30. *Ingenue confiteor mixturam Carnis Chriſti cum anima noſtra vel transfuſionem, qualis ab ipſis docetur, me repudiare, quia nobis ſufficit Chriſtum e Carnis ſubſtantia vitam in animas noſtras ſpirare, imo propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipſa Chriſti Caro*. dixerat parag. 3. *Interim vero hanc non aliam eſſe quam Fidei manducationem fatemur, ut nulla alia fingi poteſt*. Ex quibus manifeſtum eſt hanc meram eſſe veterum Sacramentariorum, quæ toto Cælo diſtat ab illa quam ſemper tenuit & tenet Catholica Eccleſia quæ ſimpliciter profitetur, ut habet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1. *In almo ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento poſt Panis & Vini Conſecrationem Dominum Noſtrum Jeſum-Chriſtum verum Deum atque hominem, vere, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri*.

Dehinc inter varios Calvini ſequaces, contra Catholicos de præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ omnium fuſiſſime poſtremo ſæculo pugnavit Calviniſta Albertinus, in quos omnes ſit

CON-

Digitized by Google

Concluſio.

Corpus Chriſti eſt vere realiter & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia. Idque aſſeritur ex cap. 6. Sancti Joannis.

Probatur in illo celebri capite 6. S. Joannis, Chriſtus Dominus ſic loquitur promittens ſe daturum ſuam Carnem manducandam, ut manifeſte pateat eum habere ſermonem de vera reali & non figurata manducatione. *Ego ſum Panis vitæ ..... Ego ſum Panis vivus ..... Panis quem Ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita ... niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem .... Caro enim mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*. Hæ enim locutiones quibus toties utitur Chriſtus dicens Carnem ſuam, quam daturus erat, vere eſſe cibum, & Sanguinem vere eſſe potum, & manducandam eſſe illam Carnem, quod non dicit obiter, ſed ſæpius inculcat, aperte demonſtrant eum non loqui de figurata & metaphorica quadam manducatione quæ fit per Fidem, ut volunt Hæretici.

1. Id conſtat ex ipſo hujus capitis ſexti contextu, Chriſtus enim loquitur de re pro futuro concedenda, *Panis quem Ego dabo Caro mea eſt*. Sic autem non loqueretur de manducatione ſpiritali per Fidem, qua creditur Incarnatio: hac enim ratione Chriſtum antea manducaverant quotquot in ipſum crediderant, & Patres ipſi veteris Teſtamenti.

2. Ex iſtis Chriſti Domini verbis ortum fuit ſcandalum in animis audientium illa verba: *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes, Quomodo poteſt hic nobis dare Carnem ſuam ad manducandum:* quin & ejus Diſcipuli retro abierunt, dixeruntque: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum ſuſtinere?* ſed ſcandaliſati non fuiſſent illi omnes ſi nempe Chriſtus diſſeruiſſet tantum de manducatione ſpiritali per Fidem. Id ipſis viſum non fuiſſet novum ac inſolitum, pridem enim annuntiaverat credendum eſſe in Meſſam.

3. Quia hunc S. Joannis contextum de Euchariſtia intellexerunt ut plurimum SS. Patres, Cyprianus lib. de Orat. Dominica, Origenes Homil. 16. in Num. S. Hilarius lib. 8. de Trinit. S. Epiphanius hæreſi 55. S. Ambroſius lib. de init. c. 8. S. Auguſt. Serm. 132. S. Chryſoſtomus Homil. 45. & 46. in Joan. & alii paſſim.

His accedit autoritas quorumdam Conciliorum generalium.

1. Concilii Epheſini quod eſt tertium generale in quo approbata eſt Epiſtola ſynodica Conc. Alex. ad Neſtorium, ubi probat veritatem Euchariſtici Sacrificii ex iſto cap. 6. S. Joannis, *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, &c.*

2. In Conc. Nicæno II. quod eſt VII. generale, Epiphanius Diaconus probat ex iiſdem S. Joannis verbis Euchariſtiam non eſſe Corporis Chriſti imaginem, ſed ejus Corpus.

Quarto Concilium Trident. loquens de Sacramento Euchariſtiæ in ſeſſ. 13. cap. 2. laudat hunc S. Joan. locum, ait enim, *Sacramentum Euchariſtiæ ſumi tanquam ſpiritualem animarum cibum quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit, Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Quæ verba leguntur Joan. 6. v. 59.

Denique hæc doctrina probari poteſt ex illa veteri Eccleſiæ Diſciplina quæ per mille aut amplius annos viguit, dandi ſcilicet Euchariſtiam infantibus, propter iſta verba Joan. 6. *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, &c.* quæ de Euchariſtiæ Sacramento conſequenter intelligebantur; nam manducationis ſpiritalis per Fidem capaces non ſunt infantes.

Objiciunt Calviniſtæ hæc verba, *Ego ſum Panis vivus qui de Cœlo deſcendi*. & iſta, *Ego ſum Panis vitæ, qui credit*

dit in me non ſitiet in æternum, & alia hujuſmodi certe non poſſunt niſi de manducatione per Fidem explicari, ut ſonant ipſæ voces: igitur ex illis non colligitur ſermonem eſſe de vera Carne, de vera & reali Carnis Chriſti manducatione.

Reſp. juxta communiorem Theologorum interpretationem in hoc ſexto capite toto & integro ſermonem non eſſe de Euchariſtia, ſed ſolum a verſu 52. ajunt enim S. Joannem deſcribere miraculum Panum usque ad verſum 27. deinde Chriſti ſermonem eſſe de manducatione ſpiritali per fidem usque ad verſum 52. a quo verſiculo, ubi hæc habentur, *Panis quem ego dabo Caro mea eſt*, ad finem usque capitis agitur de Euchariſtia. Unde fatentur in locis quæ objiciuntur, ſermonem eſſe de manducatione ſpiritali, præcedunt enim verſiculum 52. atque ideo negant de eadem manducatione differi toto in capite. Neque vero inde ſequitur, quod ajunt Calviniſtæ, Chriſtum hoc poſito uſum fuiſſe æquivocatione, ſatis enim enim ſuperque tollitur æquivocatio, quia in poſteriori capitis parte clarius longe deſignatur Euchariſtia, ubi Chriſtus plures reperit nomina carnis, cibi, potus, manducationis.

Obj. Ex illo capite S. Joannis, quicunque manducat Carnem & bibit Sanguinem Chriſti, habet vitam æternam: verſu 52. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*; ſed quicumque manducat & bibit Euchariſtiam, non habet propterea vitam æternam, ſi nimirum id faciat indigne: ergo ibi non agitur de Euchariſtia.

Reſp. in illis propoſitionibus promitti certo vitam æternam manducantibus, ſed ſubintelligendo bene & digne: 1. quia in ſimilibus ſcripturæ locis ſubauditur ſemper adverbium *bene*, *digne*, Matth. 7. *Omnis qui petit, accipit*; id eſt qui petit *bene*; Marci 16. *Qui crediderit, ſalvus erit*, id eſt qui *recte* crediderit: 2. quia neque ex manducatione ſpiritali quæ fit per Fidem, præciſe ſequitur vita æterna, qui enim male credit, non habet vitam æternam.

Obj. Chriſtus ipſe exponens hoc in capite quæ dixerat de manducatione ſuæ Carnis, rejicit omnem corporalem & oralem manducationem: his verbis, *Spiritus eſt qui vivificat, Caro autem non prodeſt quidquam*; videns nempe ſcandaliſatos fuiſſe adſtantes, quod promiſerat daturum ſe ſuam Carnem manducandam: eorum cogitationem coarguit, quaſi dixiſſet, vos iſtud male intelligitis; loquor enim ſolummodo de ſpiritali quadam manducatione, quæ fit per Fidem; *Spiritus eſt qui vivificat, Caro autem non prodeſt quidquam*: igitur.

Diſt. ant. rejicit manducationem corporalem, intellectam ad ſenſum Capharnaitarum, C. ad ſenſum Eccleſiæ Catholicæ, N. ſcilicet exiſtimarunt rudes illi homines, auditis Chriſti verbis, eum daturum eſſe ſuum Corpus in varias partes diſſectum, uti Caro in macello ſecta & dilaniata diſtribuitur, ut interpretatur S. Auguſtinus in Pſalmum 98. *Acceperunt*, inquit, *illud ſtulte carnaliter, & putaverunt, quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de Corpore ſuo & daturus illis*. Unde mirum non eſt, quod Chriſtus hunc videns errorem utique craſſum dixerit, hæc ſua verba intelligenda de manducatione ſpiritali, in quo quidem non rejicit ſenſum Catholicorum qui ſpiritalis eſt, ſi comparetur cum præfato Capharnaitarum ſenſu, quamvis ſit de vera & reali Corporis Chriſti manducatione. Legendus eſt ſuper ea re ejuſdem S. Doctoris Tractatus 27. in Joan. *Quid eſt ergo*, inquit, *Caro non prodeſt quidquam. Non prodeſt quidquam, ſed quomodo intellexerunt illi, Carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritus vegetatur. Proinde ſit dictum eſt,*

Caro

Caro non prodeſt quidquam, quomodo dictum eſt, Scientia inflat ..... ſic etiam Caro non prodeſt quidquam, ſed ſola Caro, accedat ſpiritus ad Carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimum.

Non abſimili modo hunc locum interpretatur S. Chryſoſtomus Homil. 46. ſuper Joannem in hæc verba: *Caro non prodeſt*, ubi ſic habet: *Non de ipſa Carne dicit, Abſit: ſed de his qui carnaliter accipiunt quæ dicuntur... qui non manducat Carnem meam, & non bibit meum Sanguinem non habet vitam in ſemetipſo. Quomodo non prodeſt Caro ſine qua nemo poteſt vivere? vide quod ea particula, Caro non prodeſt quidquam, non de ipſa Carne, ſed de carnali auditione dictum eſt.* Hæc Chryſoſtomus, & ſecundum litteram: Chriſtus enim non dixit Caro, id eſt carnalis animus non capere hoc myſterium ſufficit, ſicut dixit Petro, *Caro & Sanguis, &c.*

Obj. Plurimi SS. Patres hoc caput Joannis de ſpiritali manducatione exponunt, alii de Fide in Chriſtum, alii de Verbo Dei, alii de Doctrina ſacra; conſuli poſſunt Clemens Alex. lib. 1. Pædag. c. 6. Origenes Homil. 16. in Numeros; S. Baſilius Epiſt. 141. ad Cæſarienſes; S. Hieronymus in Pſal. 147. præſertim vero Auguſtinus Tract. 25. 26. & 27. in Joan. Tract. 25. ſic loquitur: *Ut quid paras dentes & ventrem? crede & manducaſti.* Tract. 26. *Credere in eum, hoc eſt manducare Panem vivum.* & ibidem, *Hunc itaque cibum vel potum ſocietatem vult intelligi Corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in Prædeſtinatis.* & poſtea, *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere.* ergo revera hoc S. Joannis caput intelligi non debet de Euchariſtia, ſed de manducatione Chriſti per Fidem.

Reſpondeo nonnullos quidem Patres hunc Joannis locum quandoque interpretari juxta ſenſum myſticum, ſed non idcirco ſenſum litteralem quo ſolet accipi de Euchariſtia, excludere.

Quia ſatis familiare eſt SS. Patribus, ut in ſuis operibus, ac præſertim in publicis ad populos concionibus ſenſum myſticum & moralem plerorumque ſcripturæ locorum adducant, quod nimirum eos ad bene vivendum, & ad dignam Sacramentorum participationem hortantur. Ejuſmodi eſt quod ait S. Auguſtinus Tract. 26. *Nos*, inquit, *accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de Altari accipiunt & moriuntur.* 2. quia perſæpe iiſdem locis utrumque ſenſum myſticum & litteralem adhibent, ut in præſenti caſu Origenes, his verbis: *Bibere autem dicitur Sanguinem Chriſti, & ritu Sacramentorum, & cum ſermones ejus recipimus.* Ubi diſerte ait Origenes bibi Sanguinem Chriſti & per Sacramenta *ritu Sacramentorum* & cum auditur ac recipitur verbum Dei. Atque etiam S. Auguſtinus citato Tract. 26. *Hujus rei Sacramentum*, inquit, *id eſt unitatis Corporis & Sanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica Menſa præparatur & de Menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium.*

At, inquies, idem S. Auguſtinus Tract. 27. obſervat Judæos deceptos fuiſſe, putantes Chriſtum erogaturum ſuum Corpus; in quo quidem eos redarguit. *Illi enim putabant eum erogaturum Corpus ſuum. Ille autem dixit ſe aſcenſurum in Cælum, utique integrum.* & in Pſal. 98. *Ille autem inſtruit eos, & ait illis, Spiritus eſt qui vivificat, Caro autem nihil prodeſt, verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus eſt & vita, ſpiritaliter intelligite quod locutus ſum, non hoc Corpus quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri illum Sanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent;* igitur hæc non ſunt litteraliter intelligenda de vero & reali Chriſti Corpore.

Reſp. in mente S. Auguſtini deceptos fuiſſe Judæos, in eo quod ſtulte putabant Chriſtum promittere ſuum Corpus per partes diſſecandum; unde ait Chriſtum, id

id quod dixerat, interpretatum fuiſſe ſpiritaliter, ſed comparate ad carnalem illum Judæorum ſenſum, non ad ſenſum Catholici dogmatis, quod manifeſtum eſt ex ipſius Auguſtini verbis, nam in priori loco dicit ſolutam fuiſſe hanc Judæorum querelam ab ipſo Chriſto cum *dixit ſe aſcenſurum in Cœlum, utique integrum:* quod ſupponit ſcandaliſatos fuiſſe Judæos, eo quod credebant Chriſtum promiſiſſe ſuam Carnem per partes manducandam. In poſteriori loco ſic aperte rem declarat S. Auguſtinus, *Acceperunt illud ſtulte carnaliter & putaverunt, quod præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de Corpore ſuo & daturus illis.* Quod autem hic objici poſſet ex lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, paulo infra explicabimus.

Cæterum licet certiſſimum ſit, ut oſtendimus, in hoc S. Joannis capite Sermonem eſſe de manducatione quæ fit in Euchariſtia, tamen definitum non fuit ab Eccleſia hunc S. Joan. contextum de Euchariſtia neceſſario intelligendum; Patres enim Tridentini ab illa definitione abſtinuerunt propter varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes in utramque partem ſtantes, ut videri poteſt apud Palavicinum lib. 17. de Hiſt. Concil. Trident. cap. 17. & Salmeronem Tract. 23.

CAPUT III.

Aſſeritur eadem Doctrina ex verbis inſtitutionis.

IDem Catholicum præſentiæ realis Dogma clare demonſtratur ex verbis quæ uſurpavit Chriſtus, cum inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, referentibus Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. ubi Chriſtus cum Panem benedixiſſet dixit ſuis Diſcipulis, *Hoc eſt Corpus meum.* Quæ quidem verba invicte probant Chriſtum dediſſe ſuum verum realiter & ſubſtantialiter Corpus, nec de figura ſui Corporis locutum. Siquidem juxta regulam S. Auguſtini lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. Scripturæ verba ſumi ſemper debent in ſenſu proprio & obvio, cum ille ſenſus nec Fidei nec bonis moribus adverſatur, *Quod aut ad morum honeſtatem, aut ad Fidei veritatem referri non poſſit.* Sed ſenſus præſentiæ realis non adverſatur Fidei, nulli ſcilicet alteri Scripturæ teſtimonio, non Traditioni, nulli Concilii generalis definitioni: neque adverſatur moribus, nullum enim flagitium eſt, nullum facinus quod Chriſtus manducetur in Euchariſtia, eo modo qui admittitur a Catholicis: igitur.

2. Vel iſta propoſitio, *Hoc eſt Corpus meum*, ſumi debet in ſenſu proprio & litterali, vel in ſenſu figurato, quaſi Chriſtus nonniſi Panem exhibuerit, dicens: *Hoc eſt Corpus meum.* id eſt hic Panis eſt figura Corporis mei: ſed iſtud poſterius dici non poteſt; quia generatim loquendo, ſignum de aliqua re non affirmatur, quando eam neque ex natura ſua, neque ex inſtituto ſignificat, niſi prius admoniti fuerint aſtantes, propoſitionem eſſe in ſenſu figurato accipiendam: Si quis v. gr. oſtendens lapidem diceret, Hic eſt Cæſar, profecto ridiculus foret, quia ex uſu apud homines recepto, lapis ille non eſt ſignum Cæſaris. Contra vero cum oſtenditur tabella repræſentans Cæſarem, recte dicitur, Ecce Cæſar, aſtantes non inducuntur in errorem, ſermo ille non eſt abſurdus, quia ex uſu recepto apud homines tabella repræſentans Cæſarem, recte dicitur Cæſar. Sed quando Chriſtus in ultima Cęna dixit: *Hoc eſt Corpus meum.* Panis neque ex natura ſua, neque ex inſtituto hominum, ſignificabat Corpus Chriſti, ut per ſe patet; aliunde vero Chriſtus Apoſtolos non admonuerat ſe ſui Corporis ſignum aliquando eſſe daturum, tametſi non videretur niſi Panem & ſignum purum ſui Corporis dare: igitur abſurde omnino affirmaſſet Panem eſſe Corpus ſuum, ſi voluiſſet panem eſſe duntaxat figuram & ſignum ſui Corporis.

Neu-

Digitized by Google

Neutiquam vero diſcipulis ejus quos alloquebatur, tunc difficile fuit credere Chriſtum dare ſuum Corpus, etſi non videretur dare niſi purum Panem, quia noverant illum eſſe omnipotentem, qui Panem illum potuerat in proprium Corpus ſuum convertere, qui videlicet aquam pridem converterat in vinum.

Objiciunt Calviniſtæ: Quando Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, de eo loquebatur, quod præ manibus tenebat, quod benedixit, quod fregit, quod diſtribuit: ſed Panem præ manibus tenebat, Panem benedixit, Panem fregit, Panem ſuis Apoſtolis diſtribuit: igitur ſenſus præfatæ propoſitionis, *Hoc eſt Corpus meum*, eſt, hic Panis eſt Corpus meum. Sed hoc poſito, propoſitio eſt figurata; quando enim unum diſparatum de alio diſparato affirmatur, neceſſe eſt ut propoſitio ſit figurata. Addunt illam propoſitionem recte non poſſe intelligi, ſi ſumatur in ſenſu proprio & litterali de ipſo Chriſti Corpore, vel enim, inquiunt, pronomen, *hoc*, refertur ad Panem, vel ad Corpus Chriſti, vel ad ſpecies Panis. Si primum dicatur, propoſitio erit pure figurata. Secundum dici nequit, quia cum Chriſtus pronunciavit, *hoc*, nondum aderat Corpus Chriſti utpote nondum facta mutatione Panis. Tertium foret manifeſte falſum; ſpecies enim non ſunt Corpus Chriſti: ſupereſt igitur, ut dicatur hanc propoſitionem eſſe figuratam.

Reſp. 1. ejuſmodi difficultates aliaſque ſimiles, quas urgere ſolent Calviniſtæ, non adverſari præſentiæ reali, ſed ſolum ſententiæ quæ docet Chriſtum per prolationem horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum*, mutaſſe Panem in ſuum Corpus, quæ quidem ſententia, licet a majori Theologorum parte ut certa propugnetur, tamen ab Eccleſia non fuit definita. Si enim ſupponatur Chriſtum per orationem, *Gratias agens*, vel per benedictionem, *benedixit*, conſecraſſe, quando paulo poſt dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, quod præ manibus tenebat, non erat Panis, ſed ipſum Chriſti Corpus, & ita evaneſcunt illa omnia argumenta, quibus tricari ſolent Hæretici ſuper pronomen, *hoc*, quod manifeſte refertur ad Corpus Chriſti.

Reſp. 2. cum cæteris Theologis recte ſolvi ejuſmodi difficultates ſupponendo, quod poſtea probabitur, hanc propoſitionem, *Hoc eſt Corpus meum*, eſſe practicam & Conſecrationis ac Tranſſubſtantiationis cauſam; hoc enim poſito, pronomen, *hoc*, in eo inſtanti, in quo nondum prolata eſt tota propoſitio, & ideo nondum facta eſt mutatio Panis in Corpus Chriſti, refertur confuſe ad id quod ſubjicitur, non ad Panem diſtincte, qui jam incipit deſinere; non ad Corpus Chriſti quod nondum ponitur; ſed ad ſubſtantiam præſentem indeterminate. Ejuſmodi argumenta nihil aliud eſſe quam mera ſophiſmata oſtenditur facile ſimili ratione diſcurrendo in aliis exemplis: ſi v.g. ſupponatur Chriſtum convertiſſe aquam in Vinum, dicendo, *hoc eſt Vinum*, quando præ manibus habebat vas aqua plenum, quod certe fuiſſe antea præſtitum a Chriſto Domino fatentur Calviniſtæ. Eodem omnino recurrent argumenta; dixerit enim quiſpiam, quando Chriſtus dixit: Hoc eſt Vinum, de eo loquebatur, quod præ manibus tenebat, & quod poſtea aſtantibus porrexit; ſed aquam, non Vinum præ manibus tenebat, vas aqua, non vino plenum: igitur hæc Chriſti propoſitio, *Hoc eſt Vinum*, nihil niſi Vini figuram & ſignum exhibebat, & ita mere figurata erat propoſitio, quod quidem quam ſit abſurdum nemo non videt.

Et certe ſi dicatur hujus propoſitionis, *Hoc eſt Corpus meum*, ſenſum eſſe figuratum, & ſic reddi debere *hoc*, id eſt, hic Panis, *eſt*, id eſt, repræſentat *Corpus meum*, dici quoque debet, quod tamen affirmare non audebunt adverſarii, Chriſtum falſam, inuſitatam, & illuſoriam protuliſſe propoſitionem: nam propoſitio eſt falſa & auditoribus illuſoria, quando in ea res ſignificata affirmatur de aliquo quod eſt tantummodo ejus ſignum, non ex natura ſua, ſed ex mero loquen-

tis arbitrio ſine prævia auditorum admonitione; ſi quis v.g. inter concionandum diceret oſtendendo aliquod Altare, Ecce Alexandrum magnum, quia ipſi, non admonitis auditoribus, placuiſſet ſupponere hoc Altare eſſe ſignum & figuram Alexandri magni, profecto propoſitionem efferret falſam, abſurdam, & auditoribus illuſoriam. Altare enim non eſt ex natura ſua, neque ex uſitato apud homines loquendi uſu ſignum & repræſentatio Alexandri magni; & præterea, ut ſupponimus, hic concionator ſuos auditores non præmonuerat ſe per illud Altare intelligere Alexandrum magnum. Sed ſi hæc propoſitio, *Hoc eſt Corpus meum*, ſumitur in ſenſu figurato, Chriſtus Corpus ſuum affirmavit de Pane qui non erat niſi merum ejus ſignum & figura ſine prævia auditorum admonitione, certum eſt aliunde Panem non eſſe, neque ex natura ſua, neque ex uſitato apud homines loquendi more ſignum Corporis Chriſti: ergo neceſſe eſt ut dicatur hanc propoſitionem in ſenſu proprio & litterali, non in ſenſu figurato eſſe accipiendam.

Objicies: In multis ſcripturæ locis verbum *eſt*, ponitur pro verbo, *ſignificat*. Geneſeos 17. *Circumciſio eſt fœdus*, id eſt, ſignificat fœdus. cap. 41. *Septem boves pulchræ & ſeptem ſpicæ planæ, ſunt ſeptem anni ubertatis*, id eſt, ſignificant ſeptem annos ubertatis; Lucæ 8. *Semen eſt verbum Dei*, hoc eſt, ſignificat verbum Dei; Joan. 15. *Ego ſum vitis vera*, id eſt, per quandam analogiam & in ſenſu figurato: igitur & in iſta propoſitione, *Hoc eſt Corpus meum*, eſt, ponitur pro ſignificat, adeoque propoſitio non probat præſentiam realem, utpote cum aperte ſit figurata & ſymbolica.

Nego conſ. & paritatem: diſparitas eſt, quia præfata ſcripturæ loca in ſenſu figurato fuerunt ſemper accepta ab omnibus SS. Patribus, contra vero hæc Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, intellecta fuere in ſenſu proprio & obvio de vero Chriſti Corpore, ut docet perpetua & conſtans Patrum Traditio, quæ omnium certiſſima eſt regula qua dignoſci poſſit, an e multis propoſitionibus quoad ſonum ſimilibus quædam in ſenſu literali ſint accipiendæ; aliæ vero in ſenſu figurato.

2. Diſparitas etiam ſumitur ex ipſis locis quæ objiciuntur, & quæ talia ſunt, ſi penitius conſiderentur, ut ſenſum figuratum manifeſte exhibeant, quod pariter dici non poteſt de iſta propoſitione, *Hoc eſt Corpus meum*. Sic v.g. cum Circumciſio dicitur fœdus, apertum eſt illam non eſſe ſignum fœderis Deum inter & homines; uti expreſſe habetur ibidem, *Circumcidentis Carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me & vos*. cap. 41. data opera exponitur ſomnium Pharaonis, unde per ſe clarum eſt ſeptem boves non eſſe ſeptem annos, niſi quia illos ſignificant. Similiter cum Lucæ 8. *Semen dicitur verbum Dei*, explicatur parabola. Quis autem cogitaverit Chriſtum ſe ipſum dicere vitem in ſenſu proprio & litterali? hujus vocis ſignificationem abunde determinat Chriſtus cum dicit Apoſtolis ſuis, *Vos eſtis palmites;* nam probe noverat ſe non eſſe palmites. Scilicet metaphoræ per ſe ipſæ, ex oratione, ex uſu ſermonis apud homines recepto, ex antecedentibus & conſequentibus facile dignoſcuntur, modo omnis removeatur ſophiſtice diſputandi animus. Unde & alia ſolvitur objectio quæ hic proponitur ex eo quod ait Chriſtus, *Hic eſt Calix qui pro vobis effundetur*, quæ propoſitio, inquiunt, eſt figurata, quia Calix non effunditur, ſed liquor in eo contentus: nam palam eſt omnibus, continens poni pro contento, vas pro liquore.

At, inquies, Chriſtus aliquo modo monuerat Apoſtolos ſe non daturum niſi figuram ſui Corporis in Sacramento Euchariſtiæ, nam Joan. 12. dixerat ſe non remanſurum in terris, *Pauperes ſemper habetis, me autem non ſemper habebitis*. & Marci ultimo de Chriſto dicitur, *Quod aſſumptus eſt in Cœlum & ſedet* ad

ad dexteram Dei, Quæ, cum minime conciliari poſſint cum præſenti reali Corporis Chriſti in Euchariſtia, perſpicue indicant hæc Chriſti verba *Hoc eſt Corpus meum* nonniſi metaphorice intelligenda de Pane qui ſit figura Corporis Chriſti, Hoc argumento utitur Calvinus, *Scriptura*, inquit, *teſtatur Chriſtum*, *quod attinet ad naturam humanam*, *aſcendiſſe in Cœlum ibique manſurum uſque ad diem judicii*, *& tunc demum & non ante ad inferiora hæc loca rediturum*, *non igitur verum eſt eam tam ſæpe deſcendere*, *ut ſit in Euchariſtia*, *ut Papiſtæ volunt*. Quibus adde multa eſſe alia ſcripturæ loca, quæ cum præſentia reali Corporis Chriſti in hoc Euchariſtiæ Sacramento neutiquam conciliari poſſunt. Math. 15. *Omne quod in os intrat in ventrem abit & in ſeceſſum mittitur*. Lucæ 24. *Palpate & videte*, *quia ſpiritus Carnem & oſſa non habet*, *ſicut me videtis habere*.

Reſp. Chriſtum, cum ait ſe non remanſurum in terris, loqui de præſentia viſibili, nec omnem aliam quamcunque præſentiam his verbis excludere, nam Matth. 28. ait: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Neque vero docent Catholici, ut ſupponit Calvinus, Chriſtum e Cœlis deſcendere ut ſit in Euchariſtia, id etenim, ut dicemus poſtea, fit per reproductionem.

Inſtabis. Non magis hæc propoſitio, *Hoc eſt Corpus meum*, in ſenſu litterali accipi debuit ab Apoſtolis, quam iſta quæ apud S. Lucam immediate ſequitur, *quod pro vobis datur*, aut ut habetur in Græco, frangitur: ſed iſta poſteriora verba non potuerunt accipi niſi in ſenſu figurato & metaphorico, intellecta ſcilicet de Pane, quia tunc Panis, non Corpus Chriſti revera frangebatur: ergo.

Nego min. & dico veriſimiliter Apoſtolos hæc verba, *Quod pro vobis frangitur*, intellexiſſe de vera & reali fractione Corporis Chriſti mox futura in Cruce; unde S. Paulus hujuſmodi fractionem verbo exprimit quod futurum tempus deſignat, hoc eſt Corpus meum quod pro vobis *tradetur*.

Inſtabis. Chriſtus ipſe ſatis clare docuit hæc verba *Hoc eſt Corpus meum* eſſe pure figurata, ſubjicit enim hæc alia apud S. Lucam, *Hoc facite in meam commemorationem*. Id eſt in ſignum & repræſentationem mei & meæ Paſſionis: igitur.

Nego ant. quia hoc præceptum quod facta Panis conſecratione ſubjicit his verbis expreſſum, *Hoc facite in meam commemorationem*, nequaquam rejicit præſentiam corporalem Chriſti, Euchariſtia enim tametſi realiter & ſubſtantialiter contineat Chriſti Corpus, recte dicitur Dominicæ Paſſionis commemoratio. *Quotieſcunque manducabitis Panem hunc*, *mortem Domini annuntiabitis*, inquit S. Paulus I. ad Corinth. cap. 11.

Objicies: Idem Corpus non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis: ſed ſuppoſita præſentia reali Corporis Chriſti, idem Corpus foret ſimul in pluribus locis, in Cœlo nempe & ſimul ſuper terram, nam Marci ultimo, *Aſſumptus eſt in Cœlum & ſedet a dextris Dei*. Tum ſuper terram foret in iis omnibus locis in quibus eſt Euchariſtia: igitur.

Diſt. maj. naturaliter, C. ſupernaturaliter Deo ita volente per ſuam omnipotentiam, N. mirum videri debet quod talem difficultatem proponant Calviniſtæ, qui in ſua Confeſſione art. 36. fatentur, *Myſterium Euchariſtiæ altitudine ſua omnem ſenſum ſupergredi*, *omnem naturæ ordinem ſuperare*, *uno verbo eſſe cœleſte*, *neque niſi per Fidem apprehendi poſſe*.

Qua quidem reſponſione, quam nobis ſuppeditant adverſarii, ſolvuntur aliæ objectiones ejuſdem generis quas proponere non dubitant.

Inſtabis. Propoſitio ſacramentalis ſumi debet in ſenſu figurato & metaphorico: eſt enim de eſſentia Sacramenti, quod ſit rei alterius ſignum ſenſibile: ſed iſta propoſitio *Hoc eſt Corpus meum* eſt ſacramentalis, quia per illam Chriſtus inſtitui t

ſtituit Euchariſtiæ Sacramentum : igitur.

Nego maj. propoſitio enim ſacramentalis, quæ talis dicitur, quia enuntiatur de aliquo Sacramento, abſtrahit a ſenſu reali & figurato, quia revera extat aliquod Sacramentum quod rem ſignificatam realiter continet, qualis eſt Euchariſtia; alia vero ſunt Sacramenta quæ rem non continent cujus ſunt Sacramenta; quapropter frivolum eſt hoc Calviniſtarum argumentum & omni plane ſenſu deſtitutum.

Caput IV.

Aſſeritur idem Dogma ex SS. Patribus.

PRobatur etiam ex SS. Patribus qui eamdem doctrinam unanimi conſenſu tradunt: ſingula eorum teſtimonia quæ numero prope infinita ſunt, brevitatis cauſa non exſcribemus; ſed quædam tantum ſelectiora, in quibus nempe non modo Euchariſtia dicitur Corpus Chriſti, continere Carnem Chriſti quæ ibi manducatur, non modo dicitur Panem Euchariſtiæ non eſſe communem & uſitatum, quæ quidem non movent Calviniſtas; ſed etiam in quibus Euchariſtia dicitur eſſe vel contineri, *ipſum* Chriſti Corpus, hoc Corpus quod ex Maria Virgine natum eſt, quod Angeli cum tremore vident in Cœlis; quædam alia in quibus dicitur, hoc in Sacramento fieri mutationem elementi, hoc eſt Panis & Vini; ac demum alia in quibus expreſſe negatur Euchariſtiam eſſe figuram & imaginem Corporis Chriſti; hæc enim invicte demonſtrant Chriſtum eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter præſentem in Euchariſtia.

S. Ignatius Epiſt. ad Smyrnæos: *Ab Euchariſtia & oratione abſtinent, eo quod non confiteantur Euchariſtiam Carnem eſſe ſervatoris noſtri Jeſu-Criſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* Quo quidem teſtimonio patet jam tum his apoſtolicis temporibus agnoviſſe Fideles Euchariſtiam eſſe Carnem Jeſu-Chriſti, etſi jam nonnullis contradicentibus.

S. Juſtinus ſic loquitur Apolog. 2. deſcribens cœtum Chriſtianorum in quo Euchariſtiam clam celebrabant, *Non hunc*, inquit, *ut communem Panem, neque ut communem potum ſumimus: quemadmodum per verbum Dei homo factus Jeſus-Chriſtus Salvator noſter & Carnem & Sanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit, ita etiam eam in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ... incarnati illius Jeſu Carnem & Sanguinem eſſe edocti ſumus.*

S. Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes cap. 34. *Panis*, inquit, *percipiens invocationem Dei jam non communis Panis eſt, ſed Euchariſtia.* & lib 5. cap. 2. *Eum panem qui eſt a creatura ſuum Corpus confirmavit.*

Tertullianus lib de Reſurrect. Carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur ... Caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.*

Origenes Homil. 5. inter decem Homilias de diverſis Evangelii locis, *Quando ſanctum cibum illudque corruptum accipis epulum, quando vitæ Pane & poculo frueris, manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians te ipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipientis.* Ubi ait Origenes Chriſtum in Euchariſtia ſumi a quibuſdam indigne, volunt autem Calviniſtæ eum per Fidem non poſſe accipi niſi a piis hominibus & ad vitam.

S. Cyrillus Jeroſol. Catecheſ. 4. *Cum ipſe de Pane pronuntiaverit ac dixerit, Hoc eſt Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? & cum idem tam aſſeveranter dixerit, Hic eſt Sanguis meus, quis unquam dubitaverit, ut dicat non eſſe ejus Sanguinem? aquam aliquando mutavit in Vinum quod eſt Sanguini propinquum; & non erit dignus cui credamus quod Vinum*

in.

in Sanguinem ſuum tranſmutaſſet?

S. Ambroſius lib. de initiandis cap. 9. *Forte dicas aliud video, quomodo tu mihi aſſeris quod Chriſti Corpus accipiam; quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc eſſe quod natura firmavit, ſed quod benedictio conſecravit ... non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum ... præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod efficimus Corpus ex Virgine eſt.*

S. Chryſoſtomus Homil. 51. in Matth. *Tangamus ergo etiam nos fimbriam veſtimenti ejus, vel potius ſi volumus eum totum habeamus, non tantum ejus veſtimentum, ſed Corpus ipſius nunc nobis propoſitum eſt, nec ut tangamus modo, verum quoque ut edamus & repleamur.* & Homil. 83. in Matth. *Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt Corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus & oculis intellectus id perſpiciamus, nihil enim ſenſibile traditum nobis a Chriſto, ſed rebus quidem ſenſibilibus .. quot modo dicunt: Vellem ſpeciem, & formam ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre; ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis*, & ibidem, *Qui hæc dona ſanctificat & immutat, Chriſtus eſt.* & Homil. 24. in I. Epiſt. ad. Corinth. *Sed hoc tibi nunc licet videre in terra: non enim Angelos, & Archangelos, neque cœlos, ſed ipſum eorum oſtendo Dominum; neque ſolum vides, ſed etiam tangis, ſed etiam comedis, & eo accepto domum reverteris.*

S. Auguſtinus lib. 2. contra adverſarium Legis & Prophetarum cap. 9. *Mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum-Jeſum Carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque Sanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus.* & in Pſaſ. 33. explicans hæc verba I. Reg. cap. 21. *Ferebatur in manibus ſuis*, ſic habet: *Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commodans ipſum Corpus ſuum ait, Hoc eſt Corpus meum; ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis.* Item Sermone 71. de verbis Domini, ait: *Impios ipſam Carnem manducare & bibere ipſum Sanguinem.* Vox illa *ipſum* aperte demonſtrat S. Auguſt. exiſtimaſſe Euchariſtiam continere verum realiter Chriſti Corpus & Sanguinem.

S. Leo M. Serm. 6. de jejunio ſeptimi menſis. *Nam dicente Domino, Niſi manducaveritis, &c. ſic ſacræ Menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti ambigatis; hoc enim ore ſumitur quod Fide creditur & fruſtra ab illis amen reſpondetur, a quibus contra id quod accipitur, diſputatur.*

S. Gregorius M. Homil. 23. in Evangelia. *Quid ſit Sanguis Agni non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis, qui Sanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quomodo non ſolum ore Corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. Quid enim prodeſt Corpus & Sanguinem illius ore percipere, & ei perverſis moribus contraire?*

S. Joannes Damaſcenus lib. 4. cap. 14. *Panis & Vinum tranſmutatur in Corpus & Sanguinem Dei ... ſic Panis & Vinum per invocationem & adventum Spiritus Sancti ſupernaturaliter tranſmutatur in Corpus & Sanguinem Chriſti.*

Anaſtaſius Synaita in opere cui tutulus eſt, *Dux viæ*, c. 23. ubi continetur Orthodoxi cum aliquo Eutichiano diſputatio, ſic habet Eutichianus, *Abſit ut dicamus ſacram Communionem eſſe antitypum Corporis Chriſti aut ſimplicem Panem, ſed ipſum vere Corpus & Sanguinem ſuſcipimus Chriſti Filii Dei incarnati ex ſacra Deipara & ſemper Vergine Maria.* Orthodoxus, *Sic credimus & confitemur juxta vocem Chriſti ipſius ad Diſcipulos in Cœna myſtica illis dantis vivificum Panem, accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum; non dixit, Hoc eſt antitypum Corporis mei.* Quæ quidem verba tam clara ſunt, ut fateri cogantur nonnulli Calviniſtæ, hunc Autorem ſeptimi ſæculi a communi Patrum ſententia hac in parte receſſiſſe.

Tandem Patres Concilii Nicæni II. quod eſt VII. generale ſic Iconoclaſtas qui Euchariſtiam Corporis Chriſti dixerant

rant imaginem, refellunt actione 6. pag. 450. *Nullus Apoſtolus aut illuſtrium Patrum noſtrorum incruentum ſacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri ac omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit imaginem Corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino ſic dicere vel confiteri, ſed audiunt eum evangelice dicentem, Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis... & non dixit, Accipite & comedite imaginem Corporis mei... antequam fuerint ſanctificata, vocata ſunt typi, poſt ſanctificationem autem Corpus proprie ac Sanguis Chriſti dicuntur, ſunt, & creduntur*.

Dehinc eadem fuit pene omnium doctrina in poſterioribus ſæculis, ut fatentur Calviniſtæ: unde Scriptorum Eccleſiaſticorum nulla proferemus teſtimonia. Quin & in eadem Fide perſtiterunt Græci etiam Schiſmatici facti: 1. quia Photius multa exprobravit Latinis velut legitimas ſuæ ſeparationis cauſas, videlicet Jejunium Sabbathi, uſum panis azymi, &c. nuſpiam tamen præſentiam realem objecit: 2. cum pax Græcos inter & Latinos inita fuit, tum in Concilio Lugdunenſi II. tum in Florentino, nulla quæſtio fuit, nullum verbum de præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia: 3. id confirmant acta Conciliorum a Græcis recentioribus coactorum, quæ extant in libro perpetuitatis Fidei: 4. quia Cyrillus Patriarcha Conſtantinopolitanus qui nomine totius Eccleſiæ Orientalis contra præſentiam realem, profeſſionem Fidei dederat, ob id fuit e ſede expulſus & ab aliis Græcis Epiſcopis damnatus.

Unde hanc definitionem jure merito adverſus Calviniſtas emiſit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. Can. 1. his verbis, *Si quis negaverit in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem, una cum anima & divinitate Domini Noſtri Jeſu-Chriſti, ac proinde totum Chriſtum: ſed dixerit tantummodo eſſe in eo ut in ſigno vel figura aut virtute, anathema ſit*. Longe antea, nempe ſæculo XI. in eadem cauſa damnatus fuerat ut Hæreticus Berengarius in multi Conciliis, puta in Romano, Vercellenſi, Pariſienſi, Turonenſi, & aliis multis.

In his autem laudatis SS. Patrum teſtimoniis clare & evidenter aſſertam habemus præſentiam corporalem Chriſti in Euchariſtia.

1. Quia paſſim docent in ea contineri Corpus & Sanguinem Chriſti.

2. Quia & nonnunquam addunt pronomen *ipſum* dicentes, in ea eſſe *ipſum* Chriſti Corpus, in quo maxime excludunt ſenſum figuratum, quaſi dicerent ſe loqui non de typico, ſed de vero & reali Corpore.

3. Patres aſſerendo Euchariſtiam eſſe vel continere Corpus Chriſti, uſi ſunt nonnunquam adverbio *vere*, quod maxime denotat realem & ſubſtantialem præſentiam, nemo enim dixerit petram fuiſſe *vere* Chriſtum, imaginem Alexandri eſſe *vere* Alexandrum.

4. Perſæpe conceptis verbis negant Corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe typicum & ſymbolicum; aiunt de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti neminem ambigere poſſe.

5. Occurrunt dubitationi quæ nonnullis ſuboriri poſſet de veritate Corporis Chriſti in hoc Sacramento, ex eo quod videlicet ſenſus renuntiant, merum eſſe in eo Panem, & aiunt exterius quidem non apparere niſi Panem, ſed, ut Fides docet, interius contineri Corpus Chriſti.

6. Ut aſſerant Corporis & Sanguinis Domini veritatem, recurrunt ad miraculum & omnipotentiam divinam per quam aiunt Panem fuiſſe converſum & tranſmutatum in Corpus Chriſti, Vinumque converſum in ejus Sanguinem, qua ratione loquendi invicte demonſtratur hoc Dogma, quod enim rei cujuſpiam ſignum duntaxat inſtituitur, non recte dicitur in illam rem converſum & tranſmutatum.

7. Cum Patres probant fieri in Euchariſtia & per Sacerdotis verba Transſubſtan-

Digitized by Google

ſtantiationem Panis in Corpus Chriſti, utuntur ad aſſerendam illam veritatem comparationibus, quæ aperte denotant eos loqui de vera & reali, non de metaphorica converſione, nimirum illam comparant cum mutatione Aquæ in Vinum a Chriſto in Nuptiis facta; aiunt inſuper Panem fieri vere Corpus Chriſti, ſicut verbum divinum vere Carnem humanam aſſumpſit.

8. Demum aiunt nonnulli ex illis laudatis Patribus idem Corpus eſſe in Euchariſtia quod natum eſt de Virgine Maria, quod Cruci affixum eſt, nos in hoc Sacramento non modo Chriſti veſtimenta tangere ſed ipſum Chriſtum videre, tangere, edere, quibus loquendi modis nihil expreſſius proferri potuit ab illis Scriptoribus, ut Chriſti corporalem præſentiam aſtruerent, ſiquidem clarioribus terminis uſus non eſt Paſchaſius qui, fatentibus Calviniſtis, clare & aperte admiſit præſentiam realem; ita ut juxta illos cenſeatur Novator, qua de re non conſentiunt Catholici, ut facile oſtendi poteſt.

CAPUT IV.

Utrum Paſchaſius fuerit Novator.

PAſchaſius in Pago Sueſſionico natus Monachus fuit Corbeienſis & poſtea in eodem Cœnobio Abbas an. 844. ſcripſit inter alia opera librum de Corpore & Sanguine Domini an. 831. in gratiam juniorum Corbeiæ novæ Monachorum apud Saxones qui recens ad Fidem perducti fuerant. Quo in opere doctrinam præſentiæ realis ita clare aſtruit, ut cum ejus momentorum vim eludere non poſſent Calviniſtæ, finxerunt Paſchaſium novæ doctrinæ parentem, ita D. Claude & Albertinus, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Falſum eſt Paſchaſium hocce nono ſæculo fuiſſe Novatorem, & Fidem circa

præſentiam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia fuiſſe immutatam.

Probatur 1. quia ut mox dicebamus, Paſchaſius Radbertus licet aperte, ut fatentur iſti Novatores, profiteatur Dogma præſentiæ realis, tamen non aliter loquitur nec diſertius quam ſupra citati Autores. *Nullus*, inquit cap. 1. moveatur, *de hoc Corpore Chriſti & Sanguine quod in myſterio vera ſit Caro & verus Sanguis, dum ſic ille voluit qui creavit; omnia enim quæcum voluit Dominus fecit in Cœlo & in terra. Et quia voluit, licet figura Panis & Vini hic ſit, omnino nihil aliud quam Caro Chriſti & Sanguis poſt Conſecrationem credenda ſunt. Unde ipſa veritas ad Diſcipulos, hæc inquit, Caro mea eſt pro mundi vita: &, ut mirabilius loquar, non alia plane quam quæ nata eſt de Maria & paſſa in Cruce & reſurrexit de Sepulchro*. Quibus ſimilia omnino docuerunt SS. Patres ſupra laudati. Unde profecto fictitium eſt aſſerere Paſchaſium novam induxiſſe Fidem circa Dogma præſentiæ realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

2. Novatorem non fuiſſe Paſchaſium facile intelligitur ex illius ſtilo & ſcribendi ratione, procedit enim ſimpliciter; Dogma præſentiæ realis ut certum & ab omnibus receptum aſtruit; non miratur, ut ſolent Novatores, quomodo hæc ſua doctrina hucuſque fuerit incognita & ignorantiæ tenebris obvoluta, quod argumento eſt certiſſimo illam doctrinam Eccleſiæ tunc communem & ab omnibus receptam publicaſſe.

3. Quia ſcribit Paſchaſius hanc ſuam de veritate Corporis & Sanguinis Chriſti doctrinam ab omnibus unverſaliter eſſe receptam; in Epiſtola ſcilicet ad Frudegardum hæc habet: *Videat qui contra hoc venire voluerit magis quam credere, quid agat contra ipſum Dominum & contra omnem Eccleſiam ... ideo quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen eſt adhuc in aperto qui hoc ita eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur....*

nefandum ergo ſcelus eſt, orare cum omnibus & non credere quod ipſa veritas teſtatur, & ubique omnes univerſaliter verum eſſe fatentur. Siccine vero loqueretur Paſchaſius? qua fronte auſus fuiſſet tam affirmate dicere, hanc veritatem eſſe omnium Eccleſiarum & totius orbis Fidem, ſi quid novi, ſuamque privatam opinionem protuliſſet?

4. Quia plane incredibile eſt ſimplicem Monachum nullius fere nominis, nullius autoritatis, talem novitatem introduxiſſe non reclamantibus Doctoribus, Theologis, Epiſcopis, & Academiis qui in hujus hominis verba priſtinam ſuam Fidem ſtatim mutaverint: docet nos Hiſtoria Eccleſiaſtica, ubi facta eſt aliqua mutatio vel minima in Fidei articulis, totam illico commotam fuiſſe Eccleſiam, ut temporibus Arii, Macedonii, Neſtorii, Eutichetis, &c. in eorum novitates reclamarunt fortiter omnes Epiſcopi, & Fideles ipſi. Rupta fuit pax cum illis Novatoribus, adverſus illos Concilia coegerunt Præſules, ut coerceretur novitas: ſed temporibus Paſchaſii publicato ejus libro nihil tale contigit, nemo reclamavit, a nemine habitus eſt Hæreticus, imo in Concilio Pariſienſi an. 845. appellatur ab Epiſcopis *Venerabilis Frater* in privilegio quod ejus precibus conceſſerunt Cœnobio Corbeienſi: igitur.

5. Quia hæc mutatio Fidei, & doctrinæ quam Calviniſtæ factam ſupponunt circa præſentiam realem promovente Paſchaſio, eſt omnino impoſſibilis, ſiquidem in illo ſyſtemate ſupponendum eſt hoc Dogma præſentiæ realis plane inauditum & incognitum omnibus Chriſtianis nono ſæculo, & ſtatim ex ſimplici cujuſdam Monachi propoſitione facta in exiguo quodam libello qui nonniſi Catechiſmus reputari poteſt, ab unverſa Eccleſia fuiſſe receptum nemine contradicente, crediderint ſcilicet omnes Chriſtiani Paſtores, omnes Epiſcopi, Doctores & alii Litterati communem & hucuſque receptam in Eccleſia Fidem fuiſſe, Euchariſtiam merum eſſe Panem, qui non alia ratione dicitur Corpus Chriſti, quam quia ejus figura eſt & ſignum. Et quaſi in Paſchaſii verba jurantes ex ſimplici ejus teſtimonio ſtatim in aliam extremam ſententiam abeuntes, inceperint credere & profiteri Euchariſtiam continere verum realiter & ſubſtantialiter Corpus Chriſti, inceperint adorare quod merum Panem, meram creaturam reputabant, & quod ita eſſe ſemper ab infantia edocti fuerant a ſuis Paſtoribus. Quis ejuſmodi mutationem poſſibilem eſſe ſibi in animum induxerit?

6. Frivola eſt & omnino abſurda alia Calviniſtarum ſuppoſitio, qui dicunt hac facta a Paſchaſio publicatione Dogmatis præſentiæ realis, ſenſim ſine ſenſu hanc opinionem omnium animos pervaſiſſe favente ſæculi decimi ignorantia. Sed quis crediderit ignorantiam ita in omnes Eccleſias exundaſſe, ut nullus extiterit Epiſcopus, nullus Paſtor, nullus in Academiis Doctor, nullus in Eccleſiis Parochus, qui animadverteret Fidem Catholicam mutari in re ſcilicet omnibus obvia, erga Sacramentum quod quotidie ſumebatur a Fidelibus, & in doctrina demum quæ tradebatur & in concionibus & in ſcriptis Theologorum & in Catechiſmis pro Laicis.

Objiciunt Calviniſtæ, teſtatur ipſe Paſchaſius Comment. in cap. 26. Matth. ſe a quibuſdam fuiſſe reprehenſum; *Audivi*, inquit, *quoſdam me reprehendere quaſi ego in eo libro quem de Sacramentis Chriſti ediderim, aliquid his dictis plus tribuere voluerim, aut aliud quam ipſa veritas repromittit*. & Epiſt. ad Frudegardum ait, plures fuiſſe commotos ad lectionem hujus ſui operis: ſignum eſt igitur illum novam tunc tradidiſſe doctrinam.

Reſp. nihil omnino fuiſſe hanc reprehenſionem de qua loquitur Paſchaſius, *Audivi*, inquit, *quoſdam me reprehendere*. & Epiſt. ad Frudegar. *Miror quid velint quidam nunc dicere*. Loquitur Paſchaſius de quibuſdam hominibus obſcuris & nullius nominis, *Ideo*, inquit, *quamvis quidam de ignorantia errant, nemo tamen*

eſt

Digitized by Google

eſt adhuc in aperto qui ita hoc eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur. 2. Commoti ſunt illi non propter Fidem & Dogma præſentiæ realis, ſed propter nonnullas Scripturarum interpretationes a Paſchaſio datas, quæ ipſis non arridebant, *ad intelligentiam hujus myſterii*, inquit: ubi per intelligentiam ſignificatur explicatio effectuum Euchariſtiæ, vel etiam quod fortaſſe clarius & expreſſius quam quivis alius antea Scriptor Eccleſiaſticus Dogma præſentiæ realis explicuit, ita ut ad ſummum dici poſſit Novator erga myſterium Euchariſtiæ, quemadmodum Sanctus Athanaſius erga divinitatem verbi, & S. Auguſtinus erga Peccatum Originale, & Gratiæ neceſſitatem.

Objiciunt inſuper in doctrinam Paſchaſii ſtatim inſurrexiſſe Amalarium, Heribaldum, Rabanum, Prudentium, Herigerum Abbatem, Ratramnum, & quoſdam alios hujuſce temporis; argumento eſt certiſſimo novam tunc doctrinam tradidiſſe Paſchaſium.

Reſp. 1. gratis affirmari a Sacramentariis hoc Autores in Paſchaſium Radbertum inſurrexiſſe, id enim certo non apparet. Nemo illum erroris vel hæreſeos accuſat, potuerunt enim quidam aliud ab illo ſentire, quoad ſpectat intelligentiam hujus Myſterii, ſed inde non ſequitur eum merito cenſeri Novatorem: indicium novitatis eſſet, ſi ab Epiſcopis, Doctoribus vel Synodis fuiſſet reprehenſus. 2. Si revera in Paſchaſium ſcripſere illi Autores, eum in hoc ſolo loquendi modo redarguerunt, quod dixiſſet Corpus Chriſti in Euchariſtia illud idem eſſe quod natum ex Maria Virgine; ita ut tamen controverſia non in ipſo Dogmate ſed in ſola vocum diverſitate fuerit poſita: fatebantur enim omnes illi, verum Chriſti Corpus eſſe realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia; ſed non putabant recte dici poſſe, Corpus Chriſti Euchariſticum idem eſſe Corpus quod natum eſt de Maria Virgine & paſſum in Cruce. Scilicet aſſueveant aliis Patrum teſtimoniis, SS. Hieronymi præſertim & Auguſtini, qui triplex Chriſti Corpus diſtinxere, nempe Corpus naturale quod natum eſt de Maria Virgine, Corpus quod eſt in Euchariſtia ſuper Altare, & Corpus. Myſticum quod eſt tota Eccleſia: dixerat autem Paſchaſius Epiſt. ad Frudegardum, *Ne ſequaris ineptias de tripartito Chriſti Corpore.*

Idque conſtat tum ex modo quo illi Autores impugnant Paſchaſii doctrinam, tum ex eo quod diſertiſſime aſtruunt in iiſdem locis præſentiam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia: nam v. g. Rabanus lib. 7. de ſacris Ordinationibus cap. 10. *Quis unquam crederet quod Panis in Carnem potuiſſet converti, niſi ipſe Salvator diceret qui Panem & Vinum creavit & omnia ex nihilo fecit, facilius eſt aliquid ex alio* facere, quam omnia ex *nihilo creare*. Hoc vero tantum ſenſu quem mox expoſui, Rabanum impugnaſſe præſentiam corporalem Chriſti, manifeſte colligitur ex verbis ipſis quæ objiciuntur, puta ex Epiſtola quam ſcripſit ad Heribaldum, ubi ſic habet, *Quidam nuper de ipſo Sacramento Corporis & Sanguinis Domini non rite ſentientes dixerunt, hoc ipſum Corpus & Sanguinem Domini quod de Maria Virgine natum eſt, & in quo ipſe Dominus paſſus eſt in Cruce, & reſurrexit de Sepulchro, idem eſſe quod ſumitur de Altari*. Ubi, ſi Paſchaſium impugnavit Rabanus, in eo fuit pugna quod in mente Rabani non ſatis diſtinguebat Paſchaſius Corpus Euchariſticum a Corpore naturali contra morem apud veteres uſitatum, eo videlicet fundamento fretus, quod SS. Hieronymus & Auguſtinus non ita locuti fuerint, ſed triplex Chriſti Corpus diſtinxerint, ut mox explicui. Unde etiam refellit ipſum inſuper habita autoritate S. Ambroſii quem Paſchaſius citaverat ad marginem.

Amalarius nec ſcripſit in Paſchaſium quem nullo in loco appellat, nec aliunde impugnat Dogma præſentiæ realis, quam imo diſertiſſime aſtruit lib. 3. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 24. his verbis, *Hic*

credimus naturam ſimplicem Panis & Vini mixti verti in naturam rationabilem ſcilicet Corporis & Sanguinis Chriſti.

Heribaldi Antiſſiodorenſis alia non eſt cauſa quam Amalarii, & de eo ex dictis de Amalario judicandum eſt; nam Guilelmus Malmesburienſis in Epitome eos ſimul jungit, unde exiſtimandum eſt Heribaldum recte de præſentia reali ſentire, ut & ipſum Amalarium.

Quod ſpectat Prudentium Tricaſſinum, Claudius inter recentiores Calviniſtas inſignis concludit Prudentium & Scotum Erigenam negaſſe præſentiam realem ex iſtis Hincmari verbis lib. de prædeſt. cap. 31. ubi cum paulo ante nominaſſet Prudentium & Scotum ſic loquitur: *Sunt & alii qui vocum novitatibus delectantes, unde ſibi inanes comparent ramuſculos, contra Fidei Catholicæ veritatem dicunt, videlicet quod trina ſit Deitas, quod Sacramentum Altaris non verum Corpus & verus Sanguis ſint Domini, ſed tantum memoria veri Sanguinis ejus*.

At 1. certum non eſt Hincmarum verba iſta, *ſunt & alia*, *&c.* referre ad Prudentium & Scotum ſupra nominatos: 2. licet ad eos referrentur, non inde ſequeretur tribui Prudentio, quod negaverit præſentiam realem: veriſimile eſt enim eum accuſare Scotum circa articulum præſentiæ realis, quem hac in parte erraſſe fatentur omnes, Prudentium vero, quod dixiſſet trinam eſſe Deitatem.

De Herigero tantum abeſt, ut Paſchaſii doctrinam impugnaverit, quin eam potius laudaverit impenſius; nonnullis enim dicentibus in Euchariſtia aut ſolam figuram aut ſolam veritatem eſſe, illis opponit Paſchaſii autoritatem cap. 4. *Sed Paſchaſius Radbertus*, inquit, *ſicut & alia multa in eodem libro ultra humanam exiſtimationem utiliter tractat, ita & huic Sophiſmati fortiter obviat dicens figuram non ſemper umbram eſſe*. Quoad Ratramnum attinet, ejus doctrinam circa hoc præſentiæ realis caput explicabimus infra ac defendemus.

Objicies impoſſibilem non eſſe illam mutationem in Eccleſia quæ inceperit credere præſentiam corporalem Chriſti in Euchariſtia quam antea non credebat, imo maxime poſſibilem, abunde probant multa ſimilium mutationum exempla; hæ quippe mutationes eodem modo factæ ſunt ſenſim ſine ſenſu, quibuſdam primum obmurmurantibus, ſed poſtea conſentientibus; ita ut intra ſpatium unius ſæculi per totam Eccleſiam nemine contradicente invaluerint.

1. Enim Eccleſia Latina quæ novem prioribus ſæculis ad conficiendan Euchariſtiam utebatur Pane fermentato, decimo incepit, juxta Sirmondum, adhibere Panem azymum.

2. Nemo neſcit inſignem contigiſſe mutationem in uſu imaginum, per multa enim ſæcula incognitus fuit imaginum cultus, & tamen octavo ſæculo a Synodo generali aſſertus, videlicet in Nicæno II.

3. In hac ipſa materia Euchariſtiæ uſque ad decimum tertium ſæculum Laicis data fuit ubique Communio ſub utraque ſpecie, quæ tamen poſtea ex præcepto Eccleſiæ ſolis reſervata eſt Sacerdotibus Miſſam celebrantibus. Quare mirum videri non debet quod Dogma de præſentia reali ſenſim ſine ſenſu in Eccleſiam irrepſerit.

Reſp. ab omni ratione alienum eſſe hæc proferre exempla mutationum quæ contigerunt in rebus non ad Fidem ſed ad diſciplinam tantum pertinentibus, quia nil impedit quominus nova quæpiam diſciplina introducatur, Fides autem eſt eſſentialiter una & invariabilis. Nova diſciplina ſine errore invehitur ſicut alia vetus inculpate relinquitur: ſed penes ipſam Eccleſiam non eſt Fidem a Chriſto præſcriptam mutare. Quapropter fieri nunquam potuit, ut in Eccleſia mutatio circa præſentiam realem contigerit cum ſit res ad Fidem pertinens, quod abunde probavimus ex eo quod ab ipſis Apoſtolorum temporibus Patres omnes Græci & Latini eandem profeſſi ſunt doctrinam, uno ore teſtati ſunt ipſum Chri-

Chriſti Corpus eſſe realiter in Euchariſtia, Panem & Vinum converti in Corpus & Sanguinem Chriſti, quemadmodum Aqua olim a Chriſto converſa fuerat in Vinum, &c. quod idem docuerunt noni ſæculi Scriptores ut & ipſe Paſchaſius.

Jam vero ut unum aut alterum verbum dicatur de iſtis in particulari exemplis. Primum quod proferunt Calviniſtæ, certe minus appoſitum eſt, falso enim ſupponitur Eccleſiam Latinam Pane fermentato uſam fuiſſe novem prioribus ſæculis, ut infra oſtendetur.

Secundum quod ſpectat, diximus in Tractatu Incarnationis duo eſſe diſtinguenda in imaginibus, unum quod pertinet ad Fidem & ideo quod fuit ſemper certum & invariabile, videlicet cultum imaginum Fidei non eſſe contrarium, alterum quod meram reſpicit diſciplinam ſcilicet habendas eſſe & exponendas imagines; in priori autem capite nulla contigit mutatio, licet in poſteriori diverſa fuerit Eccleſiæ praxis.

Tertium denique mutationis exemplum perperam a Calviniſtis objicitur, cum enim, ut fuſius oſtendetur infra, Communio Calicis non fuit pro omnibus a Chriſto præcepta, jure potuit Eccleſia eam legitimis de cauſis Laicis adimere, præſertim cum ex diverſis Communionum generibus conſtet ſub una tantum ſpecie nonnunquam communicaſſe Fideles.

Neque vero audiendi ſunt quidam alii Calviniſtæ, qui hanc mutationem Dogmatis circa præſentiam realem referunt ad Anaſtaſium Sinaitam, qui, ut aiunt, prima hujus doctrinæ jecit fundamenta ſeptimo ſæculo, negans expreſse loco ſupra citato Euchariſtiam non eſſe antitypum Corporis Chriſti ſed ipſum Corpus. Quam loquendi rationem uſurpavit, inquiunt, Epiphanius Diaconus in Concilio Nicæno II. quod eſt ſeptimum generale, ut patet ex ejus verbis ſupra laudatis; unde hanc doctrinam ſenſim ſine ſen[illegible]ſu hauſerunt Orientales.

Certe iiſdem fere momentis mox adductis hoc commentum facile revincitur; ſcilicet omnino incredibile eſt ob unius Anaſtaſii in Monte Sinai Monachi autoritatem, Univerſam Eccleſiam obmutuiſſe; ita ut, cum antea crederetur ubique gentium Euchariſtiam non eſſe niſi figuram Corporis Chriſti, & merum exhibere Panem, omnes Epiſcopi, Paſtores, Doctores, & Academiæ inceperint credere illo Sacramento contineri verum Corpus & verum Sanguinem Chriſti, quantumvis nullum ſuper illo capite habitum fuerit Concilium; nulla inter Fideles & litteratos excitata fuerint jurgia, nullæ contradictiones. Quod autem mutatio hæc facta fuerit in re tanti momenti non ad diſciplinam, ſed ad Fidem pertinente, nemine reclamante ergo quidem nunquam crediderim.

Deinde hoc Dogma non minus clare aſſeritur a S. Joanne Damaſceno qui ſcripſit circa an. 740. adeoque priuſquam Epiphanius Diaconus loqueretur in Concilio Nicæno, ſic enim habet lib. 4. de Fide cap. 14. *Quemadmodum naturaliter per comeſtionem tranſmutatur Panis in Corpus comedentis, & fit alterum Corpus, ſic propoſitus Panis, itemque Vinum & Aqua per invocationem & adventum Spiritus Sancti ſpiritualiter tranſmutatur in Corpus Chriſti & Sanguinem, & non ſunt duo ſed unum Corpus... non eſt Panis & Vinum figura Corporis Chriſti & Sanguinis, abſit, ſed Corpus.* Quomodo loquuntur alii quammulti Autores ſeptimi & octavi ſæculi: igitur Epiphanius Diaconus qui an. 787. diſſeruit in Concilio VII. generali, hanc opinionem non diſſeminavit in Oriente, nec ullo fundamento cenſeri poteſt Novatoris perſonam agiſſe.

Id rurſus confirmatur ex argumentis quæ ex æquo probant nec Anaſtaſium Sinaitam, nec Paſchaſium novitatis inſimulari merito poſſe, cum præſentiam realem profeſſi ſunt. Scilicet cum undecimo ſæculo Berengarius docuit Euchariſtiam non aliud eſſe quam figuram Corporis Chriſti, ſtatim in eum velut Novatorem

torem

torem & Hæreticum tota inſurrexit Eccleſia, is fuit ubique & in Gallia & in Italia multis in Conciliis damnatus.

2. Quotquot in eum ſcripſerunt Autores, teſtantur ejus doctrinam apud omnes Chriſtianos peſſime audire; ſic enim v. g. illum alloquitur Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 22. *Si verum eſt quod de Corpore Chriſti tu credis & aſtruis, falſum eſt quod ab Eccleſia ubique gentium de eadem re creditur & aſtruitur. Omnes enim qui Chriſtianos ſe eſſe & dici lætantur, veram Chriſti Carnem verumque ejus Sanguinem, utraque ſumpta, de Virgine in hoc Sacramento ſe percipere gloriantur. Interroga univerſos qui Latinæ linguæ noſtrarumque litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, ſeu cujuslibet nationis quoſcunque Chriſtianos homines, uno ore hanc Fidem teſtantur ſe habere.* An vero tam affirmate loqueretur Lanfrancus, niſi certe apud omnes conſtitiſſet, Univerſam Eccleſiam credere & profiteri corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia?

Quapropter Lanfranco hac in parte conſentiebat Berengarius, qui, ut ſolent Hæretici, non dubitavit dicere Eccleſiam defeciſſe, id enim ipſi exprobrat Lanfrancus cap. 23. his verbis: *Adverſus tam clara ipſius Domini & Sancti Spiritus ejus de Eccleſia, & de ſtatu Eccleſiæ teſtimonia objicis tu, & objiciunt qui a te decepti alios decipere moliuntur. Itaque dicis: Prædicatum eſt Evangelium in omnibus Gentibus, credidit Mundus, facta eſt Eccleſia, crevit, fructificavit, ſed imperitia male intelligentium poſtea erravit & periit. In nobis ſolis, & in his qui nos ſequuntur, ſancta in terris Eccleſia remanſit.* Quod invicte probat Berengarium fuiſſe Novatorem, non Paſchaſium, neque Anaſtaſium Sinaitam.

Caput VI.

Aſſeritur idem Dogma rationibus Theologicis.

AD aſſerendum hoc Catholicum Dogma de præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti, addimus nonnullas rationes Theologicas, hoc eſt, quædam ratiocinia quæ ex laudatis ſupra autoritatibus manifeſte ſequuntur.

Prima eſt, quia legitur paſſim apud omnes Patres Corpus Chriſti confici & contrectari a Sacredotibus, poni ſuper Altare & manducari. Sed iſta probant manifeſte præſentiam realem, ſi enim Euchariſtia eſſet tantum figura Corporis Chriſti, non ita affirmate hæc dicerentur, nec tam frequenter; ut enim nemo neſcit, raro uſurpantur metaphoræ pro rebus ipſis.

Secunda eſt, quia certo ex SS. Patribus conſtat Euchariſtiam adorari & fuiſſe adoratam, ut habetur apud S. Chryſoſtom. Homil. 61. ad Populum Antiochenum; apud S. Auguſt. in Pſal. 68. apud S. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. ut fuſius probabitur in fine hujuſce Tractatus. Sed ſi Euchariſtia contineret ſolum figuram Corporis Chriſti, non fuiſſet ab antiquis adorata, quemadmodum aqua Baptiſmi non adoratur in Eccleſia, quamvis ſit productiva gratiæ, & ſignum Spiritus Sancti, & Sacramentum a Chriſto inſtitutum.

Tertia eſt, quia Patres, ut probent Chriſtum eſſe præſentem in Euchariſtia, duplici potiſſimum utuntur exemplo, nimirum exemplo Aquæ quam Chriſtus in Nuptiis Cana convertit in Vinum, ut S. Cyrillus Jeroſol. ſupra laudatus; & exemplo Incarnationis in qua Verbum Dei naturam humanam aſſumpſit, ut habetur apud S. Juſtinum Apolog. 2. & S. Hil. lib. 8. de Trinit. ſed ex illis exemplis recte colligitur præſentia realis; Aqua enim vere fuit & ſubſtantialiter converſa in Vinum, & Verbum Dei vere non figu-

rate.

Digitized by Google

rate tantum naturam humanam aſſumpſit.

Quarta demum eſt, quia Patres loquuntur de præſentia Chriſti in Euchariſtia velut de ſtupendo quodam & ineffabili myſterio; habent illud ut magnum omnipotentiæ divinæ miraculum, excitant Fideles ad illud credendum Fide divina & ſine ratiocinio, aiunt rem non eſſe metiendam ex ſenſuum judicio, ſed ex verbis Chriſti; atqui ſi Euchariſtia eſſet merus Panis poſt ſanctificationem ſignificans ſolum Corpus Chriſti ut ejus figura & imago, ibi nullum eſſet myſterium, nihil ineffabile aut ſaltem id non eſſet tam ſtupendum, id non eſſet magnum omnipotentiæ divinæ miraculum: igitur Euchariſtia ſpectari non debet ut mera Corporis Chriſti figura, ſed ut verum realiter & ſubſtantialiter Chriſti Corpus.

CAPUT VII.

Solvuntur objectiones e SS. Patribus petitæ.

IN his SS. Patrum teſtimoniis quæ prope innumera proponuntur a Calviniſtis adverſus præſentiam realem, ut videre eſt in grandi volumine Albertini de Euchariſtia, duo fere tantum occurrunt, ex quibus ſuas conficiunt objectiones; unum quod Patres Euchariſtiam appellant Panem; alterum quod eam dicunt figuram & ſignum Corporis Chriſti. Hæc SS. Patrum loca nihil neceſſe eſt exſeribere, ſatis ſit utramque objectionem diluere impreſentiarum; ſi quid autem aliud obſcurum & in ſpeciem præſentiæ reali contrarium ſuperſit in eorum ſcriptis, id breviter explicabimus.

Objiciunt itaque, 1. familiare eſſe Patribus, ut dicant Euchariſtiam eſſe Panem, Panem Dominicum, Panem ſanctum, in hoc Sacramento aliquid eſſe materiale & terrenum, &c. igitur non exiſtimabant Euchariſtiam eſſe Corpus Chriſti vere & realiter.

Reſp. nihil omnino eſſe difficultatis in illis omnibus Patrum locis, quæ ad nauſeam uſque objiciunt Novatores; promptum enim erat Patribus Euchariſtiam appellare Panem, ſeu quia confecta fuit ex Pane, ſeu quia remanent Panis accidentia: & adeo verum eſt inferri non poſſe propterea Patres non admiſiſſe præſentiam realem, ut non aliter locuti fuerint Scriptores Eccleſiaſtici poſt nonum ſæculum, & ex quo fatentibus Calviniſtis recepta eſt in Eccleſia Tranſubſtantiatio; hi enim omnes non dubitant Euchariſtiam appellare Panem, Panem ſanctum, Panem Domini, Panem ſanctificatum, unde & Eccleſia ſine ullo ſcrupulo canit Euchariſtiam eſſe Panem Angelorum, *Ecce Panis Angelorum*. Imo in Canone Miſſæ in Oratione, quæ incipit, *Unde & memores*. poſt Conſecrationem omnino peractam recitari ſolita, Sacerdos Euchariſtiam Panem vocat, *Panem ſanctum*.

Obj. 2. Patres fere omnes dicunt Euchariſtiam eſſe figuram, typum, ſignum, ſymbolum Corporis Chriſti, nihil frequentius in eorum ſcriptis; ſed figura rei cujuſpiam non eſt res ipſa realiter cujus eſt figura & imago: igitur non credebant Euchariſtiam eſſe verum ſubſtantiale Chriſti Corpus.

Reſp. ejuſmodi Patrum locutiones neutiquam adverſari præſentiæ reali, quod nimirum in rei veritate, juxta communem SS. Patrum ideam, licet Euchariſtia ſit totum quoddam ex ſpeciebus Panis ac Vini & ex Corpore ac Sanguine Chriſti compoſitum, ea tamen eſt aliunde figura, ſignum, & Sacramentum. Quod ut intelligatur, duo ſupponenda ſunt tanquam certiſſima. 1. Euchariſtiam fuiſſe ab antiquis Patribus conſideratam ſub multiplici reſpectu, quod idem etiamnum fit a Catholicis. Eam videlicet conſiderabant dogmatice ut myſterium ineffabile continens ipſum ſubſtantiale Chriſti Corpus; quandoque dicebant Chriſtum ibi eſſe ſub figura, ſub ſigno, ut diſtinguerent Corpus Chriſti ſacramentale; a naturali

rali quoad modum exiſtendi, & ſignificarent Corpus Chriſti in hoc Sacramento non eſſe manifeſtatum & in aperto; aliquando Euchariſtiam ſpectabant ut figuram & Commemorationem Paſſionis Dominicæ, aliquando prout eſt ſignum & figura Corporis Chriſti myſtici ſeu Eccleſiæ, cum qua nimirum id habet ſimilitudinis, ut fiat ex Pane qui ex multis frumenti granis conficitur, ſicut Eccleſia ex multis Fidelibus coaleſcit, item illam conſiderabant ut cibus eſt quidam & alimonia ſpiritalis; ac denique eam aliis & diverſis ſub reſpectibus ſumebant pro ſubjecta materia, & oblata differendi ratione ac propoſito.

2. Tanquam certum tenendum eſt eoſdem SS. Patres, cum Euchariſtiam conſiderant ſub uno reſpectu, non idcirco negare alium quemvis ipſi competera titulum & proprietatem; cum v. g. pro data occaſione dicunt Euchariſtiam eſſe figuram Dominicæ Paſſionis, minime negant propterea illam eſſe refectionem ſpiritalem, ſignum Eccleſiæ, &c. quia, ut aiunt Dialectici, Abſtrahentium non eſt mendacium; quibus poſitis,

Dico vere quidem Patres non raro Euchariſtiam dicere ſignum, figuram, Sacramentum Corporis Chriſti, ſed non ideo negare præſentiam realem quia loquuntur de Euchariſtia quæ per ſe, in ſe totum eſt compoſitum ex ſpeciebus Panis & Corpore Chriſti, & ſic in rei veritate eſt figura & ſignum Corporis Chriſti, ſcilicet vel Corporis naturalis pendentis in Cruce, juxta Evangelium quod docet hoc Sacramentum eſſe Commemorationem Dominicæ Paſſionis, vel Corporis myſtici ſeu Eccleſiæ juxta S. Paulum dicentem, *Unus Panis, unum Corpus multi ſumus*. Vel denique eo ſenſu quod Corpus Chriſti non ſit manifeſtatum ſed ſub figura poſitum in Euchariſtia.

Non aliam eſſe Patrum mentem conſtat 1. ex ipſis eorum textibus, ut mox patebit, cum eos ſigillatim percurremus: 2. ex eo quod iidem Patres, qui paſſim dixerunt Euchariſtiam eſſe figuram, & ſignum Corporis Chriſti agnoſcunt aliunde præſentiam realem, eamque profitentur verbis diſertiſſimis: 3. quia etiam a nono ſæculo Catholici, qui ſine dubio, fatentibus Calviniſtis, admittunt Dogma præſentiæ realis, non dubitarunt dicere Euchariſtiam eſſe ſignum, figuram & imaginem Corporis Chriſti; ſic v. g. S. Bernardus Serm. 3. in Pſal. Qui habitat. *Quid autem eſt*, inquit, *manducare ejus Carnem, & bibere ejus Sanguinem, niſi communicare Paſſionibus ejus, & eam converſationem imitari quam geſſit in Carne?* Unde & familiare nobis eſt Euchariſtiam appellare Sacramentum, Sanctum Sacramentum.

Objicies 1. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. Chriſtum non eſſe Deo Patri contrarium probat, ex eo quod in ſuis Myſteriis adhibuit res a Deo Patre creatas. *Nec aquam reprobavit Creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum quo ſuos ungit ... nec Panem, quo ipſumCorpus ſuum repræſentat:* igitur ex Tertulliano Euchariſtia eſt ſignum duntaxat repræſentans Corpus Chriſti.

Reſp. hoc verbum, *repræſentare*, non ſemper uſurpari pro mera rei alicujus figura, & imagine, ſed & ſæpius ſignificare, rem præſentem exhibere, tum apud Autores Eccleſiaſticos, tum apud Prophanos; quin & ipſe Tertullianus lib. 4. contra Marc. cap. 22. ait Deum Patrem repræſentaſſe Filium ſuum in Monte Thabor, id eſt præſentem exhibuiſſe, cum dixit: *Hic eſt Filius meus*. Unde nihil infertur ex hoc loco.

Inſtabis. Lib. 4. ejuſdem operis cap. 40. docet expreſſe hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, nonniſi de figura Corporis Chriſti eſſe intelligenda, ſic enim habet. *Acceptum Panem & diſtributum Diſcipulis Corpus illum ſuum fecit, Hoc eſt Corpus meum dicendo, id eſt, figura Corporis mei:* igitur Euchariſtia non continet niſi figuram Corporis Chriſti.

Solent reſpondere Tertullianum eo loci uſum eſſe tranſpoſitione; ita ut hujus propoſitionis, *Hoc eſt Corpus meum dicendo*,

Google

do, *id eſt*, *figura Corporis mei*. hic ſenſus ſit, *hoc* ſeu *hic Panis*, qui in veteri lege fuit figura Corporis mei, eſt Corpus meum; unde hæc verba, *Id eſt*, *figura Corporis mei*, ponuntur ibi per tranſpoſitionem, & referuntur ad pronomen *hoc*, non ſunt autem explicativa iſtorum. *Hoc eſt Corpus meum*. Confirmatur hæc interpretatio, ex eo quod Tertulliano familiares ſunt ejuſmodi tranſpoſitiones, ut videre eſt v. g. in lib. contra Praxeam cap. 29. ubi ſic loquitur, *Quoniam Chriſtus mortuus eſt*, *id eſt unctus*. Quaſi dixiſſet, quoniam Chriſtus, id eſt unctus, mortuus eſt; hanc ſolutionem non improbamus.

Verum aliter reſponderi poteſt diſtinguendo ant. Tertullianus explicat hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum* de figura Corporis Chriſti, prout pendentis in Cruce, & aliunde ſupponit præſentiam realem in Euchariſtia, C. excludit præſentiam realem quaſi Euchariſtia ſit merus Panis, & figura vacua Corporis Chriſti, N. Tertullianus itaque dicit Panem conſecratum ab ipſo Chriſto, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ fuiſſe figuram Corporis Chriſti pendentis in Cruce, ſed, ut ſupra dictum eſt, non idcirco negat hunc Panem fuiſſe factum verum & ſubſtantiale Corpus Chriſti, ſic enim ut loqueretur, poſtulabat ejus inſtitutum. Nam agit contra Marcionem, qui negabat verum eſſe in Chriſti Corpus, ajebat illum non habuiſſe niſi Carnem phantaſticam, contra vero Tertullianus probat verum fuiſſe Corpus in Chriſto, quia fuit aliqua hujus Corporis figura, nempe Euchariſtia, & quia, ut ait: Quidquid habet figuram ſui, debet conſequenter eſſe verum quid & reale: ratio hæc diſputandi patet ex verbis ſequentibus, *Figura autem non fuiſſet niſi veritatis eſſet Corpus*. *Cæterum vacua res quod eſt phantaſma*, *figuram capere non poſſet*. *Aut ſi propterea Panem Corpus ſibi finxit*, *quia Corporis carebat veritate*, *ergo Panem debuit tradere pro nobis*. Ibi autem nihil docet Tertullianus eo loci quod ullatenus pugnet adverſus præſentiæ realis Dogma, quia Euchariſtia recte dicitur figura Corporis Chriſti in Cruce pendentis, & ſimul in ſe continere verum & ſubſtantiale Chriſti Corpus. Quapropter affirmate dicit Tertullianus Chriſtum accepiſſe Panem in ultima Cœna & illum *feciſſe ſuum Corpus*. Sed ſi non exiſtimaſſet Chriſtum revera mutaſſe Panem in ſuum Corpus, cur non dixiſſet Chriſtum accepiſſe Panem & feciſſe figuram ſui Corporis?

Inſtabis. Lib. 1. contra eundem Marcionem cap. 14. loquitur de Pane Euchariſtico tanquam de ſigno quod repræſentat Corpus Chriſti nulla habita ratione ejus Paſſionis futuræ, *Nec Panem*, inquit, *in quo ipſum Corpus ſuum repræſentat*: igitur putabat Euchariſtiam eſſe merum Corporis Chriſti ſignum.

Reſp. verbum illud *repræſentat* eo loci ſignificare *præſens exhibet*. Parem enim ſenſum ei tribuit ac in loco mox in objectione adducto, ubi ait Deum Patrem repræſentaſſe, hoc eſt præſentem exhibuiſſe Filium ſuum, cum ait in Monte Thabor, *Hic eſt Filius meus*.

Objicies autoritatem Origenis, qui Comment. in cap. 15. S. Matthæi hæc ſcribit, *Quod ingreditur in os non ſanctificat hominem*, *etiamſi a ſimplicioribus credatur*, *ſcilicet as qui vocatur Panis Domini*, *non ſuapte natura ſanctificat*..... *quod ſi id omne quod intrat in os*, *in ventrem abit & in ſeceſſum emittitur*, *& cibus ipſe per Verbum Dei & Orationem conſecratus*, *ſecundum illud ipſum quod materia conſtat*, *in ventrem abit*, *& in ſeceſſum ejicitur*. Ubi tria docet Origenes 1. Euchariſtiam eſſe Panem *qui vocatur Panis Domini*, ſic etenim non locutus fuiſſet, ſi putaſſet eſſe Corpus ipſum Chriſti; 2. ait Panem illum non ſanctificare ſuapte natura, quod non cohæret cum præſentia reali; 3. ſcribit Panem hunc Euchariſticum ad inſtar aliorum ciborum abire in ſeceſſum: quod & cum Tranſſubſtantiatione manifeſte pugnat.

Reſp. tria hæc quæ ex Origenis teſtimonio eruuntur, non militare adverſus

Digitized by Google

præſentiam realem Corporis Chriſti.

Primum quidem, ut enim jam obſervavimus, ab omni ratione alienum eſt dicere, veteres non agnoviſſe præſentiam realem, ex eo quod in ſuis paſſim operibus Euchariſtiam appellant Panem; quandoquidem Autores qui vixerunt poſt undecimum ſæculum, & nata jam Berengarii hæreſi, iiſdem utuntur promiſcue locutionibus, ut enim ſupra diximus, canit adhuc Eccleſia, Euchariſtiam eſſe Panem Angelorum, *Ecce Panis Angelorum*.

Ad ſecundum, vult ſolum Origenes Panem Euchariſticum ſuapte natura non ſanctificare ſublatis diſpoſitionibus & in hypotheſi quod aliquis indigne ad illam accederet, non autem quod de ſe vim non habeat ſanctificandi & Chriſtum ipſum non contineat; addit enim Origenes ibidem, *Nam ſi ita eſſet, ſanctificaret qui indigne comedit Dominum*.

Ad tertium quod ſpectat, potuit Origenes credens præſentiam realem duo diſtinguere in Euchariſtia, videlicet id quod materiale eſt & quod ſpiritale, tum vero addere hunc cibum ſecundum id quod materiale eſt, abire in ſeceſſum, quoquomodo enim nunc explicent Theologi mentem ſuam circa manducationem Euchariſtiæ, & quæ ſequuntur ex illa manducatione, fatentur Euchariſtiam in ſtomachum deſcendere & per eam nutriri poſſe hominem; quatenus, ut communis fert opinio, corruptis ſpeciebus Euchariſticis ſubſtituitur in locum Corporis Chriſti ſubſtantia Panis, quæ ſit alimentum & convertatur in ſubſtantiam hominis.

Obj. S. Auguſtinus expreſſius quam quivis alius docet Euchariſtiam non alio ſenſu appellari Corpus Chriſti, quam quia Sacramentum eſt, ſignum, figura hujus Corporis. Sermone ad infantes, ſic habet: *Quomodo eſt Panis Corpus ejus? & Calix, vel quod habet Calix, quomodo eſt Sanguis ejus? iſta Fratres ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur ....Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, Apoſtolum audi dicentem Fidelibus, Vos autem eſtis Corpus Chriſti & membra*. lib. contra Adimantum cap. 15. *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt Corpus meum, dum daret ſignum Corporis ſui*. Epiſt. 98. ad Bonifacium, ait Euchariſtiam eſſe Corpus Chriſti, ſicut Baptiſmus eſt Fides: ſed Baptiſmus non eſt Fides, nec Fidem in ſe continet, ſed eſt ſolummodo Sacramentum Fidei, *Si Sacramenta*, inquit, *quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacrmenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt, Sicut ſecundum quemdam modum Sacramentum Corporis Chriſti, Corpus Chriſti eſt, Sacramentum Sanguinis Chriſti, Sanguis Chriſti eſt, ita Sacramentum Fidei, Fides eſt*: igitur Euchariſtia appellatur Corpus Chriſti, non quod ſit Corpus Chriſti, ſed quod ſit ejus Sacramentum.

Reſp. S. Auguſtinum appellare Euchariſtiam Sacramentum & ſignum Corporis Chriſti, per Corpus Chriſti intelligendo Eccleſiam, ſeu Corpus Chriſti myſticum; nec tamen propterea negare præſentiam realem, quia ſupponit Euchariſtiam in ſe continere verum realiter & ſubſtantialiter Chriſti Corpus, juxta obſervationem a nobis ſuperius factam, quod nimirum Patres, qui certo credebant præſentiam realem, Euchariſtiam tamen reſpiciebant ut quamdam figuram vel Corporis Chriſti naturalis in Cruce pendentis, vel Corporis myſtici ſeu Eccleſiæ, in quo quidem poſteriori ſenſu placuit S. Auguſtino reſpicere Euchariſtiam, quod ipſi valde familiare fuiſſe vel ſexcentis probari poſſet ejus teſtimoniis. Lib. 3. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. 25. *Nec*, inquit, *quiſquam ſe Chriſtum agnoviſſe arbitretur, ſi ejus Corporis particeps non eſt, id eſt Eccleſiæ, cujus unitatem in Sacramento Panis commendat Apoſtolus dicens, Unus Panis, unum Corpus, multi ſumus*. lib. 1. contra adverſarium legis cap. 19. *Panis quem frangimus nonne communicatio Corporis Domini, quia unus Panis & unum Corpus multi ſumus*. Idem vero & diſertius longe ſcribit in

ſer-

ſermone ad infantes qui objicitur. Neceſſe eſt autem, ut qui voluerit mentem S. Auguſtini aſſequi, Corpus Chriſti, cujus Euchariſtiam eſſe dicit Sacramentum, explicet de Eccleſia; quia & in Epiſt. citata ad Bonifacium & in lib. contra Adimantum, exemplum ſumit ex Euchariſtia, ut probet aliquod ſignum interdum donari nomine rei ſignificatæ, & tamen non eſſe rem illam ſignificatam, ſed tantummodo illius ſignum; quamobrem appoſitum non eſſet exemplum petitum ex Euchariſtia, niſi diceretur Sacramentum Corporis Chriſti ſumpti pro Eccleſia. Verum, ut diximus, hac in parte non adverſatur præſentiæ reali, quia conſtat hunc S. Doctorem aliis in locis agnoſcere verum & ſubſtantiale Chriſti Corpus in Euchariſtia, ut ſupra oſtendimus.

Quanquam vero S. Auguſtinus ſumat ſæpiſſime Euchariſtiam ut ſignum & Sacramentum Eccleſiæ ſeu Fidelium, dum illam appellat ſignum Corporis Chriſti, per Corpus Chriſti intelligens Eccleſiam, nihilominus tamen eandem Euchariſtiam quandoque figuram & imaginem Paſſionis Dominicæ; quod ſimiliter præſentiæ reali Corporis Chriſti neutiquam præjudicat. Conſule quæ ſupra diximus.

Atque hinc intelligitur parum aut nihil difficultatis contineri in eo quod lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 16. S. Auguſtinus ait figurate intelligenda eſſe hæc verba S. Joannis, *Niſi manducaveritis, &c.* ubi ſic habet, *Hæc autem locutio, Niſi manducaveritis Carnem, &c. facinus vel flagitium videtur jubere, figura ergo eſt præcipiens Paſſioni Dominicæ eſſe communicandum.* Dicendum eſt enim S. Auguſtinum recurrere ad ſenſum figuratum, quo nimirum, juxta Scripturam, Euchariſtia eſt Commemoratio Paſſionis Domini, ſed non propterea excludere præſentiam realem, quia juxta allatum principium Euchariſtia ſpectatur ſub uno reſpectu, alius vero non rejicitur.

Objicitur celebris locus Facundi, qui lib. 9. cap. 5. pro defenſione trium Capitulorum, ait Euchariſtiam eſſe Sacramentum Corporis Chriſti, non ipſum Corpus, his verbis, *Poteſt Sacramentum adoptionis*, Baptiſmus ſcilicet, *adoptio nuncupari, ſicut Sacramentum Corporis & Sanguinis ejus, quod eſt in Pane & poculo conſecrato, Corpus ejus & Sanguinem dicimus, non quod proprie Corpus ejus ſit Panis, & poculum Sanguis, ſed quod in ſe myſterium Corporis ejus & Sanguinis contineant .... quocirca ſicut Chriſti Fideles Sacramentum Corporis ejus & Sanguinis accipientes, recte dicuntur accipere Corpus & Sanguinem Chriſti, ſicut & ipſe Chriſtus Sacramentum adoptionis Filiorum cum ſuſcepiſſet, recte dici potuit adoptionem Filiorum ſuſcepiſſe.* Ubi Facundus aperte docet Panem & poculum in Sacramento Euchariſtiæ appellari Corpus & Sanguinem Chriſti, non quod proprie ſint Corpus & Sanguis Chriſti, ſed quod myſterium Corporis & Sanguinis ejus contineant.

Reſp. Facundum qui S. Auguſtinum perſæpe ſequitur & exſcribit, per Corpus Chriſti cujus Euchariſtia eſt Sacramentum, intelligere Corpus Chriſti myſticum ſeu Eccleſiam; unde merito ait ipſum Sacramentum non eſſe Corpus Chriſti, id eſt Eccleſiam, licet aliunde putet Euchariſtiam eſſe totum compoſitum ex Corpore Chriſti & ſpeciebus Euchariſticis. Quæ quidem ſolutio videtur maxime accommodata ad mentem Facundi: neceſſe eſt enim, ut dicatur ſumere Euchariſtiam prout eſt Sacramentum Corporis Chriſti non ipſum Corpus, & prout non continet illud Corpus; aliter appoſitum non eſſet illud exemplum quo utitur ex Euchariſtia petitum. Scilicet volens ibi Fidem vindicare Theodori Mopſueſteni, qui diceret Chriſtum, quando baptiſatus eſt, ſuſcepiſſe filiorum adoptionem, hanc loquendi rationem defendit, ex eo quod is recte dici potuit ſuſcepiſſe adoptionem, qui ſuſcepit Sacramentum adoptionis; quod utique probat ex eo quod Fideles dicuntur recipere Corpus Chriſti, quando recipiunt Sacramentum ejus Corporis; adeo-

que appoſitum eſt hoc exemplum, ſi ſupponatur Facundus ſumere Euchariſtiam prout eſt Sacramentum Corporis Chriſti in hypotheſi quod per Corpus Chriſti intelligit Eccleſiam, quæ proprie non eſt Corpus Chriſti, ſed ejus Sacramentum, ejus ſignum.

Objicies autoritatem Theodoreti qui Dialogo I. ſub nomine Orthodoxi diſputans adversus Eraniſtem ſeu Eutychianum, probat naturam humanam dici in Scripturis veſtimentum divinitatis in Chriſto, ex hoc Geneſeos loco, *Lavabit in Vino ſtolam ſuam, & in Sanguine uvæ Pallium ſuum*, ut inde colligat ambas naturas eſſe diſtinctas, veſtimentum enim diſtinguitur a re veſtita. Orthodoxus. *Sanguinem igitur uvæ Salvatoris appellavit Sanguinem. Si enim Dominus vitis appellatus eſt, & fructus vitis Vinum appellatur, Sanguinis vero & Aquæ rivi ex Domini latere profuſi per reliquum Corpus deorſum manarunt, jure omnino & appoſite vaticinatus eſt Patriarcha, lavabit in Vino, &c. ſicut enim nos myſticum vitis fructum poſt ſanctificationem Sanguinem Dominicum appellamus, ſic vere vitis Sanguinem uvæ Sanguinem nominavit.* Ex quibus verbis ſic arguitur. Ex Theodoreto Vinum poſt ſanctificationem appellamus Sanguinem Chriſti ſicut Patriarcha Jacob Vinum appellavit Sanguinem Chriſti: ſed in iſta prophetia Vinum dicitur tantum Sanguis Chriſti in ſenſu figurato: igitur.

Diſt. maj. ſicut quoad aliqua, C. quoad omnia, N. hæc igitur comparatio, ut moris eſt, non ſtat quoad omnia, quaſi in ſenſu figurato Vinum ſanctificatum in Euchariſtia appelletur Sanguis Chriſti, ſicut deſignaverat eumdem Sanguinem in vaticinio Jacob; in Euchariſtia enim Vinum appellatur Sanguis Chriſti, quia in eum revera fuit mutatum: in vaticinio autem, quia illum præfigurabat tantum, & ſine ulla converſione, ulla mutatione.

Neque vero aliam fuiſſe Theodoreti mentem conſtat, 1. quia hanc comparationem ſolum inſtituit quoad permutationem nominum, ut ipſe paulo poſt declarat, *Salvator autem noſter nomina permutavit, & Corpori quidem id quod erat Symboli nomen impoſuit, Symbolo vero quod erat Corporis;* tametſi aliter intelligendæ ſint propoſitiones quæ comparantur. Hoc unum enim intendit probare, per Sanguinem uvæ in vaticinio Jacob intelligendum eſſe Sanguinem Chriſti, quod quidem ut efficiat, appoſite omnino comparationem petit ex eo quod Vinum ſanctificatum dicitur Sanguis Chriſti, in hypotheſi quod agnoverit præſentiam realem; recte enim Jacob per Vinum ſignificavit Sanguinem Chriſti, ſi hic Sanguis realiter ſit contentus ſub ſpecie Vini in Euchriſtia. 2. Idem colligitur ex eo quod Theodoretus Dialogo II. manifeſte docet Symbola Panis & Vini revera fieri Corpus & Sanguinem Chriſti, & talia eſſe, credi, & adorari, *Intelliguntur autem*, inquit, *ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur, ut quæ illa ſint quæ creduntur.*

Inſtabis. Theodoretus ait paulo poſt, Panem & Vinum eſſe ymbola Corporis & Sanguinis Domini. *Cujus putas Symbolum & figuram eſſe Cibum ſanctiſſimum? divinitatisne Chriſti Domini, an Corporis & Sanguinis?* igitur.

Reſp. id eſſe intelligendum de figura plena, ut ex verbis ſequentibus manifeſtum eſt, ait enim, *Nam Dominus accepto Symbolo, non dixit, Hæc eſt divinitas mea, ſed, Hoc eſt Corpus meum.* Unde concludit adversus Eutychianum, *Si hæc vera, Corpus utique habuit Dominus.*

Inſtabis. Ait ibidem de Chriſto, *Inviſibilia Symbola Corporis & Sanguinis appellatione honorabit:* igitur non putabat factam fuiſſe converſionem.

Nego conſeq. recte enim dixit Panem & Vinum honorata fuiſſe nomine Corporis & Sanguinis Chriſti, ſi reipſa facta ſunt, creduntur, & adorantur ut talia, ut ſcribit Dialogo II. mox citato.

Inſtabis. Addit Theodoretus, *Non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens:* igitur.

igitur non admittit niſi ſanctificationem accidentalem ſine mutatione naturæ, ſeu ſubſtantiæ Panis.

Nego conſeq. quia gratia illa eſt conſecratio per quam Panis & Vinum mutantur in Corpus & Sanguinem Chriſti; fiunt enim, creduntur, & adorantur Corpus & Sanguis Chriſti. Quod ſpectat hæc verba, *Non naturam mutans*, quibus rejici videtur Tranſſubſtantiatio, vide infra cum, ejuſdem Theodoreti doctrinam vindicabimus circa Tranſſubſtantiationem.

Obj. Iconoclaſtæ, quorum alia non fuit Fides ac cæterorum Catholicorum in materia Euchariſtiæ, ſic loquuntur in Synodo Conſtan. an. 754. ubi aderant 338. Epiſcopi adductis verbis quæ ſpectant inſtitutionem Euchariſtiæ. *Ecce ergo imaginem vivifici Corporis ejus pretioſe & honorabiliter factam .... ita & imaginem materiam electam, id eſt Panis ſubſtantiam præcipit offerri, non figurantem hominis formam, ne idololatria ſubintroducatur*. Ubi 1. dicunt Euchriſtiam eſſe Corporis Chriſti imaginem: 2. id non intelligi de imagine plena, ſeu quæ contineret ipſum Chriſti Corpus, conſtat ex eo quod obſervant Chriſtum non inſtituiſſe hoc Sacramentum in Pane figuram humanam habente, ne ſubintroduceretur idololatria: ſi autem exiſtimaſſent Corpus Chriſti vere & realiter contineri in Euchriſtia, nullus fuiſſet timendæ idololatriæ locus.

Reſp. ad primum, Euchariſtiam appellari ab Iconoclaſtis imaginem, ſed plenam aquæ & ipſum Chriſti Corpus contineat: 1. quia expreſse aſſerunt illam ipſum Corpus Chriſti: 2. quia dicunt illam non eſſe falſam & mendacem Corporis Chriſti imaginem. *Hoc enim*, inquiunt, *molitus eſt Dominus Jeſus, ut ſicut Carnem quam ſuſcepit propria ſecundum naturam ſanctificatione ex ipſa unione deificavit, ſimiliter Euchariſtiæ Panem ut verum imaginem naturalis Carnis per adventum Spiritus Sancti ſanctificatam divinum Corpus fieri voluit*. In eorum mente imago vera & non mendax rem continet, cujus eſt imago, unde nullam coli debere imaginem præter Euchariſtiam aſſerebant.

2. Dicunt Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam in Pane, hominis figuram non habente, ne ſubintroduceretur idololatria, non adorando quidem Euchariſtiam, ſed ne idololatræ fierent homines adorando alias imagines pictas vel ſculptas. Nam putabant illi recte adorari Euchariſtiam, cultu ſcilicet latriæ quem ſolum admittebant, idque conſtat ex Stephano Juniore ad Conſtantinum Copronymum, *Antis etiam ſacra antytipa Corporis & Sanguinis Chriſti, ab Eccleſia amandari, quia imaginem veram continent & ea adoramus*: Principium quo nititur hoc argumentum ex adoratione Euchariſtiæ petitum, debuit eſſe commune Iconoclaſtis & Catholicis.

At, inquies, Patres Nicæni II. Act. 6. ubi hanc Iconoclaſtarum doctrinam referunt, eoſdem redarguunt, quod dixerint Euchariſtiam eſſe imaginem Corporis Chriſti: ergo aut iſti aut illi negant præſentiam realem.

Reſp. Iconoclaſtas a Patribus Nicænis fuiſſe reprehenſos, non præcise quod dicerent Euchariſtiam eſſe imaginem Corporis Chriſti, ſed quod in hac parte ſibimetipſis contradicebant, quatenus eam aliunde profitebantur ipſum eſſe Chriſti Corpus, eandem appellabant Corporis Chriſti imaginem. *Dimiſſo mendacio*, inquiunt PP. Nicæni, *tangunt pauxillum quid veritatem, divinum Corpus dicentes fieri, & ſi imago Corporis eſt, non poteſt eſſe hoc divinum Corpus*. Deinde & durior videbatur hæc locutio tunc temporis, quod Euchariſtia diceretur imago Corporis Chriſti: unde veriſimile eſt ea de cauſa a PP. Nicænis Iconoclaſtas fuiſſe in culpam vocatos.

Obj. Ratramnus Corbeienſis Monachus Autor libri de Corpore & Sanguine Domini, ut invictis momentis probat Mabillonius, in præfatione ſecundi ſæculi, ॥ aeram Calvini doctrinam adverſus pra-

præſentiam realem tradit in præfato libro, quem juſſu Caroli Calvi ediderat. Continet hoc opus duas partes; in priori totus eſt, ut oſtendat Chriſti Corpus nonniſi figurate, ſub velo, in figura, in ſigno, in myſterio, non in ſpecie, non in veritate eſſe in Euchariſtia. Num. 11. refert ſententiam quorumdam dicentium, nihil figuratum eſſe in Euchariſtia, *Nam ſi ſecundum quoſdam figurate hic nihil accipiatur, ſed totum in veritate conſpiciatur*, quam ſententiam refellit, Num. 12. *Quoniam ſecundum veritatem ſpecies creaturæ quæ fuerat ante, permanſiſſe cognoſcitur*, ubi negat Tranſſubſtantiationem, uti & Num. 16. his verbis, *Neque iſta commutatio corporaliter, ſed ſpiritaliter facta ſit*. Addit nonnullas comparationes, quæ quidem eo tendunt, ut oſtendatur nonniſi figuram Corporis Chriſti eſſe in hoc Sacramento; inter alias unam adducit ductam e Manna Num. 25. ubi dicit eodem modo nunc Panem converti in Corpus Chriſti, quo modo olim Manna mutatum fuit in idem Chriſti Corpus.

Idem Ratramnus in poſteriori libri ſui parte fuse probat ex profeſſo Euchariſtiam non eſſe Corpus Chriſti naturale, nec idem illud Corpus quod natum eſt de Maria Virgine, paſſum, ſepultum, & reſurrexit. Jam vero cum Ratramnus vir hoc in ſæculo perilluſtris communem tunc & in Eccleſia receptam doctrinam tradiderit, ſequitur manifeſte eam fuiſſe Eccleſiæ Fidem, Corpus Chriſti eſſe tantum in figura, non realiter in Euchariſtia.

Reſp. Ratramnum in neutra ſui libri parte adverſus præſentiam realem ſcripſiſſe. Et quoad primum objectionis caput ſpectat, Ratramnus id unum vult oſtendere, Corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia ſine velo & figura, non aperte & manifeſtum, quaſi nihil omnino ſit in hoc Sacramento quod non pertineat ad ipſum Chriſti Corpus quod videlicet per ſe immediate videatur, tangatur, frangatur; totum illud quod videtur & tangitur, eſſe ipſum Chriſti Corpus; id autem longe differt a doctrina Calviniſtarum, qui non ſolum volunt aliquid eſſe figuræ & myſterii in hoc Euchariſtiæ Sacramento, ſed aiunt nihil aliud eſſe quam figuram & ſignum Corporis Chriſti. Non aliam porro fuiſſe Ratramni mentem conſtat.

1. Quia adverſarios impugnabat dicentes totum quod fit in Euchariſtia, fieri ſine figura & ſine myſterio, Num. 2. *Quod enim dicant*, inquit, *quod nulla ſub figura, nulla ſub obvelatione fiat*. & Num. 5. *Quærit veſtræ magnitudinis excellentia an in myſterio fiat, an in veritate; id eſt, utrum aliquid ſecreti contineat quod oculis ſolummodo Fidei pateat, an ſine cujuſcumque velatione myſterii hoc aſpectus intueatur Corporis exterius, quod mentis viſus aſpiciat interius*. Unde nulla ſupereſſe debet difficultas ad vindicandam Ratramni Fidem; probat enim tantum aliquid eſſe figuræ & myſterii, quod verum eſt & maxime Catholicum; ſunt enim in hoc Sacramento præter Chriſti Corpus ſpecies ſeu accidentia Panis & Vini, ſub quibus tanquam ſub velo & figuris latet hoc divinum Corpus.

2. Quia præſentiam realem in hoc eodem libro paſſim aſtruit Ratramnus, Num. 9. *Exterius quidem, Panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color oſtenditur, ſapor accipitur; aſt interius longe aliud multo pretioſius, multoque excellentius intimatur, quia cæleſte, quia divinum, id eſt, Chriſti Corpus oſtenditur*.

Certe clarius hodie non loquuntur de Euchariſtia Catholici; duo quippe in ea diſtinguit, ſpecies Panis quæ exterius apparent, & Corpus Chriſti interius deliteſcens. & Num. 49. *Ex his omnibus quæ ſunt hactenus dicta, monſtratum eſt, quod Corpus & Sanguis Chriſti quæ Fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figuræ ſunt ſecundum ſpeciem viſiblem, at vero ſecundum inviſibilem ſubſtantiam vere Corpus & Sanguis Chriſti exiſtunt*.

Nec ulla difficultas occurrit in explicandis comparationibus a Ratramno allatis; eas enim ſolum adducit, ut oſten-

dat

dat aliquod myſterium eſſe, & totum non eſſe manifeſtatum in Euchriſtia; quemadmodum in ſacro baptiſmate, in mari, & nube, in Manna, eſt aliquid viſibile & aliqua virtus inviſibilis.

Quoad id vero quod objicitur, Ratramnum in poſteriori libri ſui parte, probare ex profeſſo, Eucharistiam non eſſe idem Chriſti Corpus quod natum eſt de Maria Virgine; dico id intellexiſſe Ratramnum eo ſenſu quod non eſt idem quoad exiſtendi modum, licet idem ſit quoad ſubſtantiam; uti ſupra explicuimus Paſchaſii doctrinam examinando. Cum enim velit oſtendere in Euchariſtia aliquid eſſe myſterii, mirum non eſt quod dicat Chriſtum non eſſe in hoc Sacramento ſecundum veritatem, uti erat in terris natum ex Maria Virgine: quia per veritatem intelligit manifeſtationem; cum ait non eſſe in Carne, intelligit non eſſe in ſtatu naturali. Hoc ſenſu ſcribit, Num. 60. *Corpus Chriſti eſt, ſed non corporaliter*. Idque late probat, ex eo quod eodem modo loquuti SS. Ambroſius, Hieronymus & Auguſtinus, qui duplex vel triplex Chriſti Corpus diſtinguunt, ratione ſcilicet diverſi ſtatus, & quoad modum exiſtendi.

CAPUT VIII.

Solvuntur quædam aliæ objectiones.

OBjiciunt 1. Calviniſtæ, Dogma præſentiæ realis conciliari non poſſe cum ſilentio Paganorum, qui nullam unquam Catholicis propoſuerunt difficultatem de præſentia reali & Tranſſubſtantiatione, licet innumeræ pene obviæ ſint, admiſſis ſemel præſentia reali & Tranſſubſtantiatione, puta quod idem Corpus non poſſit eſſe ſimul in pluribus locis, quod accidentia non poſſint eſſe ſine ſubjecto, quæ tamen occurrunt, ut nemo non videt in hoc Sacramento, ſemel admiſſa præſentia reali, tum & admiſſa Tranſſubſtantiatione.

Reſp. mirum non eſſe quod Pagani Doctrinam Catholicam præſentiæ realis non impugnaverint. Siquidem eam omnes & ubique non cognoverant, quia nempe in more poſitum fuit primis Eccleſiæ ſæculis, ut Fideles hoc myſterium uti & alia bene multa Paganis occultarent, ut conſtat ex Cæcilio apud Minutium Felicem ſic loquente, *Ut quid*, inquit, *cultum ſuum oculis humanis eripiunt, ſi malus non eſt*. Ex Tertulliano qui in apologetico hæc ſcribit, *quia lex eſt myſteriorum ut ſecreta teneantur*. Item Celſus apud Origenem Doctrinam Chriſtianam ſæpius vocat, *Dogma clandeſtinum*.

Reſp. 2. falſum eſſe quod aiunt adverſarii, Paganos nullam Fidelibus propoſuiſſe difficultatem, quæ ſupponeret iſtos communiter docuiſſe præſentiam corporalem Chriſti in Euchariſtia. Siquidem, ut nemo neſcit, Chriſtiani traducebantur a Gentilibus infanticidæ, eo quod clanculum in ſuis conventibus dicebantur occiſum infantem edere ejuſque Sanguinem bibere, ut teſtatur Tertullianus apologetici cap. 7. *Dicimur*, inquit, *ſceleratiſſimi de Sacramento infanticidii, & pabulo inde, & poſt convivium inceſto*. Item ex Apologia ſecunda S. Juſtini recte colligitur id moris non fuiſſe apud Chriſtianos, ut Fidem ſuam de præſentia reali Gentilibus ſemper occultarent. At vero invictum inde eruitur argumentum adverſus Calviniſtas, ſi enim communis tunc Chriſtianorum Fides fuiſſet, Corpus Chriſti vere non manducari in hoc Sacramento, ſed ſolum ejus figuram & merum Panem, facile fuiſſet Patribus & Apologiſtis hanc Ethnicorum calumniam repellere, dicendo non manducari a Fidelibus veram Chriſti carnem, ſed ejus ſolum figuram & ſignum manducari ſolum Panem, quem appellant Corpus Chriſti, quia ejus eſt ſignum & imago, quod tamen nullus eorum unquam præſtitit.

At, inquies, Julianus Apoſtata eadem reſponſione excipi non poteſt; de Euchariſtia tamen nihil omnino exprobravit Chriſtianis.

Reſp.

Reſp. incertum eſſe, an de Euchariſtia omnino ſiluerit Julianus, qui tres libros adverſus Chriſtianam Religionem ſcripſit teſte S. Cyrillo Alex. qui priorem duntaxat ex illis libris nec integrum confutavit.

Obj. Si conſtans fuit doctrina præſentiæ realis ante nonum ſæculum, incredibile eſt SS. PP. qui de Euchariſtia ſæpe ſæpius diſſerunt, eaſdem nunquam ſibi propoſuiſſe difficultates enucleandas, quæ tamen graves & multæ ſtatim menti occurrunt, & quæ poſterioribus Eccleſiæ ſæculis Theologos omnes agitarunt.

Reſp. idcirco SS. PP. ſibi explicandas non propoſuiſſe præfatas difficultates, quia hæc fuit eorum laudabilis methodus, ut de myſteriorum veritate ex Fide & revelatione judicarent, non ex ratiocinio naturali. Deinde myſterii cujuſpiam conſequentias non expenderunt, niſi cum de illo myſterio ex profeſſo actum eſt, quemadmodum ante Neſtorianos nemo propoſuit difficultates Incarnationis, ante Pelagianos nemo perſcrutatus eſt eas quæſtiones, quæ ex Peccati Originalis Dogmate ſequuntur.

Reſp. 2. falſum eſſe SS. Patres nuſpiam attigiſſe argumenta philoſophica quæ adverſus præſentiam realem proponi poſſunt, & deinceps diſcuſſa fuere a Theologis, nam v. g. S. Gregorius Nyſſenus quærit Oratione catechetica cap. 37. quomodo fieri poſſit, ut hoc idem Chriſti Corpus in multis locis ſine ſui multiplicatione ſimul exiſtere poſſit, *Oportet*, inquit, *conſiderare quomodo fieri poterit, ut unum illud Corpus quod tam multis Fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat.*

At, inquies, SS. Patres ſtatuunt plerumque in ſuis operibus principia quæ conciliari non poſſunt cum Dogmate præſentiæ realis, ut cum dicunt idem Corpus non poſſe ſimul eſſe in pluribus locis: igitur hæc non erat eorum Fides.

Reſp. ejuſmodi principia poni a SS. Patribus tanquam vera ordinarie & in ordine naturæ, non univerſaliter & in omni ordine etiam ſupernaturali, quam reſtrictionem quandoque adhibent data occaſione, ut patet ex S. Gregorio Nyſſeno mox laudato, & ita ſe gerunt etiamnum Theologi, qui perſuaſum habentes Corpus Chriſti eſſe realiter præſens in multis locis, plerumque tamen pronuntiant idem Corpus exiſtere non poſſe ſimul in multis locis, ubi ſubauditur naturaliter & ordinarie.

Obj. Sed in rei veritate non poteſt idem Corpus ſimul eſſe in diverſis locis: atqui poſita præſentia reali idem Chriſti Corpus foret in diverſis locis: igitur.

Reſp. diſt. maj. non poteſt naturaliter, C. divinitus, N. certe ad impugnandam præſentiam realem hoc & ſimili argumento ex ratione petito uti non debent Calviniſtæ, quia ejuſmodi apparentes contradictiones & difficultates philoſophicæ poſſent eodem jure proponi adverſus Trinitatem, & Incarnationem Verbi; & revera proponuntur a Socinianis qui nullum adoptant myſterium, nullum Dogma rationi naturali impervium. Unde quod Socinianis contra Trinitatem & Incarnationem arguentibus reſpondebunt Calviniſtæ, hoc idem nos reſpondebimus in præſenti materia Calviniſtis.

At, inquies, cum veritas non pugnet contra veritatem, Fides non pugnat quoque contra rationem, adeoque non debet admitti myſterium quod manifeſtam involvat contradictionem: ſed idem Corpus ſimul eſſe in multis locis manifeſta eſt contradictio; eſſet enim idem, & non eſſet idem ex hypotheſi, & tamen duplex ac diverſum cui prædicata diverſa competerent, poſſet enim ſedere in uno loco, ambulare in alio: igitur.

Reſp. non eſſe ullam contradictionem, quod idem Corpus ſit ſimul in duobus locis, quia cum aliquod Corpus poſitum eſt in uno loco, non magis difficile eſt omnipotentiæ divinæ ut idem ponatur in alio loco quam aliud quodcumque Corpus;

pus: erit autem idem in ſe, & duplex ratione duplicis loci, ſedebit in uno loco, ambulabit in alio; in quo nulla eſt contradictio.

CAPUT IX.

De Tranſubſtantiatione.

DEmonſtrata adverſus Calviniſtas præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſequitur ut agamus de modo quo fit illa ſubſtantialis præſentia, an per Tranſubſtantiationem quam admittunt Catholici & quæ juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. Can. 2. nihil eſt aliud quam *converſio totius ſubſtantiæ Panis in Corpus & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus Panis & Vini*. An per impanationem; an demum per conſubſtantiationem, ita enim rem iſtam explicuerunt nonnulli, ea in re non una & concors fuit omnium ſententia.

Putat Blondellus Calviniſta Scriptores omnes qui poſt Paſchaſium præſentiam realem agnoverunt, uſque ad natam Waldenſium hæreſim admiſiſſe impanationem, in eo poſitam, quod verbum in Euchariſtia dicatur hypoſtatice unitum Pani, ipſiſque omnino incognitam fuiſſe Tranſubſtantiationem. Verum facile depelli poteſt hæc calumnia.

1. Quia, ut oſtendimus ſupra, eadem fuit Fides in Eccleſia circa præſentiam realem in nono, decimo & undecimo ſæculo quæ fuerat antea ab omnibus Patribus tradita: ſed, ut mox probabitur, claro & evidenter ab antiquis Patribus aſſerta fuit Tranſubſtantiatio, iiſque incognita penitus fuit hæc impanatio; igitur.

2. Id conſtat ex profeſſione Fidei quam Berengarius emiſit in Conc. Romano ſub Gregorio VII. anno 1079. dubio procul conſentaneæ ad communem Eccleſiæ Fidem. *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor Panem & Vinum, quæ ponuntur in Altari per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificam Carnem & Sanguinem Jeſu-Chriſti*. Hoc ſolum momento abunde revincitur calumnia Blondelli, qui omnes illos Scriptores Eccleſiaſticos impanationis arguit, quaſi contenderint nullam fieri Panis deſtructionem vi Conſecrationis, nullam in ejus ſubſtantia mutationem, ſicut nulla facta eſt mutatio in humanitate Chriſti quando Verbum Caro factum eſt per unionem perſonalem cum humanitate Chriſti.

Teſte Guitmundo lib. 1. de Corporis & Sanguinis Chriſti veritate, hanc impanationem admiſerunt quidam e Berengarii diſcipulis, qui aliunde præſentiam realem admittebant, *Alii vero Berengariani*, inquit, *rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen a ſtultitia recedentes, ut quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt, ibi Corpus & Sanguinem Domini revera, ſed latenter contineri, & ut ſumi poſſint, quodammodo, ut ita dixerim, impanari, & hanc ipſius Berengarii eſſe ſententiam aiunt*.

Si credatur Baronio ad an. 1111. & Bellarmino hic, Rupertus Tuitienſis Abbas docuit Corpus Chriſti eſſe realiter in Euchariſtia, quatenus verbum per unionem hypoſtaticam aſſumpſit Panem, non quatenus Panis in Corpus fuit mutatus. Sed ab illo eodem errore hunc Scriptorem vindicavit P. Gerberon Monachus Benedictinus edita in eum finem diſſertatione.

Item Joannes Pariſienſis Dominicanus in eumdem impegit errorem dicens in libro quem inſcripſit, *Determinatio Fratris Joannis de Pariſiis Prædicatoris, de modo exiſtendi Corporis Chriſti in Sacramento Altaris alio quam ſit ille quem tenet Eccleſia*. Ubi docet Panem Corpus Chriſti effici, quatenus hypoſtatice aſſumitur à verbo mediante Corpore Chriſti. Id refert Thomas Waldenſis, tom. 2. de Sacramentis cap. 65.

Ex S. Thoma 3. p. q. 75. art. 6. in Corpore articuli, quidam exiſtimarunt

Digitized by Google

facta Conſecratione Panis remanere formam illius ſubſtantialem, *Reſpondeo*, inquit, *dicendum quod quidam poſuerunt, quod facta Conſecratione non ſolum remanent accidentia Panis, ſed etiam forma ſubſtantialis illius. Sed hoc eſſe non poteſt.* Dicti ſunt iſti Conſubſtantiatores, ſeu admittere conſubſtantiationem, quatenus aiunt remanere poſt factam Conſecrationem, non modo accidentia Panis cum Corpore Chriſti, ſed etiam ejuſdem Panis formam ſubſtantialem.

Durandus contra inſignis Theologus & Meldenſis Epiſcopus docuit in 4. diſt. 11. q. 3. hoc modo fieri converſionem Panis in Corpus Chriſti, quod ſola forma Panis non ejus materia mutetur, *Salvo meliori judicio*, inquit, *poteſt exiſtimari, quod ſi in iſto Sacramento fiat converſio ſubſtantiæ Panis in Corpus Chriſti quod ipſa fit per hoc quod corrupta forma Panis materia ejus fit ſub forma Corporis Chriſti ſubito & virtute divina, ſicut materia alimenti fit ſub forma nutriti virtute naturæ.* Addit Durandus conſtare hunc modum explicandi converſionem Panis in Corpus Chriſti ex eo quod maxime poſſibilis eſt, alter vero qui communius tenetur non eſt intelligibilis; cum aliunde neuter modus ſit ab Eccleſia definitus, *Non oportet autem*, inquit, *difficultates Fidei difficultatibus ſuperaddere, quin potius juxta documentum Scripturæ conandum eſt obſcuritates elucidare.* Quapropter Durandus ſuo quoque ſenſu dici poteſt Conſubſtantiator.

Lutherus tandem qui primum docuerat lib. de Captivit. Babilon. cap. de Eucharistia ad Fidem non pertinere quod per Tranſubſtantiationem aut alio modo diceretur fieri præſentia realis, opinionem hanc mutavit in reſponſione ad Henricum VIII. his verbis, *Nunc tranſubſtantiare volo ſententiam meam & dico, antea poſui nihil referre, ſive ſic ſive ſic ſentias de Tranſubſtantiatione, nunc autem decerno impium & blaſphemum eſſe ſi quis dicat Panem tranſubſtantiari.* Magiſtrum ſuum ſequuntur hodie omnes Lutherani, quamvis in modo loquendi non conſentiant, alii enim dicunt Corpus Chriſti eſſe in Pane, alii cum Pane, alii ſub Pane in quos omnes ſit

CONCLUSIO.

Corpus Chriſti eſt realiter præſens in Euchariſtia per veram Tranſubſtantiationem, ſeu per converſionem Panis in Corpus & Vini in Sanguinem Chriſti.

1. Id colligitur ex his verbis inſtitutionis, *Hoc eſt Corpus meum*, ubi pronomen, *hoc*, denotat ſolum Chriſti Corpus ſine Pane, ſi enim remaneret Panis, & Corpus Chriſti eſſet in Pane vel cum Pane, debuiſſet dicere Chriſtus *hic*, ſeu hoc in loco, eſt Corpus meum; ait autem loquens de eo quod demonſtrat & diſtribuit, *Hoc eſt Corpus meum;* unde ſequitur Panem non eſſe conjunctum Corpori, ſed mutatum in Corpus Chriſti. Deinde falſa eſſet hæc propoſitio *Hoc eſt Corpus meum* ſi remanerent Panis & Vinum, quia quod Chriſtus oſtendebat, non fuiſſet ejus Corpus, ſed Panis, non ejus Sanguis, ſed Vinum. Certe quando Chriſtus dixit *Hoc eſt Corpus meum*, vel locutus eſt in ſenſu proprio & litterali, vel in ſenſu figurato: non dicent Lutherani Chriſtum locutum fuiſſe in ſenſu figurato, admittunt enim præſentiam realem: ergo hæc Chriſti verba accipi debent in ſenſu propio: ac proinde ſequitur factam ſupponi converſionem Panis in Corpus Chriſti; evidens eſt enim Panem non poſſe dici Corpus Chriſti in ſenſu proprio ac naturali; niſi ſupponatur vi verborum Conſecrationis factam fuiſſe converſionem Panis in verum Chriſti Corpus.

2. Ex SS. PP. quorum teſtimonia ſuperius allegata ſunt, iiſque potiſſimum qui expreſſe utuntur nominibus mutationis, tranſmutationis, converſionis, quales S. Cyrillus Jeroſol. Cathe. 4. S. Ambroſ. lib. de init. cap. 9. S. Chryſoſt. Hom. 33. in Matth. S. Damaſcenus lib. 4. cap. 4. unde colligitur alios quoque Patres in variis illis ſæculis idem de Tran-

tul:-

ſubſtantiatione penitus ſenſiſſe. Quod utique confirmatur ex comparationibus quas illi Scriptores plerumque adhibere ſolent. Aiunt enim Vinum converti in Sanguinem Chriſti, quemadmodum aqua fuit mutata in Vinum in Cana Gallileæ, *Aquam*, inquit Cyrillus Jeroſol. *Chriſtus aliquando mutavit in Vinum, quod eſt Sanguini propinquum in Cana Galileæ ſola voluntate, & non erit dignus cui credamus quod Vinum in Sanguinem transmutaverit*.

S. Ambroſius loco mox laudato, *Si*, inquit, *tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de Cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo ut ſpecies mutet elementorum ... & qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant*.

Ita & S. Gregorius Nyſſenus Orat. Catech. cap. 37. *Panis*, inquit, *ſtatim per verbum tranſmutatur, ficut dictum eſt a verbo Hoc eſt Corpus meum.* Quocirca valet hic ad aſſerendam contra Lutheranos Tranſubſtantiationem, argumentum præſcriptionis quo uſi ſumus adverſus Calviniſtas ad aſtruendum præſentiæ realis Dogma; ſcilicet ea doctrina præſcriptionis titulo aſſeritur, cujus nullum aſſignari poteſt initium, quam ſemper & ubique omnes tenuerunt: ſed ejuſmodi eſt Tranſubſtantiatio, ut patet ex dictis: igitur.

Quapropter hanc merito definitionem emiſit Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. Can. 2. *Si quis dixerit in ſacro-ſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam Panis & Vini una cum Corpore & Sanguine Domini Noſtri Jeſu-Chriſti negaveritque mirabilem illam & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ Panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in Sanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus Panis & Vini, quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit*.

Hoc idem Dogma jam ſancitum fuerat in Concil. Lateran. IV. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, his verbis: *Credimus & confitemur Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus Panis & Vini veraciter contineri tranſubſtantiatis Pane in Corpus & Vino in Sanguinem poteſtate divina*. Tum vero & poſtea in Decreto Eugenii IV. pro Inſtructione Armenorum, ubi habetur, *Virtute verborum Chriſti ſubſtantiam Panis in Corpus & ſubſtantiam Vini in Sanguinem Chriſti converti*. Idque ante natam Lutheranorum hæreſim.

Obj. Multa ſcripturæ loca probant remanere Panem in Euchariſtia, quæ ipſa ſæpius dicitur Panis; primæ Corint. 10. *Panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini?* & ibidem, *Quicumque manducaverit Panem hunc*. Item Calix conſecratus a Domino, appellatur Vinum ab Evangeliſtis, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Quod ſæpius etiam legitur apud SS. Patres: igitur.

Reſp. Euchariſtiam appellari Panem, ut ſupra obſervatum eſt, vel ex eo quod Corpus Chriſti fit ex Pane, vel quia ſenſuum judicio apparent accidentia Panis poſt Conſecrationem; ſed inde inferri non debet Panem remanere poſt Conſecrationem, quia conſtat ex aliis ſcripturæ locis Panem illum eſſe ipſum Chriſti Corpus, & aperte declarant Patres veram fieri converſionem. Et ſimiliter quando Chriſtus dixit, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, tunc non demonſtrabat id præciſe quod erat in Calice poſt Conſecrationem factam, ſed loquebatur de Vino in genere, quale aſſumptum fuerat in Cœna, ut vulgo exponunt interpretes.

Obj. vox illa, *Tranſubſtantiatio* aſſumi non debuit a Patribus Tridentinis ad aliquod ſtabiliendum Dogma, quale eſt Dogma præſentiæ realis Corporis Chriſti in Euchariſtia, ſiquidem nova eſt & inaudita apud SS. Patres ante annum 1215. quo tempore primum introducta eſt a Patribus Concilii Lateranenſis IV. in materia autem Fidei omnis novitas vel etiam in vocibus rejici debet.

Reſp. 1. non ita novam eſſe iſtam vocem, quia eam uſurparunt Stephanus Æduenſis Epiſcopus in Tract. de Sacramento Altaris cap. 13. is floruit decimo

 ſæcu-

ſæculos; Petrus Bleſenſis ſæculo duodecimo in Epiſt. 104. cum aliunde doctrinam hac voce expreſſam tradiderint Patres antiqui dicentes locis ſupra citatis, fieri mutationem Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Chriſti; nihil enim aliud ſignificat nomen Tranſubſtantiationis. 2. Etſi nova & inaudita fuiſſet ante illa vox, prudenter potuiſſent Patres Tridentini illam uſurpare, quoniam merito judicabant non eſſe aptiſſimam ad comprimendas Hæreticorum fraudes, quomodo voce, *Ὁμοούσιον* uſi fuerant Patres Nicæni contra Arianos, quia ipſis viſa eſt maxime idonea ad aſſerendam verbi divini conſubſtantialitatem adverſus verſipelles illos Hæreticos.

Obj. Chriſtus dicere potuit *Hoc eſt Corpus meum* quamvis remanſiſſet Panis facta Conſecratione, ſicut poteſt aliquis de ferro candente dicere, hic eſt ignis, remanente ſcilicet ferro, quatenus ignis conjungitur cum ferro. Similiter oſtendens dolium Vino plenum, dici poteſt, Hoc eſt Vinum, quatenus Vinum eſt in dolio contentum: igitur ex illo Scripturæ teſtimonio, in quo Chriſtus pronuntiat *Hoc eſt Corpus meum*, inferri non debet præſentiam realem Corporis Chriſti fieri per Tranſubſtantiationem.

Reſp. perperam objici ejuſmodi comparationes: 1. quidem, ut ſciunt omnes, ferrum candens appellamus ignem, quia ignis habet proprietates a quo ſcilicet intime penetratur, & ipſe ignis in ferro candenti videtur; 2. eſt etiam in uſu poſitum, ut dolium Vino plenum dicatur ſimpliciter Vinum; in ejuſmodi propoſitionibus nemo decipitur, nulla deceptionis eſt cauſa, ob receptum videlicet loquendi uſum; ſed quando Chriſtus accepit Panem ſanctificatum dicens, *Hoc eſt Corpus meum*, non erat omnibus notum, eum loqui de ſuo Corpore conjuncto cum Pane vel contento in Pane; Panis enim nec ex natura ſua, nec ex hominum inſtituto eſt Corpus Chriſti; unde accipi debet propoſitio in ſenſu obvio prout denotat Chriſtum loqui de ſuo proprio Corpore, non remanente ſubſtantia Panis, quæ modo converſa fuit in Corpus Chriſti.

Neque dici debet cum aliquo Lutherano, ex verbis Chriſti *Hoc eſt Corpus meum* minime colligi Tranſubſtantiationem, ſed ſolummodo Corpus Chriſti præſens adeſſe, ſed cum Pane, cum ſubſtantia Panis.

Nego hanc propoſitionem, quia ſi mens Chriſti fuiſſet annuntiare duntaxat ſuam præſentiam in loco, dixiſſet adverbialiter *hic* eſt Corpus meum, quod præciſe ſignificaret præſentiam ſui Corporis, ſed dicit *hoc* eſt Corpus meum, quod profecto indicat demonſtrative, hoc quod tenebat, eſſe ſuum Corpus.

Obj. Theodoretus negat expreſſe Tranſubſtantiationem Dialogo II. qui dicitur *inconfuſus*, ubi loquitur ſub nomine Orthodoxi adverſus quemdam Eutychianum ſub nomine Eraniſtis qui volens oſtendere naturam humanam remanere in Chriſto poſt ejus Aſcenſionem in Cœlos, utitur exemplo Euchariſtiæ; ſic autem diſputant; Eran. *Poſt ſanctificationem vero quomodo hæc appellas?* Ort. *Corpus Chriſti & Sanguinem Chriſti.* Eran. *Et credis te Corpus Chriſti & Sanguinem percipere?* Ort. *Ita credo.* Eran. *Sicut ergo Symbola Dominici Corporis & Sanguinis alia ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur & alia ſiunt: ita Dominicum Corpus poſt Aſcenſionem in divinam ſubſtantiam mutatum eſt.* Ort. *Retibus quæ ipſe texuiſti captus es, neque enim Symbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura, manent enim in priore ſubſtantia & figura & forma, & videri tangique poſſunt, ſicut & prius; intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur.* Unde ſic arguitur: Theodoretus ait expreſſe Panem in Euchariſtia poſt Conſecrationem remanere ſecundum naturam & in priori ſubſtantia, forma, & figura: igitur negat Tranſubſtantiationem.

Diſt. ant. ſumendo naturam pro externis qualitatibus, & proprietatibus Pa-

nis,

nis, C. pro ipſius eſſentia & ſubſtantia interna, N. ſcilicet nomen naturæ aliquando ſumitur pro illis rei accidentibus & qualitatibus externis, quæ, cum rem illam diſtinguant ab alia, illam conſequenter conſtituunt, & ut talem quodammodo ſpecificant; hunc autem eſſe Theodoreti ſenſum conſtat.

1. Quia ſatis familiare eſt Scriptoribus ita nomen naturæ uſurpare, ſic Tertullianus lib. de Anima cap. 32. *Subſtantia*, inquit, *eſt lapis, ferrum, duritia lapidis & ferri eſt natura ſubſtantiæ*. S. Chryſoſt. Homil. 4. ad Populum Antioch. *Juvenum*, inquit, *pietas rerum naturam mutavit*. Quando nempe ignis in fornace pueros non combuſſit, & ipſe Theodoretus eodem Dialogo loquens de Corpore Chriſti reſurgentis ait: *Priorem ſuam retinuit formam, figuram, circumſcriptionem, & ut ſemel dicam, ejus eſſentiam*. Unde etiam immediate poſt verba quæ objiciuntur ſic habet, *Et videri tangique poſſunt ſicut & prius*, ubi quod dixerat Symbola manere in propria ſubſtantia, id explicat quatenus videri & tangi poſſunt, adeoque nomen naturæ ſumit pro externis & ſenſibilibus Panis proprietatibus.

2. Quia Orthodoxus docet manifeſte Tranſubſtantiationem eo loci, ait enim de Symbolis poſt ſanctificationem, *Intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſint quæ creduntur*: igitur Symbola facta ſunt Corpus & Sanguis Chriſti per veram ſcilicet converſionem in mente ipſius Theodoreti.

3. Id conſtat ex ejus ſcopo: agit enim ibi Theodoretus adverſus Eutychianos, qui contendebant naturam humanam non remanſiſſe in Chriſto poſt ejus Aſcenſionem in Cœlos ſecundum ullam ſui proprietatem, formam, circumſcriptionem; ubi notandum eſt quod, licet illi Hæretici non admitterent in Chriſto naturam humanam ſumptam pro eſſentia hominis, tamen hic quæſtio erat ſolummodo de natura ſumpta pro externis proprietatibus, quia hoc potiſſimum utebantur argumento, quod Chriſtus poſt Aſcenſionem totus erat Deus, nullam habens hominis proprietatem, quia jam non erat circumſcriptus, corruptibilis, &c. unde cum in iſta diſputatione allatum fuiſſet exemplum Euchariſtiæ, & dixiſſet Eraniſtes Corpus Chriſti fuiſſe mutatum in divinam ſubſtantiam, ſicut Symbola Euchariſtiæ ſeu Panis & Vinum mutantur facta Conſecratione, optime reponit Theodoretus ſub nomine Orthodoxi, *Retibus quæ ipſe texuiſti, captus es, neque enim Symbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura*. Quaſi dixiſſet hoc exemplo te ipſum jugulas, nam ut probes Chriſtum poſt ſuam Aſcenſionem in Cœlos non habuiſſe priſtinam formam & circumſcriptionem, exemplum adhibes Euchariſtiæ, ſed perperam; quia Panis & Vinum poſt ſanctificationem remanent in priori forma & circumſcriptione. Ex quibus conſtat Theodoretum per naturam intelligere ſenſibiles Panis proprietates.

At, inquies, eodem ſenſu ſumit nomen naturæ, cum dicit Panem remanere in Euchariſtia ſecundum priorem naturam, quo illud accipit dicens in Chriſto eſſe naturam humanam præter divinam; alioquin ridiculum eſſet hoc exemplum adhibere: ſed ſumit naturam pro eſſentia, pro ſubſtantia, cum probat remanſiſſe naturam humanam in Chriſto poſt Aſcenſionem, directe ſcilicet impugnans Eutychianos: igitur.

Nego min. quia, ut mox dixi, licet Eutychiani nullam naturam humanam a Verbo aſſumptam admitterent, tamen de accidentibus & externis naturæ humanæ proprietatibus ſolebant diſputare cum Catholicis; aiebant enim illi Hæretici nullam hominis qualitatem in Chriſto remanſiſſe poſt Aſcenſionem; unde ibidem argumentum contra petit Theodoretus, ex eo quod Chriſtus ad Cœlos evectus ſedet a dextris Patris, & conſequenter habet proprie naturam humanam, Deus eſt proprie & homo.

His bene intellectis fruſtra objicitur

Epi-

Epiſtola S. Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum, ubi diſputans adverſus Syuuſiaſtas unam pariter naturam in Chriſto admittentes ſic loquitur. *Unus Filius, unus Dominus, idem ipſe procul dubio unitarum naturarum unam denominationem, unam poteſtatem poſſidens ... ſicut enim antequam ſanctificetur Panis, Panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia mediante Sacerdote liberatus eſt quidem appellatione Panis, etiamſi natura Panis in ipſo permanſit. Et non duo Corpora, ſed unum Corpus Filii prædicatur.* Cum enim eo loci plane eadem occurrat difficultas, quatenus Synuſiaſtæ, ut poſtea Eutychiani, unam in Chriſto naturam admittebant, eadem recte utimur reſponſione, nimirum per naturam Panis S. Chryſoſtomus intelligit ſenſibiles Panis proprietates, quia Synuſiaſtæ ſeu Apollinariſtæ volebant in Chriſto poſt Aſcenſionem nullam remanſiſſe hominis proprietatem, nihil ſupereſſe hominis, cum totus eſſet Deus, ut videre eſt in Epiſt. S. Athan. ad Epictetum, apud S. Epiphanium Hæreſ. 77. quibus adde S. Chryſoſtomum conceptis terminis docuiſſe Tranſubſtantiationem, tum loco ſupra laudato, tum in ſua liturgia.

Fruſtra etiam objicitur teſtimonium Gelaſii Papæ, qui prope idem ſcribit lib. de duabus naturis, *Certe*, inquit, *Sacramenta quæ ſumimus Corporis & Sanguinis Chriſti divina res eſt, propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura Panis & Vini*, eadem enim recurrit difficultas. In eundem ſenſum exemplo Euchariſtiæ utitur Gelaſius contra Eutychianos quod uſurpaverant Chryſoſtomus & Theodoretus, & eadem idcirco utendum eſt reſponſione.

Obj. Si verus Panis non remaneret facta Conſecratione, Deus homines deciperet, ſenſus enim ibi Panem adeſſe renuntiant: nimirum debemus Fidem habere ſenſibus, cum ad veram ſenſationem adſunt omnes conditiones requiſitæ, quo fulti principio antiqui Patres veritatem Carnis Chriſti Valentinianis & Marcionitis demonſtrarunt, ex eo ſcilicet quod apparebat ſenſibus eum veram non phantaſticam habere Carnem.

Neg. ant. tametſi enim Panem remanere in Sacramento poſt Conſecrationem renuntient ſenſus noſtri, tamen Deus neminem fallit, quia nobis revelavit per Conſecrationem fieri converſionem Panis in Corpus, Vini in Sanguinem Chriſti, *Hoc ſciens*, inquit Cyrillus Jeroſol. *& pro certiſſimo tenens Panem hunc qui a nobis videtur, non eſſe Panem, etiamſi guſtus Panem eſſe ſentiat.*

Jam vero ex illis autoritatibus ad adſtruendam Tranſubſtantiationem ſupra adductis confutata manet opinio, quæ dicitur Ruperti & Joannis Pariſienſis dicentium, Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia per unionem hypoſtaticam factam in Pane. Nam in iſta ſententia falſum eſſet quod docuerunt SS. Patres, Panem jam non remanere poſt Conſecrationem, huncque mutari, tranſmutari, converti in Corpus Chriſti; Panis enim unitus hypoſtatice Verbo divino remanet & ſubſtantialiter quemadmodum natura humana in Chriſto poſt ejus unionem hypoſtaticam cum Verbo. Deinde multi ex SS. Patribus teſtantur idem Corpus eſſe in Euchariſtia quod natum eſt de Virgine, & cruci fuit affixum: ſed Corpus illud non eſt in Pane, ſed in Carne. Igitur in iſta opinione Corpus Chriſti Euchariſticum non foret idem quod natum eſt de Virgine & morti traditum, adeoque rejicienda eſt hæc opinio, ut contraria Scripturis, Eccleſiæ, & Traditioni.

CAPUT X.

De modo quo explicari debeat Tranſubſtantiatio.

QUamvis in aſſerendo Tranſubſtantiationis Dogmate conſentiant Catholici, tamen in varias abeunt ſententias, cum modum aſſignant, quo fit ejuſmodi converſio Panis in Corpus Chriſti, Du-

Durandus & nonnulli recentiores contendunt, Tranſubſtantiationem fieri in Euchariſtia, quatenus remanente eadem Panis materia loco formæ Panis ſpecificativæ introducitur Corpus Chriſti, quia, inquiunt, omnis converſio eo modo fit, ut maneat ſemper materia velut commune ſubjectum, alioquin jam non fieret converſio ſed annihilatio rei quæ deſineret eſſe & creatio rei quæ inciperet eſſe.

Refellitur illa ſententia 1. quia manifeſte adverſatur doctrinæ Concilii Tridentini, quod loco ſupra citato definit, in hoc Sacramento fieri converſionem *totius* ſubſtantiæ Panis in Corpus Chriſti, ſi totius ſubſtantiæ: igitur materia non remanet; materia quippe ad ſubſtantiam Panis attinet. Ea quidem eſt conditio converſionum naturalium, ut maneat materia tanquam commune ſubjectum, ut v. g. quando alimentum convertitur in Sanguinem animalis: ſed non ita judicandum eſt de converſione iſta ſupernaturali, quam proterea Concilium Trid. appellat mirabilem & ſingularem. Quamvis autem non remaneat materia in iſta converſione, non inde ſequitur fieri Panis annihilationem; quia materia & forma non pereunt abſolute loquendo per meram deſtructionem, ſed per converſionem, cujus terminus non eſt purum nihil, ſed Corpus Chriſti.

Thomiſtæ Tranſubſtantiationem explicant per reproductionem Corporis Chriſti, quod idem ſimul reproducitur, ubicunque fit Conſecratio,

Scotiſtæ vero eam explicant per adductionem localem ſeu actionem mere adductivam quæ Corpus Chriſti ponit ſub Altari; cum enim exiſtat in Cœlis proprie non producitur; ſed ſolum ſub ſpeciebus Euchariſticis ponitur & adducitur.

Sed meo quidem judicio neutra hæc ſcola loquitur accurate & conſentanee ad verba Concilii Tridentini; poſitis enim præciſe reproductione & adductione Corporis Chriſti ſub altari per verba Sacerdotis, non concipitur fieri tranſubſtantiationem, non concipitur panem mutari, converti in Corpus Chriſti, immo non concipitur panem deſinere & non remanere, quia poſſet produci & adduci Corpus Chriſti in pane, uti ſentiunt quicunque admittunt impanationem, vel conſubſtantiationem.

Quamobrem dicendum eſt tranſubſtantiationem eſſe actionem per quam ſubſtantia Panis convertitur in ſubſtantiam Corporis Chriſti, juxta mentem & verba Patrum Tridentinorum, qui hac in parte ſecuti ſunt receptam in Eccleſia traditionem, qua conſtat Panem in Corpus Chriſti mutari, converti. Hæc tamen converſio fit per productionem, quia Corpus Chriſti dicitur apud SS. Patres fieri, produci, confici. *Nec quidquam amplius nobis perſpectum & exploratum eſt*, inquit S. Damaſcenus lib. 3. cap. 14. *quam quod verbum Dei verum eſt & efficax. Nam modus ejuſmodi eſt, ut nulla ratione indagari queat*.

Quæres quomodo Corpus Chriſti ſit in Euchariſtia.

Reſp. non eſſe circumſcriptive, quomodo alia corpora ſunt in loco, per majorem partem majus & per minorem minus occupando ſpatium. Sed eſſe definitive ut aiunt ad inſtar ſpirituum, quia Chriſtus eſt totus in Hoſtia & totus in qualibet parte Hoſtiæ.

CAPUT XI.

An & quomodo Chriſtus contineatur ſub qualibet Hoſtiæ parte.

Reſpondeo clare & evidenter explicari doctrinam Eccleſiæ a Patribus Tridentinis Seſſ. 13. cap. 3. quem propterea locum integrum exſcribemus, *Ea*, inquiunt, *ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus verumque ejus Sanguinem ſub Panis & Vini ſpecie una cum ipſius anima & divinitate exiſtere, ſed Corpus quidem ſub ſpecie Panis & Sanguinem ſub Vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem Corpus ſub ſpecie Vini & San-*

guinem

Digitized by Google

guinem ſub ſpecie Panis, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt tantumdem ſub alterutra ſpecie, atque ſub utraque contineri: totus enim & integer Chriſtus ſub Panis ſpecie & ſub quavis ſpeciei parte, item ſub Vini ſpecie & ſub ejus partibus exiſtit. Ubi docet Synodus,

Primo totum & integrum Chriſtum contineri ſub qualibet ſpecie, adeoque Sanguinem ſub ſpecie Panis & Corpus ſub ſpecie Vini; quod utique fide credendum declarant Patres edito ea de re Canone qui tertius eſt ejuſdem ſeſſionis, *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit*. Idque definierunt Scripturæ & traditionis autoritate fulti. Scripturæ quidem, nam Joan. 6. Chriſtus ait: *Qui manducat me & ipſe vivet propter me*. Non ait: Qui manducat Corpus meum, ſed qui manducat me, id eſt, me totum & integrum & conſequenter ſub ſpecie Panis contentum. Quo ſenſu S. Paulus ait I. ad Corint. cap. 11. reum eſſe Corporis & Sanguinis qui manducaverit, vel biberit indigne: *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*. Traditionis autem, quia, ut patet ex locis ſupra relatis, Patres plerumque aiunt in hoc Sacramento nos recipere Chriſtum, manducare Chriſtum. Quapropter ante Concilium Tridentinum Eugenius IV. idem ſanxerat in ſuo decreto, *Totus Chriſtus*, inquit, *continetur ſub ſpecie Panis & totus ſub ſpecie Vini*. Eaque fuit fides omnium temporum, quando enim Fideles in diverſis occaſionibus ſub unica ſpecie communicabant, uti poſtea declarabitur, perſuaſum habebant ſe recipere totum & integrum Chriſtum.

2. Docent Patres Tridentini vi verborum, ſolum Chriſti Corpus ſub ſpecie Panis, & ſolum Sanguinem ſub ſpecie Vini contineri: & ratio eſt quia vi verborum ea ſolum ponuntur in Sacramentis, quæ per verba Sacramentalia expreſſe ſignificantur, verba enim quæ loco ſunt formæ in Sacramentis tantum valent quantum ſonant, tantum operantur quantum ſignificant. Sed, ut per ſe patet, hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, denotant ſolum Corpus: igitur vi verborum ſolum Corpus ſub ſpecie Panis, & ſolus Sanguis ponitur ſub ſpecie Vini.

3. Dicunt Corpus poni ſub ſpecie Vini, & Sanguinem ſub ſpecie Panis, animamque & divinitatem ſub utraque per concomitantiam, quæ nihil eſt aliud quam conjunctio unius cum alio. Et anima quidem Chriſti ponitur per concomitantiam naturalem quam habet cum Corpore & Sanguine Chriſti, neque enim iſta poſt Chriſti Reſurrectionem fuerunt disjuncta: unde obſervant Theologi quod aliter factum fuiſſet, ſi Apoſtoli in triduo quo Chriſti Corpus jacuit in ſepulcro, conſecraſſent; tunc enim Corpus confeciſſent ſine ſanguine & anima, quia hæc a ſe invicem erant ſeparata. Divinitas quoque per concomitantiam ſupernaturalem, in unione ſcilicet hypoſtatica fundatam reperitur ſub unaquaque ſpecie conſecrata. Unde etiam ſequitur Patrem & Spiritum Sanctum ſumi in hoc Sacramento; quia propter circuminceſſionem Pater & Spiritus Sanctus ſunt in Verbo, verum eſt dicere tres S. Trinitatis perſonas idem eſſe realiter cum divinitate, quæ continetur in Euchariſtia in qua totus eſt Chriſtus.

Quæres utrum totus Chriſtus ſub qualibet ſpecierum particula contineatur?

Reſp. 1. quæſtionem hanc moveri poſſe de ſpecierum partibus ante vel poſt ſeparationem, v. g. de particulis ſpecierum Panis facta Panis fractione, vel ante fractionem.

Si ſermo ſit de ſpecierum partibus poſt factam earum ſeparationem, res fuit aper-

e.

te definita a Concilio Tridentino Seſſ. 13. Can. 3. mox relato conſentaneè ad praxim Eccleſiæ, quæ Panem conſecratum quandoque frangit in partes quas diſtribuit velut totum Chriſtum continentes, quemadmodum eundem Calicem ſemel ſanctificatum diverſis Fidelibus particulatim diſtribuit exemplo Chriſti, qui Matth. 26. *dixit*: *Bibite ex eo omnes*. Et hæc doctrina cenſetur de fide.

Verum ſi ſermo ſit de ſpeciebus Euchariſticis antequam earum partes ſeparentur, apparet noluiſſe Patres Tridentinos hanc quæſtionem dirimere, quia in laudato Canone III. ſeſſ. 13. expreſſe loquuntur de ſingulis utriusque ſpeciei partibus *ſeparatione facta*. Communis tamen eſt Theologorum opinio, totum Chriſtum contineri in qualibet ſpeciei parte etiam ante ſeparationem, quia videlicet per ſeparationem non fit nova conſecratio partium ſeparatarum; unde Chriſtus non poteſt de novo exiſtere in aliqua particula, in qua prius fuerit. Siſtitur enim præſens ſolum per verba conſecratoria.

Quæres utrum facta conſecratione Corpus & Sanguis Chriſti ſuam habeant quantitatem.

Reſp. affirmative, ſiquidem Corpus Chriſti in Euchariſtia verum eſt Corpus humanum ſuis organis & partibus inſtructum, idemque quod in Cœlis eſt jam glorioſum: ſed tale non eſſe ſine quantitate ſumpta ſaltem pro membrorum inter ſe diſtinctione.

Quod ſi dicatur intelligi non poſſe, quomodo illæ Chriſti Corporis partes dici poſſint extra ſe invicem poſitæ, pectus extra pedes, caput extra pectus.

Reſp. partes illas non eſſe extra ſe invicem in ordine ad locum, ut vulgò dicitur in Scholis, ſed in ordine ad ſe, ſiquidem extenſio actualis, ſeu poſitio partium extra partes in ordine ad locum non conſtituit eſſentiam quantitatis; alioquin explicari non poſſet, quomodo Corpus Chriſti quando reſurrexit penetrato lapide e ſepulcro egreſſus eſt, quomodo januis clauſis Chriſtus cœnaculum ingreſſus eſt, hæc enim exempla probant poſſibilem eſſe divinitus Corporum penetrationem, adeoque actualem impenetrabilitatem & extenſionem in ordine ad locum, non eſſe de eſſentia quantitatis.

Nec meo quidem judicio audiendi ſunt, qui dicunt Corpus Chriſti in Euchariſtia locum occupare quem externa Panis ſuperficies ante conſecrationem replebat: namque poſita illa explicatione Corpus Chriſti hoc in Sacramento idem non eſſet quod in Cœlis, non haberet enim tantum ſubſtantiæ. Item ſequeretur Chriſti Corpus non eſſe totum in qualibet Hoſtiæ parte ſeparatione facta, quod tamen, ut diximus, definitum eſt a Concilio Tridentino.

CAPUT XII.

An remaneant accidentia Panis & Vini ſine ſubjecto.

ADmiſſa tranſubſtantiatione, hoc eſt converſione ſubſtantiæ Panis & Vini in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti, uti admittendam eſſe invictis argumentis mox oſtenſum eſt, facile intelligitur accidentia Panis & Vini, ut quantitatem, colorem, ſaporem, &c. remanere ſine ſuo ſubjecto, hoc eſt ſine ipſa Panis & Vini ſubſtantia quæ deſinit eſſe in Sacramento; cum ſupereſſe illa accidentia ſenſus aperte renuntient, nec Corpori & ſanguini Chriſti inhærere poſſint.

Quapropter hæc doctrina aſſerta eſt in Concilio Lateran. III. cap. 1. ubi ſic habetur, *Chriſtus, cujus Corpus & Sanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus Panis & Vini veraciter continentur*. In Concilio Conſtantienſi in quo damnatus eſt hic Wiclefi articulus, *Accidentia Panis non manent ſine ſubjecto in Sacramento altaris*. Ac denique in Tridentino quod ſeſſ. 13. cap. 1. 3. & 4. & Can. 3. & 4. ſtatuit facta converſione Panis &

Vini, eorumdem remanere ſpecies, Can. 2. *manentibus duntaxat ſpeciebus Panis & vini*, & can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, & ſub ſingulis cujusque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit*.

At, inquies, ejusmodi ſunt præfata illa accidentia quæ meræ ſunt modificationes, ut n: divinitus quidem poſſint eſſe ſine ſubjecto, color exiſtere non poteſt ſine re colorata.

Reſp. hoc myſterium non explicari vulgo a Theologis, quaſi præfatæ modificationes dicantur remanere ſine omni ſubjecto, ſed eo ſenſu quod jam amplius non inhærent ſubſtantiæ Panis & Vini quæ converſa fuit in Corpus & Sanguinem Chriſti: inhærent autem quantitati Panis quæ ipſa dicitur accidens abſolutum & ab omni ſubjecto ſeparatur.

Quod ſi dicatur eamdem ſupereſſe difficultatem quomodo quantitas poſſit ſeparari a ſubſtantia, quia omne accidens eſſentialiter inhæret ſubſtantiæ.

Reſp. tritam eſſe vel apud Philoſophos ſolutionem, qua nempe dicunt id non poſſe quidem fieri naturaliter, ſed fieri poſſe divinitus, cum accidentia, quæcunque ſint, non pertineant ad eſſentiam ſubſtantiæ. Ea autem dicuntur eſſentialiter inhærere in actu primo, non in actu ſecundo.

Neque audiendi ſunt Philoſophi moderni, qui rejectis ejuſmodi accidentibus ab omni ſubjecto ſeparatis, hoc miſterium explicant dicendo Deum eaſdem facere impreſſiones in ſenſus noſtros, ac ſi remanerent accidentia Panis & Vini. Namque in illo ſyſtemate in Euchariſtia non eſſet quid ſenſibile permanenter, ſed ſolum quando oculis exponitur aut aliquo ſenſu percipitur; tunc enim ſolum illas impreſſiones faceret Deus: Eccleſia autem docet Euchariſtiæ Sacramentum in ratione Sacramenti Corpus & Sanguinem Chriſti continentis, vere ſubſiſtere extra uſum & permanenter, quando in ſacra pixide aſſervatur.

Porro in hæc accidentia cadit quod non modo a Patribus, ſed & ab Apoſtolo etiam Corpus Chriſti dicitur frangi & dividi I. ad Corint. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Chriſti eſt?* Nam ſolæ ſpecies Panis & Vini franguntur, Corpus Chriſti non frangitur, ut probat S. Thomas 3. p. q. 78. art. 7. quia incorruptibile eſt, & totum ſub qualibet Hoſtiæ parte.

Objicies: ex ſpeciebus Panis corruptis generantur quandoque vermes: ſed aliqua ſubſtantia generari non poteſt ex puris accidentibus ab omni ſubſtantia materiali ſeparatis: igitur ſpecies ſeu accidentia Panis non remanent ſine ſubjecto ſumpto pro materia.

Reſp. 1. a Theologis vulgo rejici ſententiam Algeri & Guitmundi qui adverſus Berengarianos ſcribentes dixerunt, ſpecies Euchariſticas apparenter quidem, ſed non vere & realiter corrumpi, nec a muribus aut aliis animalibus corrodi, quibus Eſtio teſte conſentiunt Magiſter ſententiarum, Hugo, Innocentius III. & S. Bonaventura. Sed alii cum S. Thoma dicunt nihil obſtare, quominus affirmetur ſpecies Euchariſticas a muribus corrodi, *cum mus non tangat ipſum Chriſti Corpus ſecundum propriam ſpeciem, ſed ſolum ſecundum ſpecies ſacramentales*. Verba ſunt S. Thomæ.

Reſp. 2. ſubſtantiam vermium, uti & nutritionem aliorum animalium quæ comederent Hoſtias conſecratas, fieri quatenus corruptis illis ſpeciebus Deus de novo creat novam Panis ſubſtantiam quam in loco Chriſti Corporis ſubſtituit.

CAPUT XIII.

De Materia Euchariſtiæ.

EUchariſtia ſumitur vel in ſuo fieri, ut aiunt, hoc eſt, quatenus conficitur, vel in ſuo facto eſſe, hoc eſt, quatenus eſt Sacramentum permanens: agitur de Euchariſtia in ſuo fieri conſiderata, ſeu de ea materia quæ aſſumi debet

Digitized by Google

debet ad conficiendum hoc Sacramentum.

Tametſi apertum eſt ex Evangeliſtis Chriſtum in ſolo Pane & Vino inſtituiſſe Euchariſtiam, non defuere tamen hæretici, qui in hujus Sacramenti confectione aliam prorſus & extraneam materiam impie adhiberent. Gnoſtici nonnunquam ex abortivo fœtu Sacrificium hoc conſummabant teſte S. Epiphanio hæreſi 26. Ophitæ Panem in Euchariſtia conſecrari non credebant, niſi amplexu ſerpentis quem pro Deo venerabantur, ex S. Auguſtino hær. 17. Montaniſtæ Euchariſtiam conficiebant ex ſanguine infantis anniculi quem crebris vulneribus pungebant, ex eodem Auguſt. hær. 27. Manichæi pani quem impurum dicebant, ſemen humanum admiſcuere, hær. 46. Artotyritæ panem ſimul & caſeum offerebant, hær. 28.

Quoad vero ſpectat Calicem Euchariſticum, errarunt quoque nonnulli e Catholicis, de quibus loquitur S. Cyprianus Epiſt. 63. qui, ut mox dicemus, metu perſecutionis in ſola aqua ſine vino Sacrificium offerebant; ne ſcilicet ex odore vini Chriſti Sectatores ab Ethnicis deprehenderentur. Alio principio vinum a ſacris Myſteriis reprobarunt veteres hæretici, quod nempe putabant creaturam eſſe diabolicam, ita Encratitæ, ut refert S. Epiphanius hæreſi 47. & Manichæi teſte S. Leone M. Serm. 4. de quadrageſima; item S. Auguſtinus hæreſi 64. inter hæreticos annumerat quoſdam Aquarios ſic appellatos, inquit, *quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud quod omnis Eccleſia*. In eos omnes ſit

Conclusio.

Panis & vinum ſunt materia idonea & eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ.

Probatur, quia illud eſt materia legitima Euchariſtiæ, quod a Chriſto Domino adhibitum eſt, cum illud Sacramentum inſtituit: ſed panem & vinum adhibuit Chriſtus in hujus Sacramenti inſtitutione, ut patet ex Evangeliſtis Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. de pane quidem, *Accepit Jeſus panem & benedixit & fregit, deditque Diſcipulis ſuis & ait: Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum*. De vino autem poſtquam dixit, *Bibite ex eo omnes*, addit: *Dico autem vobis, Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum bibam illud vobiſcum novum in Regno Dei*. Quod utique confirmatur ex perpetua & conſtanti Eccleſiæ conſuetudine, quotquot enim laudavimus Scriptores Eccleſiaſticos ad aſſerendam præſentiam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia, ii omnes teſtantur illud confectum ex pane, quatenus Chriſtus panem accepit fecitque ſuum Corpus.

Panis ille debet eſſe triticeus; nam ſolus panis ex tritico factus, panis eſt verus & ſimpliciter hominum uſui accommodatus, quanquam ſuper ea re non una ſit Theologorum opinio. Putat enim S. Thomas 3. p. q. 74. art. 3. ad 2. Euchariſtiam confici poſſe ex ſiligine, quam reſpicit tanquam genus quoddam frumenti, *Non ita eſt*, inquit, *de ſiligine quod frumenti genus ex tritico in malis terris ſeminato naſcitur*. Eſtius autem ex hordeo, quod non videtur in praxi retinendum; quapropter deficiente frumento ſatius eſſet abſtinere ab Euchariſtia quæ non eſt abſolute ad ſalutem neceſſaria, quia generatim loquendo in confectione Sacramentorum, quæ non ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, non licet ſequi opinionem probabilem relicta tutiore. Unde etiam ſequitur ex pane penitus corrupto Euchariſtiam conſecrari non poſſe, quia tunc non remanet vera panis natura.

Deinde vinum de vite expreſſum requiritur propter eaſdem rationes; Chriſtus nempe uſus eſt vino; unde quod non eſt verum ſimpliciter vinum, ut acetum, & omphacium, non eſt legitima Calicis materia. De vino congelato an ſit aptum

F 2 con-

conſecrationi diſputatur inter Theologos. Unuſquiſque ſuper ea difficultate & aliis ejuſmodi quæ in praxi occurrere poſſunt, conſulat rubricas Miſſalis tit. *De defectibus in Miſſa occurrentibus*.

Quæres utrum ad valide conficiendam Euchariſtiam panis debet eſſe azymus vel fermentatus, & quænam hac in re fuerit Eccleſiæ praxis?

Reſp. 1. quoad quæſtionem facti, quonam videlicet pane, an azymo vel fermentato uſa fuerit utraque Eccleſia Latina & Græca, variæ ſunt & inter ſe diſcrepantes Theologorum opiniones, quarum plena diſcuſſio præſentis non eſt inſtituti, ſatis erit eas breviter indicare.

Docent veteres Scolaſtici complures utramque Eccleſiam Græcam & Latinam primis temporibus adhibuiſſe azyma exemplo Chriſti; ſed poſtea cum exorta eſſet Ebionitarum hæreſis, qui pane azymo in Myſteriis utebantur, Catholicos omnes in odium hujus hæreſeos rejeciſſe panem azymum & uſurpaſſe fermentatum. Addunt hac hæreſi extincta Latinam Eccleſiam ad priſtinum azymorum uſum rediiſſe, Græcam vero fermentatum retinuiſſe: verum communior opinio quæ nunc apud eruditos viget, ſtatuit Græcos pane fermentato ſemper uſos fuiſſe.

Quoad Latinos vero, hæ ſunt præcipuæ ſententiæ: contendit Sirmondus in diſquiſitione de azymo, uſum fermentati octingentis & amplius annis viguiſſe in Eccleſia Latina, receptum autem azymum medio illo tempore, quod a ſchiſmate Photii uſque ad Michaelem Cærularium effluxit. Scribit Mabillonius in diſſert. de pane azymo Eccleſiam Latinam ſemper uſurpaſſe azymum, uti contenderat Leo IX. in Epiſt. ad Michaelem Cærularium. Denique medium tenet Cardinalis Bona lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 23. ubi docet novem primis ſæculis Eccleſiam Latinam azymo promiſcue & fermentato uſam fuiſſe, nec niſi a decimo ſæculo azymum fuiſſe communiter ab omnibus receptum. Putat iſte Græcos fermentatum ſemper uſurpaſſe, quæ quidem ſententia nunc a majori Theologorum parte ut probabilior adoptatur.

Reſp. 2. quoad quæſtionem juris, utrumque panem azymum & fermentatum eſſe idoneam & legitimam Sacramenti materiam; quia requiritur ſolum ad ſubſtantiam Sacramenti, ut conficiatur ex vero pane: ſed uterque panis azymus & fermentatus, eſt verus panis. Azymo quidem uſus eſt Chriſtus, cum Euchariſtiam inſtituit, ut poſtea dicetur, ſed hanc circumſtantiam uti nec multas alias præcepit. Unde patet quam inique Græci XI. ſæculo culparunt Latinos, quod in azymis conſecrarent, æquiores hac in parte fuerunt Latini, qui Græcos de ſuo uſu non reprehenderunt, rati non immerito hanc quæſtionem non ſpectare fidem, ſed diſciplinam. Et revera cum inter utramque Eccleſiam in Concilio Florentino inita fuit pax, ſtatutum eſt, ut unaquæque Eccleſia ſuam ſervaret conſuetudinem: Unde ſi Latini fermentato, & Græci azymo uterentur, utrique graviter peccarent; ſuæ enim Eccleſiæ ritum perverterent, ut ait S. Thomas 3. p. q. 74. art. 4. quod & obſervare debent Latini Sacerdotes, cum iter agunt per Græciam & Græci in Occidente.

Quæres 2. quænam panis & vini quantitas ſit neceſſaria ad conſecrandam Euchariſtiam.

Reſp. id præciſe non fuiſſe determinatum, ſatis eſſe, ſi aſſumatur paululum vini & panis, ita ut adſit res ſenſibilis, quia Euchariſtiæ Sacramentum eſt, & fiat inſuper aliqua manducatio & bibitio. Datur enim per modum convivii: certe ambo extrema hoc in negotio a Sacerdotibus vitari debent, neque ingentem materiæ partem, neque minimam & inſenſibilem conſecrare licite poſſunt.

1. quidem immenſam aut panis aut vini quantitatem conſecrare non debent Sacerdotes, quia materia hujus Sacramenti determinatur per comparationem ad uſum Fidelium qui illius finis eſt; unde

unde illud ſolum conſecrare debent quod prudenter judicant ſumi poſſe a Fidelibus antequam ſpecies Euchariſticæ corrumpantur. Valeret tamen immenſæ quantitatis aut panis aut vini conſecratio, ut veriſimiliter putat S. Thomas, quia, cum juxta hoc idem principium numerus Fidelium ſit indeterminatus, quantitas materiæ non eſt conſequenter determinata.

2. Nec inſenſibilem aut panis aut vini quantitatem conſecrare poſſunt Sacerdotes. Siquidem ratio Sacramenti poſtulat, ut ejus materia ſit aliquid externum & ſenſibile. Neque dici debet minimam panis conſecrati particulam ſeparatione facta ſuam retinere conſecrationem & totum Chriſtum continere, ut definitum eſt a Concilio Tridentino ſeſſ. 13. can. 3. unde ſequitur & ſimilem panis particulam conſecrari poſſe. Nam Concilium intelligit fieri ſeparationem Hoſtiæ conſecratæ in partes ſenſibiles quas Fideles ſumere poſſent.

Quæres 3. an panis conſecrandus debeat eſſe præſens Sacerdoti conſecranti?

Reſp. præſentem eſſe debere moraliter loquendo, ea nimirum præſentia quæ requiritur ex prudentum judicio, ut Sacerdos vere dicere poſſit, *Hoc eſt Corpus meum*, demonſtrando Corpus Chriſti, res quippe abſens vel multum diſtans, ut panis trans parietem, vel a tergo Sacerdotis poſitus, proprie non demonſtratur. Ita S. Thomas in 4. ſent. diſt. 11. quæſt. 2. art. 2. cæterum mihi non probatur ratio agendi quorumdam Sacerdotum, qui cum fortaſſe putent conſecrari non poſſe Hoſtiam, niſi vel labiis vel halitu eam veluti contingant, ſingulas verborum conſecrationis ſyllabas cum interruptione pronuntiant, qui ſane ſcrupulus non eſt ſecundum ſcientiam.

Quæres utrum ex parte Sacerdotis requiratur intentio conſecrandi hanc vel illam Hoſtiam, hunc vel illum Hoſtiarum numerum.

Reſpondeo affirmative, quia cum illa intentio ſit practica, neceſſe eſt ut Sacerdos qui agit humano modo ſibi proponat aliquod objectum determinatum circa quod verſetur ejus actio, & ad quod referuntur verba quæ loco formæ pronuntiaturus eſt: unde Sacerdos, qui cenſetur habere intentionem conſecrandi Hoſtiam quam præ manibus tenet, revera conſecrat. Si vero magnum Hoſtiarum numerum præſentem habeat, etſi eas minime numeret, tamen valide conſecrantur. Si autem plures haberet ſub oculis, ex quibus vellet ſolummodo quatuor aut quinque conſecrare, eaſque non deſignaret, nullas de facto conſecraret, quia non haberet objectum fixum ac determinatum.

Quæres utrum panis qui aſſumitur ad conficiendam Euchariſtiam fuerit ſemper ſtudio præparatus.

Reſpondeo non unam & eandem ſemper fuiſſe hujus panis præparationem. 1. Enim conſtat in prioribus Eccleſiæ ſæculis panem communem domorum fuiſſe adhibitum tanquam Euchariſtiæ conficiendæ materiam, ut patet tum ex eo quod legitur in Actibus Apoſtolor. panem per domos fregiſſe, tum ex eo quod, cum poſtea ſæviit non ſemel in Eccleſia perſecutio, Fideles qui in antris plerumque communicabant, obvium panem adhibere cogebantur.

2. Secutis temporibus panis Euchariſticus cum aliquo ſtudio fuit præparatus; ei datam fuiſſe figuram orbicularem videtur colligi poſſe ex S. Epiphanio in Ancorato num. 57. ubi teſtatur panem Euchariſticum eſſe rotundum. VII. ſæculo ſic loquitur Concilium Tolet. XVI. *Ut non aliter panis in Altari ſanctificandus præponeretur, niſi mundus & nitidus & qui ſtudio præparatus fuiſſet.*

3. Patet ex Epiſtola Humberti Cardinalis adverſus Michaelem Cærularium undecimo ſæculo ſcripta, Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe, ut panis integer conſecraretur & in fruſta divideretur per particulas cuique Fidelium diſtribuendus; ex XII. tamen ſæculo extat monumentum mentionem faciens Ho-

Digitized by Google

Hoſtiarum quæ hodie in Eccleſia uſitatæ ſunt, nimirum ex Ernulpho Epiſcopo Roffenſi qui in Epiſtola ad Lambertum ſic habet, *Illi* Apoſtoli, *panes quotidianos comederunt, nos in forma nummi panem accipimus*. Extat illa Epiſtola in tom. 2. Spicilegii.

CAPUT XIV.

An. Vino in Calice miſceri debeat Aqua.

SEptimo ſæculo Armeni Eutychianorum errore imbuti, ne duarum in Chriſto naturarum diſtinctioni favere viderentur, vinum purum ſine aqua conſecrabant; hos hæreticos ob id proſcripſit Trullana Synodus can. 32. his verbis: *Si quis ergo Epiſcopus vel Presbyter non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem, & aquam vino non miſcens, ſic immaculatum non offert Sacrificium, deponatur imperfecte myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt, innovans.*

Eundem errorem amplexi ſunt Proteſtantes, Lutherus quidem in primo opere adverſus Henricum VIII. Angliæ Regem ſic loquitur, *Melius & tutius foret aquam non miſcere vino cum ſit merum figmentum humanum*. Hoc eodem principio fulti Calviniſtæ, quod videlicet mixtio aquæ cum vino non fuerit a Chriſto præcepta, vino ſine aqua utuntur in ſua Cœna.

Hoſius Cardinalis lib. 4. de traditionibus fateri videtur mixtionem aquæ cum vino in Calice neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti divini, putans eam fuiſſe opinionem S. Cypriani in Epiſt. 63. quæ eſt ad Cæcilium.

Denique teſtatur S. Bernardus epiſt. 69. ad Guidonem his temporibus quemdam ſcriptorem affirmaſſe, aquam eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti, ita ut ſine ea vinum conſecrari non poſſet; quapropter tria hic juvat oſtendere, 1. Aquæ mixtionem eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici; 2. non eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti divini; 3. nec neceſſitate Sacramenti.

PRIMA CONCLUSIO.

Vino in Calice miſcendam eſſe aquam, neceſſarium eſt neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici.

Probatur, quia id expreſſe jubet Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 7. ubi ſic loquitur: *Monet ſancta ſynodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit.* can. 9. adverſus Novatores rem ſic decernit, *Si quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum ... aut aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti intentionem, anathema ſit.* Idem habetur in decreto Eugenii IV. ubi præcipit Armenis, ut deinceps vinum in Calice aqua temperent, cujus obſervantiam fundat in exemplo Chriſti & perpetua Eccleſiæ Romanæ conſuetudine. Idem quoque legitur in Concilio Trullano can. 32. & longe antea in Carthaginenſi III. c. 24. his verbis, *Ut in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum*. Tum vero in Triburienſi can. 19. *Cujus rei veritatem*, inquit, *in hac ſancta Synodo confitemur, credimus & confirmamus, ne ullus ſine commixtione vini & aquæ Myſteria ſacra perficiat.*

Huic autem Eccleſiaſticæ legi locum dederant veterum Patrum teſtimonia; nam S. Juſtinus apolog. 2. ſic loquitur: *Deinde ei quia fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini*. S. Irenæus lib. 4. cap. 57. *Dominus temperamentum Calicis ſui Sanguinem confirmavit*. & S. Cyprianus epiſt. 63. *Admonitos nos ſcias ... ut Calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur*. S. Hieronymus in cap. 14. Marci, *Format Chriſtus Sanguinem ſuum in Calice vino & aqua mixtis*. Quod idem docet S. Baſilius & S.Chry-

Digitized by Google

S. Chryſoſtomus in ſuis liturgiis, & Theodoretus dialogo 2.

Ex his autem autoritatibus duo colligenda ſunt. Primum falſo dictum a Luthero mixtionem aquæ cum vino merum eſſe figmentum humanum, quandoquidem in pleriſque ex citatis locis aſſeritur, hanc praxim ab ipſo Chriſto & Apoſtolis deſcendere. Alterum eſt, quoſdam immerito crimini vertere Græcis, quod vinum Calicis aqua non temperent, ex eorum quippe Autoribus & Liturgiis contrarium apparet.

Neque dicat Lutherus aquam vino mixtam ſemper habere in ſcripturis peſſimam ſignificationem; namque hoc abſolute loquendo falſum eſt; quin potius duplici ex cauſa juxta doctrinam Concilii Tridentini loco citato aqua miſcetur vino in Calice, tum quia e latere Chriſti aqua cum Sanguine exivit, tum quia per hanc mixtionem unio Fidelium cum Chriſto repræſentatur, quatenus aqua in Apocalypſi populum ſignificat.

Secunda Concluſio.

Mixitio aquæ cum vino neceſſaria non eſt neceſſitate præcepti divini.

Probatur, quia nullum revera de ejuſmodi mixtione facienda extat in Scripturis Chriſti Domini præceptum, quod ita ſenſiſſe Concilium Tridentinum, aperte ipſum docet; cum loco mox citato ait hanc aquæ mixtionem in Calice præceptam fuiſſe *ab Eccleſia*, his enim verbis ſignificant Patres Tridentini non aliam admiſcendæ aquæ neceſſitatem agnoſcere ſe, quam præcepti Eccleſiaſtici: neque objici debet communem eſſe fere omnium opinionem, ejuſmodi praxim & legem Eccleſiæ fundatam eſſe in exemplo Chriſti. Namque credendum non eſt, id omne a Chriſto fuiſſe præceptum quod ipſe fecit; Chriſtus enim Euchariſtiam inſtituit poſt Cœnam, ſerotinis horis, ſub utraque ſpecie, in pane azymo, &c. neque tamen de his omnibus obſervandis præceptum tulit.

Objicitur autoritas S. Cypriani, qui epiſt. 63. jam citata non modo ex Chriſti exemplo, ſed & ex ejus mandato probat aquam eſſe vino miſcendam, *Utique*, inquit, *id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit & quod faciendum eſſe mandavit*. Huic objectioni faciemus ſatis in ſequenti concluſione.

Tertia Concluſio.

Aquæ mixtio in Calice non eſt quoque neceſſaria neceſſitate Sacramenti, quaſi vinum ſine aqua conſecrari non poſſit.

Probatur nonnullis momentis, 1. quia talis neceſſitas ſiletur omnino in Scripturis, in quibus de aqua Calici admiſcenda nullum verbum. 2. Quia Patres, qui teſtantur aquam vino eſſe miſcendam, putabant tamen ex vino ſine aqua recte conſecrari Sanguinem Chriſti, ut colligitur ex S. Cypriano epiſt. 63. ubi ſic loquitur: *Nam ſi vinum tantum quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis*. 3. Concilium Trident. ſeſſ. 13. c. 3. ait, *ſemper hanc fidem in Eccleſia Dei fuiſſe, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini Corpus, verumque ejus Sanguinem ſub panis & vini ſpecie exiſtere*. Ubi cum de aqua nullam mentionem faciant Patres Tridentini, aperte ſignificant eam non eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti.

Obj. Quod a Chriſto fuit factum, & ab Eccleſia ſemper obſervatum, merito cenſetur neceſſarium neceſſitate Sacramenti: ſed talis fuit admixtio aquæ ut patet ex dictis: igitur.

Diſt. maj. quod a Chriſto fuit factum ut aliquid eſſentiale, C. ut minime eſſentiale, N. nam ut mox probavi ex multis exemplis, non cenſentur a Chriſto præcepta adeoque neceſſaria neceſſitate Sacramenti quæcunque ab eo facta ſunt in inſtitutione Sacramentorum. Quæ vero ſint eſſentialia, quæ accidentalia tantum, judicatur ex decretis & praxi Eccleſiæ.

Obj. S. Cyprianus totus eſt in epiſt. 63. ut oſtendat aquam & vinum in Calice ſeparari non poſſe, ubi ait 1. id præce-

ptum

Digitized by Google

ptum eſſe a Chriſto. 2. Non magis offerri poſſe vinum ſolum, quam aquam ſolam; certum eſt autem non fieri Sacramentum cum aqua ſola. 3. Ait paris eſſe neceſſitatis vino conjungere aquam in Calice, ac farinam aquæ ad conficiendum Chriſti Corpus. 4. Arguit ex eo quod Sacrificium ſine utroque non eſſet perfectum: *Dominus*, inquit, *Calicem docuit exemplo magiſterii ſui vini & aquæ conjunctione miſceri... ſic autem in ſacrificando Calice Domini offerri ſola aqua non poteſt, ſicut nec vinum ſolum... ſic vero Calix Domini non eſt aqua ſola aut vinum ſolum, niſi utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec Corpus Domini, nec poteſt eſſe farina ſola aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum & panis unius compage ſolidatum.... Sacerdos Sacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe*: igitur aqua eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

Reſp. hanc difficultatem penitus evaneſcere, ſi attendatur ad Sancti Cypriani propoſitum. Scilicet vult ibi probare non aquam vino, ſed vinum aquæ miſcendum, agens contra quoſdam Chriſtianos qui, ut habet in fine hujus epiſtolæ, in ſola aqua Calicem conſecrabant & offerebant, ne ſaporem vini redolendo ab infidelibus detegerentur; quapropter totus eſt ſanctus Doctor, ut probet vinum eſſe neceſſarium, nec aquam ſolam ſufficere; adeoque, cum ait vinum & aquam in Calice ſeparari non poſſe, non magis offerri debere vinum ſolum quam aquam ſolam, utriuſque mixtionem a Domino præceptam fuiſſe, & ab Apoſtolo traditam, & alia id genus; hoc unum intendit probare, vinum eſſe Calici infundendum, nec alio tendunt hæc, & alia ejuſdem Cypriani argumenta.

At, inquies, ait aquam eſſe paris neceſſitatis ac vinum, ſicut ad Corpus Chriſti conficiendum, aqua & farina utrinque ſunt neceſſaria.

Diſt. ant. ut probet vinum eſſe neceſſarium, C. aquam eſſe neceſſariam, N. nam ait ibidem cum ſolo vino fieri conſecrationem Sanguinis Chriſti, *Si vinum*, inquit, *tantum quis offerat*, *Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis*. Quod ſane non dicit de aqua.

Inſtabis: Ex S. Cypriano ſine aqua plenum non erit nec perfectum ſacrificium: igitur.

Diſt. perfectum quoad myſticam ſignificationem Sacrificii, C. quoad eſſentiam Sacramenti, N. nemo non videt S. Cyprianum hac in epiſtola Calicem Dominicum ſpectare ſecundum myſticam repræſentationem quæ in eo poſita eſt, quod vinum deſignat Chriſtum, & aqua Populum Chriſtianum; unde colligi non poteſt exiſtimaſſe S. Cyprianum aquam eſſe neceſſariam ad conficiendum eſſentialiter ipſum Sacramentum.

Quæres 1. in qua quantitate Calici infundi debeat aqua?

Reſp. minus aquæ quam vini ponendum eſſe in Calice conſecrando, ut habetur cap. *Perniciosus*, de celebratione Miſ. ubi ſic loquitur Honorius III. *Perniciosus inolevit uſus, videlicet quod in majori quantitate de qua ponitur in Sacrificio quam vino, cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum*. Unde Eugenius IV. in ſuo decreto hoc præſcribit, *vino ante conſecrationem aqua modiciſſima adhiberi ſolet*. In Eccleſia ſcilicet Latina, cujus diſciplinam & ritus edocere volebat Armenos. Nono ſæculo ſtatuerat Concilium Triburienſe aquam non debere tertiam Calicis partem excedere, *Duæ ſint*, inquit, *partes vini*, *tertia aquæ*. Si quidem vinum eſt propria & neceſſaria Calicis materia, quod debet ſolum eſſe aqua tempera tum, ut loquuntur plerique e SS. Patribus & Theologis.

Quæres 2. utrum aqua, quæ infunditur calici ante conſecrationem, convertatur in Sanguinem Chriſti?

Reſp. 1. gravem ſuper hac quæſtione in Gallia exortam eſſe controverſiam ſæcu-

Digitized by Google

ſæculo XII. ut refert Baronius tom. 12. ad annum 1188. tum & poſtea ſub Innocentio III. ut conſtat ex ejus epiſtola ad Joannem Archiep. Lugdunenſem, tom. 1. pag. 671. ubi ſummus Pontifex diverſas recenſet opiniones, quorumdam ſcilicet dicentium aquam cum vino converti in Sanguinem Chriſti, aliorum qui cenſebant aquam converti in eum liquorem qui ex Chriſti mortui latere fluxit, & denique aliorum qui putabant aquam remanere in propria ſubſtantia vini accidentibus circumfuſam.

Reſp. 2. affirmative, tum quia, cum Sacerdos pronuntiat hæc verba conſecrationis, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, loquitur manifeſte de eo omni quod in Calice continetur, nulla facta reſtrictione, ſed aqua ſupponitur prius vino immixta; tum quia hanc ſententiam tuentur plerique Theologi; nam Innocentius III. loco citato ait, hanc noſtram opinionem eſſe aliis probabiliorem, & S. Thomas 3. p. q. 75. art. 3. cenſet opinionem contrariam ſtare non poſſe.

Quæres 3. utrum ſit de fide aquam converti in Sanguinem Chriſti.

Reſp. negative, ſi quidem licet hæc ſententia communis ſit, ut mox dictum eſt apud Theologos, tamen ea nuſpiam definita fuit in ullo Concilio generali, cum aliunde non habeatur expreſſe in Scripturis Sacris nec in traditione SS. Patrum: unde Innocentius III. pronuntiat ſolum illam eſſe probabiliorem, oppoſitas opiniones non dicit hæreticas nec erroneas.

Obj. De fide eſt id omne in Sanguinem Chriſti fuiſſe converſum, quod Chriſtus in Calice conſecravit; ſed Chriſtus aquam ſimul cum vino conſecravit: ergo.

Diſt. maj. quod conſecravit tamquam materiam eſſentialem, C. accidentalem, N. ut diximus autem aqua non eſt materia eſſentialis; quia Calicis conſecratio fieri poteſt in ſolo vino.

Obj. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. can. 2. peracta conſecratione remanent ſolæ panis & vini ſpecies: ergo de fide eſt aquam fuiſſe mutatam in Sanguinem Chriſti.

Nego conſ. quia in mente Patrum Trident. ſpecies panis & vini dicuntur remanere ſolæ per excluſionem ſubſtantiæ panis & vini, quia volunt eo loci tranſubſtantiationem aſſerere contra Lutheranos, an vero mutetur aqua nec ne definire non cogitant, cum de illo negotio non ageretur.

Obj. Docet fides id omne quod continetur in Calice poſt conſecrationem eſſe objectum noſtræ adorationis, alioquin Fideles periculo idololatriæ exponerentur: ergo docere debet eadem fides aquam non remanere in Calice, ſed fuiſſe converſam.

Nego ant. poſſet enim aliquid extraneum reperiri in Calice poſt conſecrationem, & reperitur, v. g. aer in poris Sanguinis Chriſti, neque tamen ſubſtantia illa extranea qualiſcunque, dici poſſet objectum noſtræ adorationis. Quapropter fides docet tantum Sanguinem Chriſti in Calice contentum, objectum eſſe noſtræ adorationis.

Quæres 3. an aqua convertatur immediate, hoc eſt per ſeipſam proxime in Sanguinem Chriſti, ut plerique Theologi volunt, vel mediate tantum ita ut prius convertatur in vinum quam ipſum vinum convertatur in Sanguinem Chriſti, ut contendunt Thomiſtæ, duce magiſtro ſuo?

Reſp. probabilius eſſe aquam immediate converti in Sanguinem Chriſti. Hanc quippe ſententiam tenet major Theologorum pars; nimirum ii omnes qui licet expreſſe de converſione mediata, vel immediata non loquantur, affirmant ſimpliciter aquam converti, aquam conſecrari, benedici; ſi enim aqua fuiſſet converſa in vinum, male diceretur aqua converti & benedici; verum eſſet duntaxat dicere, vinum converti in Sanguinem Chriſti. Præterquam quod communis eſt Philoſophorum ſententia, aquam non poſſe converti in vinum, ut

Digitized by Google

ex eo perſpicuum eſt, quod ſi aqua vino infundatur, vinum illa ſtatim debilitat.

Neque objici debet Catechiſmus Concilii Trid. qui p. 2. num. 18. docet idcirco paululum aquæ infundi debere in Calicem, quia in vinum converti debet, prius quam in Chriſti Sanguinem mutetur, fatemur enim hanc fuiſſe doctrinam Autorum hujus Catechiſmi.

At, inquies, id ſolum convertitur immediate in Sanguinem Chriſti, quod eſt materia eſſentialis; ſed aqua non eſt materia neceſſaria Calicis: ergo.

Nego maj. quia licet fermentum non ſit materia neceſſaria hujus Sacramenti, tamen immediate converteretur in Sanguinem Chriſti, ſi panis fermentatus conſecraretur.

Utut ſit, fatentur omnes non niſi modicum aquæ vino in Calice eſſe admiſcendum, ut docet S. Thomas 3. p. qu. 74. art. 8. quod ſimiliter definivit Eugenius IV. in ſuo Decreto pro inſtructione Armenorum his verbis, *Aqua modicisſima miſceatur*, quem morem obſervat Eccleſia univerſa.

Quidam putant idcirco Dominicanos aquam in Calicem immittere, antequam Miſſa incipiat, quia alioquin ſatis non eſſet temporis, ut aqua ante conſecrationem in vini ſubſtantiam converti poſſet. Verum hæc conjectura eſt falſa, ſuam etenim praxim fundant Dominicani in eo quod multis in Liturgiis habetur præparanda eſſe oblata ante initium Sacrificii.

Caput XV.

De forma Euchariſtiæ.

Agitur hic de Euchariſtia ſpectata in ſuo fieri, & quæritur quænam ſit ejus forma aut potius cauſa efficiens, hoc eſt per quid tanquam per cauſam efficientem fiat conſecratio ſeu converſio panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti?

Novatorum non una eſt hoc in negotio ſententia, quidam putant nulla verba eſſe neceſſaria, ut Bucerus. Scribit Lutherus parum referre quibus verbis conficiatur Sacramentum, modo adſit fides ſuſcipientis: Calvinus vult quidem neceſſaria eſſe verba, ſed concionatoria; quia non requiruntur ad conſecrandum, ſed ad fidem excitandam. Ex recentioribus quidam reponunt formam conſecrationis in verbis Chriſti, alii in precibus, alii demum in tota liturgia.

Græci ſchiſmatici vim conſecrandi tribuunt precibus quæ continentur in liturgiis; ſed diſſentiunt inter ſe. Alii enim aſſerunt verba Chriſti narrative tantum proferri a Sacerdotibus; alii vero cenſent eadem verba conjunctim cum præcibus concurrere ad conſecrationem. Loquuntur Græci de precibus quæ apud illos pronuntiantur poſt verba Chriſti.

Non conſentiunt etiam inter ſe omnes Theologi, cum aſſignant præciſe cauſam efficientem conſecrationis; Scotus diſt. 18. q. 2. putat præter voces, *Hoc eſt Corpus meum*, iſtas alias requiri, *Pridie quam pateretur*, &c. ut nempe verba illa poſſint a Sacerdote proferri, quaſi in perſona Chriſti.

Odo Cameracenſis in Canonem Miſſæ exponens hæc verba: *Dedit Diſcipulis*, &c. ſcribit Chriſtum Dominum in ultima Cœna per benedictionem conſecraſſe, antequam pronuntiaret hæc verba: *Hoc eſt Corpum meum*. & hanc rationem reddit, *Non enim poſt benedictionem*, inquit, *dixiſſet: Hoc eſt Corpus meum, niſi in benedictione fieret Corpus ſuum.*

Innocentius III. docet lib. 4. de myſterio Altaris cap. 6. Chriſtum abſque ulla verborum formula conſecraſſe, *Sane dici poteſt*, inquit, *quod Chriſtus virtute divina confecit, & poſtea formam expreſſit ſub qua poſteri benedicerent, ipſe namque per ſe virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute quam indidit nobis.*

Catharinus qui ſeptem prioribus Concilii Tridentini ſeſſionibus interfuerat, opuſculo de conſecratione contendit non

ſolis

ſolis Chriſti verbis, ſed etiam precibus fieri conſecrationem, ut ſcilicet hoc pacto defendatur fides & praxis Græcorum. Nituntur illi hoc potiſſimum momento, quod Chriſtus per benedictionem & antequam Apoſtolis ſuum Corpus porrigeret dicendo, *Hoc eſt Corpus meum*, panem conſecraverat. Eodem modo rem explicant, Durandus lib. 4. de divinis officiis c. 41. Chriſtophorus a Capite fontium & Salmeron, quibus adjungimus P. le Brun Presbyterum Oratorianum in rebus liturgicis eruditiſſimum, qui in tomo 3. rerum liturgicarum pro illa opinione fortiter pugnat quæ contendit formam Euchariſtiæ poſitam eſſe in verbis Chriſti, ſimul & in precibus.

Verum communis nunc Theologorum opinio eſt, Chriſtum Dominum his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, & illis, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, conſecraſſe, quibus etiam nunc Sacerdotes conſecrant, quorum ſententiæ proinde ſubſcribimus.

CONCLUSIO.

Conſecratio panis fit per hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, & conſecratio vini per iſta, *Hic eſt Calix Sanguinis mei, &c.* non per preces, neque per benedictionem.

Probatur ex Apoſtolo, qui tradens integrum conſecrationis ritum 1. Corint. cap. 11. ut patet ex iſtis verbis: *Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis*, poſt recenſitas Chriſti actiones, hæc præcipue affert verba, *Hoc eſt Corpus meum*, nulla commemorata prece, innuens conſequenter Chriſtum conſecraſſe his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, non autem per benedictionem. Certe nec ipſe Chriſtus alio modo quam per verba hæc, *Hoc eſt Corpus meum*, conſecravit, voluit enim inſtituere aliquod Sacramentum, adeoque adhibere materiam aliquam & formam ſenſibilem, videlicet panem pro materia & verba pro forma, ut expreſſe teſtatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1. ubi ait: *Chriſtum poſt panis vinique benedictionem ſe ſuum Corpus præbere ac ſuum Sanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatum eſſe, quæ verba a SS. Evangeliſtis commemorata, & a divo Paulo poſtea repetita*. Quod probat Chriſtum Corpus ſuum feciſſe per verba.

Probatur autem validius ex univerſa SS. Patrum traditione; ii enim pene omnes verbis Chriſti tribuunt conſecrationem panis & vini, non precibus, neque benedictioni: S. Irenæus lib. 5. cap. 2. *Quando ergo & mixtus Calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia Sanguinis & Corporis Chriſti*; Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem Corpus illum ſuum fecit*, Chriſtus, *Hoc eſt Corpus meum dicendo*; S. Gregorius Nyſſenus oratione Catech. cap. 37. *Nam nunc Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi Corpus credimus immutari ... ſtatim per verbum Corpus immutatur, ut dictum eſt a verbo, Hoc eſt Corpus meum*. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Paſchate, *Prolatis verbis, Hoc eſt Corpus meum, a Sacerdote qui non credit eſſe verum Corpus Chriſti ſine dubio fidem derogat*; S. Ambroſ. lib. de init. cap. 9. *Nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur*; S. Chryſoſt. hom. de proditione Judæ, *Hoc eſt, inquit Sacerdos, Corpus meum; hoc verbum propoſita in alium rithmum ſeu formam convertit*; Sanctus Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. dixit Deus, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt Sanguis meus; & hoc facite in meam commemorationem, atque omnipotenti ipſius præcepto donec ipſe veniat hoc efficitur*. Unde Eugenius IV. in ſuo decreto ſic loquitur; *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum*. Et ea ſimiliter eſt doctrina Catechiſmi Concilii Trident. part. 2. ſeſſ 19. ex quibus manifeſtum eſt, & Chriſtum præfatis verbis conſecraſſe, & Sacerdotes etiam iiſdem nunc verbis conſecrare. His addi poteſt quod legitur in rubricis generalibus Miſ-

ſalis Romani titulo *De defectibus panis*, ubi ſic habetur, *Si adverterit poſt conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem, poſita alia faciat oblationem, & a conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis*, (Qui pridie quam pateretur) ex quibus ſequitur juxta rubricas conſecrationem non fieri per preces, quæ antecedunt prædicta verba, *Qui pridie*, ut contendunt adverſarii; & a fortiori non fieri per preces quæ ſubſequuntur verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, cum ſupponant jam factam conſecrationem, ut per ſe patet.

2. Conſecrationem non fieri per preces conſtat ex ipſis Græcorum Liturgiis, quas poſtea citabimus; nam volunt illi Schiſmatici conſecrationem fieri per preces quæ ſubſequuntur hæc Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ſed iſtud oſtenditur manifeſte falſum ex eorum conſuetudine, qua ſtatim poſt prolationem verborum Hoſtia proponitur adoranda ſicut etiam fit apud nos & ſubito Populus elata voce reſpondet, *Amen*; hoc eſt, fiat, credimus hoc eſſe Chriſti Corpus.

3. Nec per benedictionem fit conſecratio, quia Chriſtus ipſe per benedictionem non conſecravit; nam SS. Matth. & Marcus in ſuis Evangeliis, benedictionis quidem mentionem faciunt; ſed ejus non meminere S. Lucas in ſuo Evangelio, & S. Paulus I. Cor. 11. deinde SS. Matth. & Marcus benedictionis tantum meminerunt, ubi de conſecratione Panis, non ubi de conſecratione Calicis.

Obj. Manifeſtum eſt ſpectata ſerie Canonis Miſſæ hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, pronuntiari a Sacerdote recitando quod Chriſtus fecit & dixit, quando inſtituit Euchariſtiam, non autem ut ſignificetur per ea fieri Corpus Chriſti. Unde ſatius eſt dicere conſecrationem fieri per iſtam precem quæ antecedit his verbis expreſſam: *Ut fiat Corpus & Sanguis dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*: igitur.

Reſp. vere quidem videri hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, non niſi hiſtorice & recitative pronuntiari a Sacerdote, ſi ratio habeatur contextus Canonis Miſſæ ut cuilibet legenti maxime perſpicuum eſt, ſed ſeu pronuntientur ſignificative, ut multi Theologi cenſent; ſeu recitative tantum, conſtat ex SS. Patribus & majori Thologorum parte, ea locum tenere formæ ſeu cauſæ efficientis in conſecratione: ii etenim pene omnes cenſent Chriſtum conſecraſſe his verbis: *Hoc eſt Corpus meum*, dicendo, ut ait Tertullianus. Quin & nonnulli minime ignorantes præſentem Canonis Miſſæ diſpoſitionem; tamen docuerunt per eadem Chriſti verba Sacerdotes conſecrare. Non eſt autem regula certior ad interpretandum aliquem contextum, quam ſi Patrum & Theologorum ſenſui & placitis adhæreamus.

Inſtabis: Si hæc verba prout a Sacerdote proferuntur, eſſent practica, deberent efficere quod ſignificant; ſed non efficiunt id quod ſignificant; alioquin efficerent corpus Sacerdotis, non Corpus Chriſti. Sacerdos enim non dicit, Hoc eſt Corpus Chriſti, ſed dicit, *Hoc eſt Corpus meum*. Igitur per verba iſta, *Hoc eſt Corpus meum* cum pronuntiantur a Sacerdote, non efficitur conſecratio.

Nego min. ad cujus probationem reſpondetur negando conſequentiam, quia Sacerdos conſecrat in perſona Chriſti; dicens proinde, *Hoc eſt Corpus meum*, non autem, Hoc eſt Corpus Chriſti. In hunc ſenſum loquitur Eugenius IV. in ſuo decreto, *Forma hujus Sacramenti*, inquit, *ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*.

Obj. Per id conſecrant Sacerdotes per quod conſecravit Chriſtus; ſed Chriſtus conſecravit per benedictionem, hujus enim benedictio fuit efficax, juxta illud Apoſtoli I. Corint. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* igitur.

Nego min. ad cujus probationem diſtin-

guo,

guo, fuit efficax per verba ſubſequentia, *Hoc eſt Corpus meum*, C. per ſeipſam, N. verba enim quæ ſignificantius rem deſignant, merito cenſentur aliis efficaciora. Nec quidquam efficit locus Apoſtoli, alioquin fractio foret quoque cauſa conſecrationis, ait enim Apoſtolus, *Panis quem frangimus, nonne communicatio Corporis Domini eſt?* nimirum S. Paulus per benedictionem eo loci intelligit totam Cœnæ Euchariſticæ celebrationem.

Vel reſponderi poteſt cum aliis Scripturæ Interpretibus, ejuſmodi benedictionem, quam Chriſtus pani & vino impertitus eſt, nihil aliud fuiſſe quam orationem præparatoriam, per quam Patris Æterni potentiam advocavit, quod præſtare ſolebat magna quædam opera patraturus, ut quando Lazarum e mortuis ſuſcitavit, quo poſito, non per illam præciſe benedictionem, ſed per verba, *Hoc eſt Corpus meum*, quæ poſtea protulit, panem & vinum conſecravit.

Nec miror quod Innocentius Papa III. contra docuerit Chriſtum nullis verbis prolatis conſecraſſe, fatemur enim hanc ipſius fuiſſe opinionem quam tenuit antequam crearetur ſummus Pontifex, in quem ſenſum hujus autoritati reſpondet S. Thomas, *Prædicta verba Innocentii*, inquit, *opinative magis dicta quam determinative*.

Inſtabis, ſaltem innuere videtur Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 1. Chriſtum Dominum per benedictionem conſecraſſe, ſic enim loquuntur Patres, *Quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, apertiſſime profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis benedictionem ſe ſuum Corpus illis præbere, ac ſuum Sanguinem diſertis verbis teſtatus eſt*. Ibi enim docent ſtatim poſt panis benedictionem Chriſti Corpus fuiſſe poſitum, antequam illud Apoſtolis præberet, adeoque antequam pronuntiaret hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ea quippe non pronuntiavit, niſi cum ſuum Corpus diſtribuit, dicens: *Accipite*, &c.

Reſp. ruere penitus totum illud ratiocinium, quia Patres Tridentini non affirmant eo loci, Corpus Chriſti *ſtatim* poſt benedictionem Chriſti fuiſſe poſitum, ibi benedictionem a Chriſto factam non ſeparant a prolatione verborum & aliis Chriſti actionibus, ut uni potius quam alteri tribuant effectum conſecrationis; volunt enim ſolummodo decernere inſtitutionem hujus Sacramenti factam fuiſſe a Chriſto, quando panem benedixit, & ſuum Corpus fregit, dedit, &c. Alioquin falſo dixiſſent hanc eſſe communem omnium Chriſtianorum fidem, *Quotquot*, inquiunt, *in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, apertiſſime profeſſi ſunt*, *&c.* Falſum erat enim temporibus Concilii Tridentini omnes Chriſtianos tenuiſſe Chriſtum per benedictionem conſecraſſe. Deinde conſtat apud omnes, ut mox oſtendetur, Patres hujus Concilii dedita opera noluiſſe hanc quæſtionem inter Theologos ventilatam definire.

Ob. Solent SS. Patres affirmare conſecrationem fieri per preces, per orationem, per invocationem Dei, &c. Origenes lib. 8. contra Celſum ait nos edere panes oblatos *Corpus ſanctum per preces effectos*; S. Irenæus lib. 4. cap. 34. *Panis percipiens invocationem Dei, jam non eſt panis communis ſed Euchariſtia*; S. Cyrillus Jeroſ. Catech. 2. *Panis Euchariſtiæ poſt Sancti Spiritus invocationem*; S. Hieron. Epiſt. 85. loquens de Sacerdotibus, *Ad quorum preces conficitur Corpus Chriſti*: quomodo loquuntur & alii pene omnes.

His adde Liturgias Græcorum ubi his verbis, *Hoc eſt Corpus meum*, prolatis, Sacerdos orat ut Deus ea tranſmutet & faciat Corpus & Sanguinem Chriſti: id videre eſt in Liturgia S. Baſilii, in illa quæ eſt S. Chryſoſtomi, uti & in Liturgiis SS. Jacobi & Marci; item in antiquis Miſſalibus, in Mozarabico, in Gothico, in Gallico, & ſimile quid in hodierno noſtro Miſſæ Canone his verbis *Per quem*, Chriſtum, *hæc omnia*, Do-

Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis & præſtas nobis. igitur per preces fit conſecratio.

Reſp. Patres idcirco aſſerere conſecrationem fieri per preces, quod verba conſecratoria profert Sacerdos veluti ſupplex, non proprio nomine, ſed precarie & miniſterialiter agens; quo ſenſu S. Auguſtinus loquens de miniſtro Baptiſmi, cujus forma poſita eſt in verbis indicativis, non in precibus ait, *Exaudit Dominus homicidam deprecantem ſuper aquam Baptiſmi*, lib. 3. de Bap. cap. 2. vel dicendum eſt, Patres loqui de tota Liturgia, quæ non modo verba hæc conſecratoria, *Hoc eſt Corpus meum*, ſed & preces etiam multas continet.

Quoad ſpectat Liturgias, reſpondeo his precibus, quæ verborum Chriſti prolationem ſequuntur, non poſtulari abſolutam converſionem donorum in Corpus & Sanguinem Chriſti, cum jam ſupponatur præſens ſuper altari; ſed reſpectivam ſolum pro ſalute ſuſcipientium; quod conſtat 1. ex illis fere omnibus Liturgiis attente conſideratis, non alium enim ſenſum exhibent. 2. Id clare habet Liturgia Latina his verbis, *Ut quotquot ex hac altaris participatione Sacro-Sanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur*. 3. Ex reſponſione Græcorum in Concilio Florentino, ubi interrogati, cur poſt hæc Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, preces addunt quibus adhuc donorum conſecrationem poſtulare videntur, reſponderunt ſe duntaxat poſtulare, ut fiant accipientibus in emundationem animæ & in remiſſionem peccatorum, non autem in condemnationem; non dubitantes quin per Chriſti verba, facta fuerit traſmutatio panis in Corpus Chriſti.

Non me latet quod ſcribit Syropulus in hiſtoria Concilii Florentini, hanc reſponſionem & ſententiam non fuiſſe omnium Græcorum, ſed ſolum Beſſarionis & aliorum quorumdam, quos in partes ſuas traxerant Latini. Verum reponit Labbeus in notis ad Concilium Florentinum pag. 1281. hunc Syropulum fuiſſe hominem nihili ſchiſmaticum, mendaciſſimum & Latinis infenſiſſimum.

Inſtabis: S. Baſilius in ſua Liturgia poſt Chriſti verba, dona propoſita vocat antitypa Corporis & Sanguinis Chriſti; ſed eo nomine nunquam ea vocavit poſt conſecrationem teſtibus Epiphanio Diacono in ſcripto quod legit nomine Orthodoxorum in Concil. 7. generali act. 6. cum & S. Joanne Damaſceno lib. 4. cap. 14. igitur non cenſebat conſecrationem fieri his Chriſti verbis, *Hoc eſt Corpus meum*.

Reſp. mirum non eſſe, quod S. Baſilius Euchariſtiam conſecratam appellaverit antitypa Corporis & Sanguinis Chriſti; nam ſalva fide præſentiæ realis, ut ſupra diximus, idem præſtiterunt alii non pauci e SS. Patribus. Cyrillus, Jeroſ. Catech. 5. *Guſtantes*, inquit, *non panem aut vinum ut guſtent jubentur ſed antitypum Corporis & Sanguinis Chriſti*. Nazianzenus in Orat. funebri ſororis, *Si quid uſquam antityporum pretioſi Corporis aut Sanguinis manus theſaurizaverat*. Theodoretus dialogo 1. *In Eccleſia offertur panis & vinum antitypum Carnis ejus & Sanguinis*. Idem habet Autor conſtitutionum lib. 5. cap. 14. ex quibus patet deceptos fuiſſe Epiphanium & Damaſcenum, cum dicunt S. Baſilium & alios Patres dona propoſita nunquam appellare antitypa poſt conſecrationem factam.

Obj. Chriſti verba non eſſe formam neceſſariam conſecrationis probat fides multarum Eccleſiarum, quæ circa nonum & decimum ſæculum credebant per ſolam intinctionem Hoſtiæ conſecratæ ſanctificari vinum & fieri Sanguinem Chriſti: Ordo Romanus, ubi de feria ſexta paraſceves, *Sanctificet autem vinum conſecratum per ſanctificatum panem*. Quod refertur & approbatur ab Amalario lib. 1. *De divinis Officiis* capi-

capite decimo-quinto, & Alcuino lib. ſimiliter *De divinis Officiis*; & id reſpicit Eccleſiam Romanam. Pro Gallicana referuntur vetera Miſſalia, Remenſe, Ambianenſe, Sueſſionenſe, Virdunenſe; pro Anglicana, Sariſberienſe; pro Germanica, Bambergenſe; pro Hiſpanica, citatur Miſſale Mozarabum, quæ eamdem doctrinam & praxim exhibent.

Reſpondent nonnulli in illis locis agi duntaxat de conſecratione quadam vini late ſumpta pro aliqua ſanctificatione quam acquirebat vinum per contactum Hoſtiæ. Sed non ſatisfacit iſta reſponſio, quia perſpicuum eſt in pleriſque ſaltem ſi non in ſingulis illis Miſſalibus, ſermonem eſſe de converſione vini in Sanguinem Chriſti.

Quapropter fatendum eſt in nonnullis Eccleſiis per aliquod tempus invaluiſſe falſam illam opinionem; ſed iſtud non præjudicare noſtræ doctrinæ conſtat, 1. Quia de ejuſmodi conſecratione vini nullum habetur verbum ante nonum ſæculum. 2. Quia hanc opinionem damnarunt poſtmodum Autores graviſſimi S. Bernardus Epiſt. 69. Joannes Belethus cap. 99. Jacobus a Vitriaco Cardinalis in Hiſt. Occidentali cap. 38. Micrologus lib. de Eccleſiaſticis Obſervationibus cap. 19. Nec puto hanc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ doctrinam: quæ enim verba objiciuntur ex Ordine Romano, non extant in primigenio quem edidit Mabillonius tom. 2. Muſæi Italici, neque in Codicibus Vaticano, Corbeienſi, & Colbertino.

Quæres utrum ſit de fide Chriſtum conſecraſſe, & a Sacerdotibus conſecrationem fieri debere, per iſta præciſe verba, *Hoc eſt Corpus meum*, & iſta, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. &c.

Reſp. negative, quia nec clare illud habetur in Scripturis & traditione, nec uſpiam definitum fuit ab Eccleſia. 1. Id non habetur clare in Scripturis, quia licet Chriſtus inſtituendo Euchariſtiam uſus fuerit talibus verbis, non conſtat tamen eum antea non conſecraſſe per benedictionem, aut per aliquas preces. Hæc verba vim quidem conſecrandi continent, cum ſignificent Corpus Chriſti quod præcipuum fit in Euchariſtia; ſed dici poteſt illa deſignare Corpus Chriſti antea confectum per benedictionem vel alio quovis modo. Chriſtus dicit quidem, *Hoc facite in meam commemorationem*; ſed multa tunc fecerat, panem acceperat, benedixerat, gratias egerat, non aſſignat præciſe quid ſit faciendum ad conſecrandum.

Neque id abſolute certum eſt ex traditione: quanquam enim Patres ſentire videantur per Chriſti verba conſecrationem fieri, tamen non determinant per quæ præciſe verba: ſolus Tertullianus apertiſſime declarat Chriſtum panem feciſſe Corpus ſuum dicendo, *Hoc eſt Corpus meum*; multi ac præſertim inter Græcos conſecrationem tribuunt precibus. Denique nullus hanc doctrinam tradit velut de fide tenendam.

3. Hæc ſententia non fuit unquam definita ab Eccleſia. Non in Concilio Tridentino, cujus nulla proferri poteſt ſanctio. Noverant Patres hujus Concilii varias eſſe hac in re & diſcrepantes inter ſe Theologorum ſententias. Suam, quæ noſtræ contraria eſt, defendit in ipſo Concilio Catharinus, & opuſcula tunc edidit Romæ typis excuſa, quæ non damnavit ſynodus; Salmeuſa etiam Jeſuita qui eidem Concilio interfuit, teſtatur inibi de hac quæſtione diſputatum & nihil fuiſſe definitum.

Quibus adde, erroris in fide numquam accuſatos fuiſſe Græcos, quod precibus tribuerint conſecrationem, non Chriſti verbis; vel ſaltem quod docerent præter Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum* neceſſario addendas eſſe preces. Quapropter, ut ait Salmeron loco mox citato, *Prudens Lector ſuo fruatur judicio, donec Eccleſia aliud ſtatuat atque decernat*.

Quæres 2. quænam præciſe verba ſint neceſſaria ad operandam conſecrationem?

Reſp. hæc præciſe verba, *Hoc eſt*

Cor-

Digitized by Google

Corpus meum eſſe neceſſaria pro conſecratione panis, & iſta, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, pro conſecratione vini. Quia hæc ſola ſufficiunt ad deſignandum id quod fit in ipſa conſecratione, puta ad deſignandam præſentiam realem Corporis & Sanguinis Chriſti; cætera non pertinent ad eſſentiam conſecrationis, quia denotant vel præparationem ad actionem conſecrandi, vel uſum & ſumptionem Sacramenti.

Difficultas movetur ſolum inter Theologos de forma Calicis, an videlicet ad confectionem Sanguinis abſolute loquendo ſatis ſit hæc verba pronuntiare, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, vel addenda ſint ſequentia, *novi & æterni Teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum?* ut quidam volunt Thomiſtæ, rati hanc fuiſſe S. Thomæ ſententiam 3. p. q. 78. art. 3. hæc ſcribentis: *Reſpondeo dicendum quod circa hanc Formam eſt duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod de ſubſtantia hujus formæ eſt ſolum, quod dicitur; Hic eſt Calix Sanguinis mei, non autem ea quæ ſequuntur. Sed hoc videtur inconveniens, quia ea quæ ſequuntur ſunt quædam determinationes prædicati, id eſt Sanguinis Chriſti, unde pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis. Et propter hoc ſicut alii melius dicunt, omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ uſque ad hoc quod poſtea ſequitur. Hoc quotieſcunque feceritis, &c.* ubi S. Doctor expreſſe aſſerit alia verba ſequentia eſſe de *ſubſtantia* formæ Calicis.

Sed communis Theologorum ſententia eſt, per hæc ſola verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei;* Calicem conſecrari & vinum converti in Sanguinem Chriſti, 1. propter rationem mox allatam, quia nempe per illa verba fit tranſubſtantiatio quæ illam clare deſignant, & præſentiam realem Sanguinis Chriſti exprimunt. 2. Quia non eſt potior ratio, cur hæc verba ſequentia in confectione Calicis dicantur eſſentialia, quam iſta in confectione Corporis, *Quod pro vobis tradetur*, ſequuntur enim in Liturgia, & cum præcedentibus, *Hoc eſt Corpus meum*, maximam habent connexionem: ſed nemo dixit hæc verba, *Quod pro vobis tradetur*, eſſe neceſſaria & eſſentialia ad Corporis Chriſti confectionem. 3. Quia in Græcorum Liturgiis non habentur hæc verba in conſecratione Calicis, *Myſterium fidei*, nec quidquam ipſis æquivalens, & tamen eorum conſecratio non cenſetur irrita.

Neque vero certum eſt S. Thomam huic noſtræ ſententiæ adverſari, dici enim poteſt illum ſumere nomen *Subſtantiæ* latius pro eo omni quod requiritur ad perfectam formæ explicationem, & ut ait ibidem, *pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis*. Et ratio eſt quia expreſſe docet per hæc verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ipſam converſionem vini in Sanguinem ſignificari, *Sed per prima verba*, inquit, *cum dicitur, Hic eſt Calix Sanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in Sanguinem ...... per verba autem ſequentia deſignatur virtus Sanguinis effuſi in Paſſione*. Quapropter hanc noſtram opinionem tenent etiam multi Thomiſtæ Dominicus Soto, Cajetanus, Contenſonius, & alii multi Theologi, Sanctus Bonaventura, Suarez, Eſtius, Sylvius, &c.

Nec movere quemquam debet quod Pius V. voluerit eam partem expungi ex Cajetani Commentariis in qua docebat, his ſolis verbis, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, Calicem conſecrari. Siquidem id forte præſtitit ſummus Pontifex, quod ægre tulit Cajetanum non ſatis honorifice locutum fuiſſe de contraria S. Thomæ ſententia.

CA-

Caput XVI.

De Inſtitutione Euchariſtiæ.

Circa inſtitutionem Euchariſtiæ de duobus potiſſimum capitibus ambigitur. 1. An Chriſtus Dominus eo anno quo mortuus eſt & die XIV. ad veſperam Judaicum Paſcha celebraverit? 2. Utrum id fecerit Luna XIV. ineunte vel exeunte? ſcilicet duæ diſtinguebantur veſperæ, aut potius duæ partes in eadem veſpera, videlicet illa quæ propinquior eſt occaſui Solis, quæ recte dicitur prima veſpera, & altera crepuſculi poſt Solis occaſum. Solebant autem Judæi Agnum paſchalem manducare inter duas veſperas, & tamen lege tenebantur illum immolare ad veſperam diei decimæ quartæ.

Quoad primum attinet, communis Theologorum opinio eſt, Chriſtum celebraſſe Paſcha legale die XIV. ad veſperam, idque contra Græcos ſchiſmaticos qui, ut probent Chriſtum pane fermentato uſum fuiſſe in inſtitutione Euchariſtiæ, negant Chriſtum manducaſſe Agnum Paſchalem tempore a Lege præſcripto, nempe die XIV. menſis Nizan, ſed per anticipationem die XIII. quo panis azymus non erat in uſu: eſt etiam contra Bernardum Lamy Oratorii Presbyterum qui in opuſculo ſuo Gallice ſcripto, *Traité de la Pâque*, contendit Chriſtum hoc anno non celebraſſe Paſcha Legale, quia morte præventus fuit, quatenus die Jovis inſtituit Euchariſtiam & die Veneris Cruci affixus eſt, dies autem Jovis hoc anno incidit in diem XIII. menſis, & dies Veneris in decimam quartam, in qua juxta Legem manducabatur Agnus Paſchalis.

Quoad ſecundam difficultatem, communis fere omnium ſententia eſt Chriſtum celebraſſe Cœnam legalem Luna XIV. exeunte, hoc eſt, ad veſperam quæ claudit diem XIV. & inchoat XV. contra quemdam Hiſpanum Doctorem Ordinis S. Auguſtini, qui quidem in opuſculo de utriuſque Agni immolatione, non ita pridem Gallice reddito, ſcribit Chriſtum hoc anno feciſſe Paſcha Luna XIV. ineunte, hoc eſt ad veſperam quæ claudit idem XIII. & inchoat diem XIV. Quid circa utrumque hoc caput ſentiamus, nobis aperiendum eſt.

Conclusio.

Chriſtus fecit Cœnam legalem pridie quam pateretur, & Luna XIV. exeunte.

Probatur 1. ex tribus Evangeliſtis SS. Matthæo, Marco & Luca ſic ultimam Chriſti Cœnam deſcribentibus, Matth. 26. *Prima die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Jeſus dixit: Ite in civitatem ad quemdam & dicite ei: Magiſter dicit, tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis; & fecerunt Diſcipuli ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha, veſpere autem facto diſcumbebat cum Diſcipulis ſuis.*

S. Marcus cap. 14. *Et primo die azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quo vis eamus & paremus tibi ut manduces Paſcha, & mittit duos ex Diſcipulis ſuis & dicit eis. Ite in civitatem ..... Dicite Domino domus, quia Magiſter dixit, Ubi eſt refectio mea, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem ..... & abierunt Diſcipuli ejus & venerunt in civitatem & invenerunt ſicut dixerat illis, & paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto venit cum duodecim, & diſcumbentibus eis & manducantibus, &c.*

S. Lucas cap. 22. *Venit autem dies azymorum in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum & Joannem dicens, Euntes parate nobis Paſcha ut manducemus; at illi dixerunt: Ubi vis paremus ..... & paraverunt Paſcha, & cum facta eſſet hora diſcubuit, & Diſcipuli cum eo, & ait illis, Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Ex qui-

bus utrumque concluſionis noſtræ caput manifeſte colligitur.

Primum eſt Chriſtum hoc anno Pacha legale manducaſſe, ſiquidem, ut teſtantur tres illi Evangeliſtæ, veſpere facto diſcubuit cum Diſcipulis ad manducandum illud Paſcha quod paraverant, quod neceſſe erat occidi, videlicet juxta Legem Judæorum, & de quo loquebatur Chriſtus, cum mittebat ſuos Apoſtolos qui dicerent, *Magiſter .... apud te facio Paſcha:* ſed iſtud Paſcha non poteſt aliud intelligi quam Agnus Paſchalis.

Secundum eſt Chriſtum manducaſſe illud Paſcha die XIV. menſis Nizan, quia illud manducavit prima die azymorum ex iiſdem Evangeliſtis; Marcus enim ait, *Prima die azymorum, quando Paſcha immolabant*. & S. Lucas, *Venit autem dies azymorum, in quo neceſſe erat occidi Paſcha*. Sed prima dies Azymorum erat Luna XIV. ad veſperam, Exodi 12. *Primo menſe*, XIV. *die menſis ad veſperam comedetis azyma*. Idemque Levitici 23. & Num. 28. ſcilicet ſolemnitas qua manducabatur Agnus Paſchalis juncta erat cum alia qua non manducabant Judæi niſi azyma, juxta legis præceptum Exodi c. 12. *Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus veſtris:* Igitur.

Prob. 2. ex SS. Patribus quorum fatentibus adverſariis, una eſt ſuper ea re doctrina: legi poſſunt S. Irenæus lib. 2. cap. 39. Origenes tract. 35. in Matth. Tertullianus lib. 1. contra Judæos cap. 10. S. Epiph. hær. 30. S. Hieronym. in cap. 26. Matth. S. Chryſoſt. hom. 81. in Matth. & homil. de proditione Judæ, &c. Unde Eccleſia canit in hymno, *In ſupremæ nocte Cœnæ, Recumbens cum fratribus, Obſervata lege plene, Cibis in legalibus*. & Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. ſic ait, *Nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ..... Immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem*. A quibus autoritatibus neſcio quomodo recedere potuit laudatus Scriptor, qui contendit Chriſtum hoc anno non manducaſſe Agnum Paſchalem. Sed & his omnibus Græcorum error manifeſte revincitur, tres enim citati Evangeliſtæ, quibus conſonant Patrum ſententiæ, diſerte ſcribunt Chriſtum Agnum comediſſe prima die Azymorum, quod intelligi non poteſt de die XIII. quapropter Chriſtus non potuit adverſus Legem uti pane fermentato.

Objicies: ex laudatis Evangeliſtarum locis Chriſtus manducavit Paſcha *Prima die azymorum*; ſed prima dies azymorum fuit decima quinta menſis Nizan, qui nobis eſt Martius, non decima quarta: igitur Chriſtus non manducavit Agnum Paſchalem Luna XIV.

Reſp. evaneſcere hanc difficultatem, ſi ſupponatur quod veriſſimum eſt, Judæos inchoaſſe dies ſuos a Solis occaſu, ſicut apud nos inchoantur a media nocte; quo poſito Solis occaſus diei decimæ quartæ confinium erat utriuſque diei quartæ & decimæ quintæ, nimirum finis erat decimæ quartæ & initium decimæ quintæ, & eadem conſequenter utriuſque diei veſpera dicebatur, decimæ quidem quartæ diei, quia erat ejus finis, & decimæ quintæ, quia ejus noctis initium erat. Ex quibus facile conciliantur Lex Judæorum quæ præcipit ut Agnus comedatur luna decima quarta ad veſperam, & textus Evangeliſtarum qui ſcribunt Chriſtum hoc anno comediſſe Agnum Paſchalem prima die Azymorum, quia nimirum in utriuſque diei confinio comedebatur. Certe niſi valeat hæc interpretatio, explicari non poterit teſtimonium S. Lucæ dicentis, *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha;* nam dies Azimorum, ut fert objectio, eſt dies decima quinta, & juxta legem neceſſe erat occidi Paſcha die decima quarta.

Idque confirmatur ex S. Joanne qui in Evangelio ſuo cap. 13. ſcribit Chriſtum Dominum Cœnam feciſſe *ante diem feſtum Paſcha*, id enim ſignificat

veſpe-

veſperam diei decimæ quartæ, quæ immediate præcedebat initium decimæ quintæ quæ feſtivitas erat azymorum, ſeu dies feſtus Paſchæ, & in qua veſpera jam non licebat uti pane fermentato.

Palmare argumentum Patris Lamy contendentis Chriſtum hoc anno Judaicum Paſcha non celebraſſe, petitur ex hoc S. Joannis loco cap. 18. *Judæi noluerunt ingredi Prætorium ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha:* illa ſcilicet die qua Judæi Chriſtum coram Pilato accuſarunt. Dies autem illa erat decima quarta, & mane traditus eſt Jeſus Pilato, antequam veniſſet tempus manducandi Agnum Paſchalem, illum manducaturus, niſi eadem die XIV. ante veſperam Cruci fuiſſet affixus.

Verum ex illo S. Joannis teſtimonio ad ſummum colligi poteſt Judæos hoc mane nondum Paſcha ſuum celebraſſe, ut ſatis aperte teſtatur S. Apoſtolus; ſed ibi non aſſeritur Chriſtum pridie non manducaſſe Agnum Paſchalem. Cum autem hac reſponſione alia laudati Scriptoris argumenta, facile diluantur, non abs re erit expendere ad majorem hujus quæſtionis elucidationem, An revera Judæi hoc anno Paſcha ſuum celebraverint eodem die quo Chriſtus, vel illud diſtulerint ad ſequentem diem?

Duæ ſunt ſuper illo facto ſententiæ; contendunt multi Chriſtum & Judæos hoc ipſo anno Agnum Paſchalem manducaſſe eodem die, nimirum die XIV. ad veſperam pridie quam Chriſtus pateretur, & hæc ſententia ſatis communis eſt apud Theologos qui quidem his potiſſimum nituntur momentis.

Primo, inquiunt, illud aperte affirmare videntur Evangeliſtæ; S. enim Marcus ait fuiſſe primam diem Azymorum, *Quando Paſcha immolabant* Judæi ſcilicet. & S. Lucas, *In qua neceſſe erat occidi Paſcha*, nimirum juxta Legem quam ſedulo & accurate ſequebantur Judæi; eodem igitur die, uti Lex præcipiebat, Chriſtus & Judæi Agnum Paſchalem manducarunt.

2. Si non eodem die Chriſtus & Judæi Paſcha celebrarunt, vel Chriſtus diem prævenit, vel Judæi hanc Paſchæ celebrationem diſtulerunt: ſed neutrum videtur probabile. Non primum, quia Chriſtus fuit ſemper Legis obſervantiſſimus; Lex autem præcipiebat, ut die ipſa decima quarta ad veſperam Paſcha celebraretur, quod ſi aliter feciſſet, Chriſtus profecto reus in religionem fuiſſet accuſatus & facile convictus, & præterea hoſpitem illum apud quem cum Diſcipulis ſuis cœnavit alioſque Judæos qui factum noviſſent, graviter offendiſſet. Non ſecundum, quia ſi Judæi diſtuliſſent hoc anno feſtum Azymorum, illud feciſſent vel quia ex traditione majorum acceperant duos feſtos dies continenter non eſſe celebrandos; vel quia volebant Chriſtum ante Paſcha occidere: ſed neutrum dici poteſt. Non primum, quia quando transferebatur Paſcha, non in diem proxime ſequentem, ſed in decimam quartam menſis ſecundi transferebatur, uti obſervatum eſt ſub Rege Ezechia, quod legitur Paralip. II. cap. 30. cum aliunde Judæi transferendo diem feſtum Azymorum in Sabbathum ſequens, continuitatem feſtorum hoc pacto non vitaſſent; quia dies ſeptimus Azymorum qui pariter apud eos ſolemnis erat, contigiſſet in feria ſexta ſequentis hebdomadis illique immediate ſucceſſit Sabbathum: alterum quoque dici non poteſt, quia licet videantur primum decreviſſe Sacerdotes non occidere Chriſtum in die feſto, ne forte tumultus fieret in Populo, tamen non prævaluit hæc ſententia, revera Chriſtum in die feſto morti fuiſſe traditum teſtantur multi e SS. Patribus, & inſuper ſcribunt uno ore quatuor Evangeliſtæ eo die quo Chriſtus crucifixus fuit ſolutum fuiſſe Barrabam, quia mos erat, ut die feſto Paſchæ vinctum aliquem Judæi dimitterent: igitur hoc anno Chriſtus & Judæi eodem die Paſcha celebrarunt.

Altera ſententia quæ plurimos etiam ha-

Digitized by Google

habet non infimi nominis fautores, præſertim vero inſignes Scripturarum Interpretes, pro certo tener Judæos non die ipſa decima quarta cum Chriſto Agnum Paſchalem manducaſſe, ſed poſtridie ad veſperam translata etiam feſtivitate Azymorum in Sabbathum, his autem nituntur momentis.

Primo inquiunt, quia in altera ſententia mox adducta tres Evangeliſtæ Matthæus, Marcus & Lucas conciliari non poſſunt cum S. Joannis Evangeliſtæ contextu, quod utique fir ſine ullo negotio hac in ſententia; ſiquidem illi Evangeliſtæ ſcribunt, ut ſupra dictum eſt, Chriſtum Paſcha Judaicum celebraſſe die decima quarta menſis Nizan, prima die Azymorum juxta Legem; an vero eadem die Paſcha celebraverint Judæi non meminerunt. S. autem Joannes aperte teſtatur Judæos non niſi poſtridie & qua die Chriſtus paſſus eſt, Agnum Paſchalem manducaſſe, quæ quidem facile conciliantur, ſi ſupponatur Judæos hoc anno in ſequentem diem diſtuliſſe feſtivitatem Azymorum, hæc ſunt autem S. Joannis loca.

Primus ac præcipuus habetur cap. 18. ubi ait Judæos, mane illo quo Chriſtus traditus eſt Pilato, die ſcilicet Veneris noluiſſe Prætorium ingredi, ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha; *Erat autem mane & ipſi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*. nondum igitur ederant Agnum Paſchalem, ſed eadem die ad veſperam illum erant comeſturi.

Huic argumento reſpondent alterius ſententiæ defenſores per Paſcha ibi non intelligi Agnum Paſchalem, ſed quaſdam victimas paſchales, quæ per ſeptem Azymorum dies immolabantur a Sacerdotibus, ut habetur Deuteron. cap. 16. *Immolabis phaſe Domino Deo tuo, de ovibus & de bobus*. Hæ enim victimæ, ut videtur, appellabantur Paſcha.

Verum hanc reſponſionem non ſatisfacere contendunt alii; 1. quia non eſt veriſimile S. Joannem tribuiſſe nomen Paſchæ his victimis, quæ non niſi in uno aut altero Scripturæ loco obiter hoc nomine donantur; etenim Paſcha in Scripturis ſignificat Agnum Paſchalem. 2. Quia in hoc eodem citato Deuteronomii loco nequaquam id habetur; in Textu enim Hebraico præceptum iſtud ſic concipitur, *Sacrificabis Domino Deo tuo phaſe, oves & boves*. Ubi per phaſe intelligitur Agnus Paſchalis, quem comitabantur boves & oves.

Secundus locus S. Joannis extat cap. 13. ubi ſic legitur, *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, & Cœna facta, &c.* His in verbis, *Ante diem feſtum Paſchæ*, S. Joannes non intelligit Paſcha quod Chriſtus paulo ante celebraverat, *Cœna facta*, ſed Paſcha quod Judæi celebraturi erant, deinde hæc dixit Chriſtus, ut exponit S. Joannes, multa jam nocte & die Paſchæ jam provecto; unde niſi feſtivitas Azymorum fuiſſet hoc anno translata in diem Sabbathi debuiſſet dicere Die feſto Paſchæ, non autem, ante diem feſtum Paſchæ.

Tertius locus extat Joannis cap. 19. his verbis, *Erat autem paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta*. Die nempe quo Chriſtus fuit Cruci affixus, hunc autem ipſum diem Joannes appellat Paraſcevem Paſchæ, id eſt, præparationem Paſchæ: igitur nondum Judæi Paſcha celebraverant.

Huic loco opponunt defenſores alterius ſententiæ S. Joannem per paraſcevem Paſchæ intelligere non pridie Paſchæ; ſed Paraſcevem Sabbathi quæ inciderat in diem Paſchæ, quaſi dicat, Erat autem paraſceve die Paſchæ, idque probant, ex eo quod nuſpiam legatur Paſcha ullam habuiſſe paraſcevem, & nullam fuiſſe niſi Sabbathi.

Verum reponit Maldonatus, S. Joannem paraſcevem Paſchæ appellaſſe, etiamſi Paſcha paraſcevem inſtituto ſuo

non

non haberet, quia hoc anno Paſcha Judæorum incurrerat in Sabbathum, quod paraſcevem habebat; unde quivis intelligit diem ſequentem fuiſſe Sabbathum, quia Paraſcevem habebat; & fuiſſe Paſcha, quia eam ipſam vocat paraſcevem Paſchæ. Idque inſuper confirmatur ex eo quod idem S. Joannes dicat c. 19. fuiſſe magnum illum diem Sabbathi, quaſi hoc anno majus & celebrius fuerit quam cæteris annis, ex eo nempe quod in illum diem inciderat Paſcha.

Quartum momentum hujus ſententiæ petitur ex eo quod penitus incredibile eſt Seniores populi & Judices auſos fuiſſe cauſam Chriſti agere, & eum morti tradere in die feſto, præſertim vero in die feſto Paſchæ apud illos omnium ſanctiſſimo, id enim eorum legibus & religioni, cui erant addictiſſimi, manifeſte adverſabatur; quis enim crediderit, cum apud nos ſimiliter nullam vel leviſſimam cauſam agere, nullum judicium exercere liceat Magiſtratibus, tamen & contra Leges Regni & Statuta Religionis, extare aliquod Tribunal, in quo Judices audeant aliquem reum accuſare, in judicium trahere, capitalem ejus cauſam agere, ac tandem publico ſupplicio & morti tradere, non ſolum in die feſto, ſed in ipſo die Paſchæ. Quapropter ab ejuſmodi facinore in Chriſtum patrando certe abſtinuerunt Judæi, ut aperte legitur Matth. 26. *Dicebant autem non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo*. Chriſtus porro occiſus eſt die Veneris: igitur hoc anno Paſcha Judæorum in diem ſequentem fuerat translatum.

Denique hanc ſententiam ex eo probant, quod, ſi hoc anno Judæi fecisſent ſuum Paſcha die Jovis ad veſperam, prima dies Azymorum incidiſſet in diem Veneris & ſecunda in Sabbathum: ſed ſecunda dies Azymorum non incidit hoc anno in Sabbathum; quia ſi ſecunda dies Azymorum incidiſſet in Sabbathum, Pentecoſtes incidiſſet quoque in Sabbathum, non in diem Dominicam, ſiquidem dies Pentecoſtes celebrari debebat die quinquageſima a ſecunda die Azymorum, ut conſtat ex Levitici cap. 23. ubi ſic habetur, *Numerabitis ergo ab altera die Sabbathi in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomades plenas uſque ad alterum diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ; id eſt quinquaginta dies & ſic offeretis ſacrificium novum Domino*. Ibi per alterum diem Sabbathi intelligitur ſecundus dies Azymorum, quia primus, dies utpote ſolemnis, appellabatur Sabbathum. Sed poſito quod ſecunda dies Azymorum inciderit in diem Sabbathi, contigit ut dies quinquageſimus inciderit quoque in diem Sabbathi, quia ſeptem hebdomadæ plenæ conſtant ex quadraginta novem diebus. Igitur ſi hæc ſecunda dies Azymorum fuit Sabbathum, Pentecoſtes non incidit in diem Dominicam, quod eſt contra communem Catholicorum ſententiam; ac proinde dicendum eſt primam diem Azymorum hoc anno incidiſſe in Sabbathum, & Judæos Paſcha ſuum non celebraſſe niſi die Veneris, quo Chriſtus Cruci fuit affixus.

His autem adductis rationibus & momentis, quæ potiſſimum proferri ſolent ab utriuſque opinionis aſſertoribus, jam ſuo quiſque fruetur judicio in alterutra ad nutum ſeligenda libenter; tamen dixerim poſteriorem mihi magis arridere, quod fortioribus videtur innixa fundamentis, quocirca his momentis quæ ad aſſerendam alteram ſententiam allata ſunt, facile reſpondebitur.

Ad primum quidem dico Evangeliſtas loqui de lege quæ præcipiebat Paſcha celebrandum prima die Azymorum, & quam diximus hoc etiam anno adimpleviſſe Chriſtum Dominum; quomodo exponi debent hæc verba S. Marci, *Quando Paſcha immolabant*, videlicet ſecundum Legem, & iſta S. Lucæ, *In qua neceſſe erat occidi Paſcha*: id eſt die quo ex Lege neceſſe erat occidi; ſed nullus ex Evangeliſtis ait revera Judæos hoc anno Paſcha celebraſſe hac

ipſa

ipſa veſpera, in qua Chriſtus pridie mortis ſuam fecit Cœnam cum Diſcipulis ſuis.

Ad ſecundum dico idcirco Chriſtum & Judæos eodem die hoc anno Paſcha non feciſſe, quia Judæi feſtivitatem Azymorum, quæ occurrebat die Veneris, diſtulerunt in diem ſequentem ſeu Sabbathum. Porro inter eos qui putant Judæos hoc anno non celebraſſe niſi die Sabbathi primam feſtivitatem Azymorum, alii exiſtimant, referente Maldonato, Judæos non alia de cauſa feſtum Paſchæ tranſtuliſſe in diem ſequentem ſeu Sabbathum, quam ne feſti celebratione impediti, eo ipſo die Chriſtum interficere non poſſent, quam rationem rejicit idem Scripturarum Interpres poſt S. Thomam Comment. in cap. 18. S. Joannis, ex eo quod Lex præcipiebat, ut ſi quis uno anno impeditus Paſcha celebrare non poſſet, illud ſequenti menſe die decima quarta celebraret.

Alii putant Judæos Paſcha ſuum proprie loquendo non diſtuliſſe, illud non celebrando niſi die Sabbathi, quatenus hac in parte majorum ſuorum traditiones ſecuti ſunt; ferebat autem illa traditio, ut, quotieſcunque Paſcha in feriam ſextam incideret, in ſequentem diem Sabbathi transferretur, ne ſcilicet duo continenter feſti dies conjungerentur, quod valde moleſtum erat populo, qui multa & quidem neceſſaria opera facere non poterant diebus feſtis. Hanc traditionem ex multorum Rabbinorum autoritate late probavit Paulus Burgenſis Rabbinus ipſe celeberrimus, antequam ad fidem chriſtianam converſus doctor fieret & Burgenſis Epiſcopus. Quapropter hoc anno Chriſtus Dominus non modo Cœnam ſuam, ſed & Paſcha Judaicum celebravit die Jovis decima quarta menſis agendo juxta Legem, nec expectavit Judæos, ſciens ſe poſtridie moriturum, & Judæi ſuum Paſcha non celebrarunt niſi die Sabbati ſequendo veterem majorum ſuorum traditionem; niſi enim admittatur hoc ſiſtema, quod legitimo non caret fundamento, vix poterunt inter ſe conciliari Evangeliſtæ.

At, inquies, quando transferebatur Paſcha, non in diem ſequentem, ſed in decimam quartam diem menſis ſecundi differebatur. Hoc quidem concedimus, cum agebatur de aliquo privato, vel de aliqua privata familia; quæ quidem aliquo impedimenti genere obſtricta, non potuerat Agnum Paſchalem edere cum aliis Judæis, minime vero eum inſtabat ratio differendi toti genti communis.

Nec movet quod additur in objectione Judæos transferendo feſtum Azymorum in Sabbathum ſequens continuitatem duorum feſtorum hoc pacto non vitaſſe, quia idem incommodum occurriſſet in ſequenti hebdomadā; inde enim ſolummodo ſequitur id pariter moris fuiſſe apud Judæos, ut ultimam Azymorum feſtivitatem in ſequens Sabbathum transferrent propter eandem rationem, quod ſatis veriſimile videtur.

CAPUT XVII.

De neceſſitate Euchariſtiæ.

NEceſſitas in ordine ad ſalutem æternam duplex eſt; una medii, & altera præcepti. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii ſine quo etiam ſine culpa omiſſo ſalus æterna obtineri non poteſt, quomodo Baptiſmus eſt neceſſarius reſpectu infantium; licet enim ſine culpa omittatur, tamen ſine eo ſalvari non poſſunt infantes. Illud vero cenſetur neceſſarium neceſſitate præcepti; quod cum fuerit lege lata præceptum non obligat niſi eos ad quos dirigitur præceptum; adeoque non ligat infantes adimplendi præcepti plane incapaces, cujus generis eſt Sacramentum Confirmationis ſine quo ſalus haberi poteſt. Porro quod neceſſarium eſt neceſſitate medii ad ſalutem, eſt etiam aliquo modo neceſſarium neceſſitate præcepti, quia poſtulat jus naturale, ut media ad ſalutem neceſſaria quæramus.

Item

Item neceſſitas præcepti duplex, quia duplex eſt præceptum, divinum & humanum ſeu Eccleſiaſticum. Illud eſt neceſſarium neceſſitate præcepti divini, quod ab ipſo Deo fuit præceptum; illud vero neceſſarium eſt tantum neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, quod fuit ſolummodo præceptum ab Eccleſia, quibus præmiſſis,

Ambigitur qua neceſſitate neceſſaria ſit actualis Sacramenti Euchariſtiæ perceptio.

Contendunt plerique Calviniſtæ idcirco morem viguiſſe primis Eccleſiæ ſæculis, ut infantibus daretur Euchariſtia, quod credebant SS. Patres eam eſſe neceſſariam neceſſitate medii; quam Calvini opinionem condemnat Concilium Trident. ſeſſ. 21. c. 4. ubi ait, in quibuſdam locis ſervatum fuiſſe hunc morem, ſed Patres nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe. *Eadem ſancta Synodus*, inquiunt, *docet parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem. Siquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

Non dubitavit tamen Maldonatus ſcribere Comment. in cap. 6. S. Joannis num. 116. hanc fidem, qua credebatur Euchariſtia infantibus neceſſaria, per ſexcentos annos viguiſſe in Eccleſia, hæc ſunt ejus verba, *Miſſam facio Auguſtini & Innocentii primi ſententiam, quæ ſexcentos circiter annos viguit in Eccleſia, Euchariſtiam etiam infantibus neceſſariam. Res jam ab Eccleſia & multorum ſæculorum uſu, & decreto Concilii Tridentini explicata eſt, non ſolum neceſſariam illis non eſſe, ſed ne licere quidem dari:* quapropter ſit

C o n c l u s i o.

Actualis Euchariſtiæ perceptio non eſt neceſſaria neceſſitate medii: propoſitio eſt de fide.

Prob. quia conſtat ex Scripturis & traditione ſolum ſufficere Baptiſmum ad ſalutem obtinendam.

In Scripturis quidem id habetur expreſſe, Marci ultimo, *Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſalvus erit.* Tum vero ex iis locis in quibus legitur, Baptiſmum delere peccata, nihil damnationis remanere in Baptiſatis; inde enim aperte colligitur, quod univerſa ſemper credidit Eccleſia, hominem baptizatum in articulo mortis ſalvari, licet Euchariſtiam non ſuſceperit, ad Titum III. *Salvos nos fecit per lavacrum regerationis.* Rom. 8. *Nihil damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu.* I. Corint. 6. *Sed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Eadem vero fuit perpetua & conſtans Eccleſiæ doctrina: ubi enim Patres & Concilia declarant Baptiſmum eſſe ad ſalutem habendam neceſſarium ut videre eſt locis adductis in tract. de Bapt. manifeſte ſignificant baptizatos ſtatim poſt Baptiſmum ſuſceptum morientes ſalvari. 2. Nullum proferri poteſt exemplum e temporibus Apoſtolorum vel e duobus prioribus Eccleſiæ ſæculis petitum, quo conſtet infantibus porrectam fuiſſe Euchariſtiam. 3. Innuunt Patres Tridentini loco mox citato non niſi in quibuſdam locis ſervatum fuiſſe hunc morem. 4. Et argumentum petitur ex eo quod circa duodecimum ſæculum citra ullam contradictionem immutata fuit conſuetudo adminiſtrandi Euchariſtiam infantibus: unde recte colligitur perſuaſum non habuiſſe Fideles, Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem; neque enim paſſi fuiſſent liberos ſuos privari hoc Sacramento, ſicut non paterentur eos Baptiſmo nunc privari. Unde Concilium Trid. ſeſſ. 21. Can. 4.

Can. 4. ſic loquitur; *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ Communionem, anathema ſit*. 5. Non magis inferri debet creditam fuiſſe a veteribus Euchariſtiæ neceſſitatem, ex eo quod plerumque continenter cum Baptiſmo etiam infantibus porrigebatur, quam Sacramenti Confirmationis, hæc quippe conferebatur etiam infantibus ſtatim poſt Baptiſmum; ſed ex illa praxi non infertur creditam fuiſſe neceſſitatem Confirmationis: ergo nec in primis Eccleſiæ ſæculis Euchariſtia credebatur neceſſaria neceſſitate medii.

Obj. Chriſtus ait Joan. 6. *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. quæ quidem verba clare denotant neceſſitatem Euchariſtiæ, quemadmodum iſta, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, manifeſte exprimunt neceſſitatem Baptiſmi.

Reſp. verba illa Joan. 6. pro ſolis adultis eſſe intelligenda; diriguntur enim ad eos qui Chriſtum audiebant, & talis præcepti adimplendi capaces erant, uti ſonant ipſa verba; ait enim Chriſtus, *Niſi manducaveritis, &c.* non autem generaliter, Niſi quis manducaverit, ſicuti pronuntiavit de Baptiſmo univerſim, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* certe nemo non videt hæc verba, *Niſi quis renatus fuerit*, quæ ad aſſerendam Baptiſmi neceſſitatem dicta ſunt, referri ad omnes indefinite homines etiam parvulos, *Niſi quis, &c.* ſecus vero iſta, *Niſi manducaveritis*, quæ ad eos ſolum referuntur quos alloquebatur Chriſtus: unde ſatis intelligitur ſolutio ad paritatem adductam. Deinde tametſi par eſſet ratio & ſonus verborum in utroque Scripturæ loco, diſparitas merito colligeretur ex judicio & praxi Eccleſiæ, quæ priora verba, ubi agitur de Euchariſtia, de neceſſitate præcepti ſemper explicuit; poſteriora vero de neceſſitate medii, qua neceſſarius eſt Baptiſmus.

Objicies, S. Auguſtinus docet multis in locis ac præſertim lib. 1. *De peccatorum meritis*, cap. 20. Euchariſtiam eſſe neceſſariam & pro adultis & pro infantibus ad habendam vitam æternam, qua neceſſitate Baptiſmus eſt neceſſarius propter iſta verba, *Niſi quis renatus fuerit &c.* ſic enim loquitur agens contra Pelagianos qui finxerant infantes non poſſe quidem introire in Regnum Dei ſine Baptiſmo, ſed tamen habere vitam æternam: *Terrentur autem iſti*, inquit, *ſententia Domini dicentis, Niſi quis renatus fuerit demum non videbit Regnum Dei ... Habent enim quo confugiant atque ubi delitеſcant, quia non ait Dominus, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu non habebit vitam, ſed ait, Non intrabit in Regnum Dei; nam ſi id dixiſſet, nulla hinc dubitatio poſſet oboriri. Auferatur ergo dubitatio, jam Dominum audiamus, non ſuſpiciones conjecturaſque mortalium; Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, ſed de Sacramento ſanctæ Menſæ ſuæ, quo nemo rite niſi baptizatus accedit, niſi manducaveritis Carnem meam, & biberitis Sanguinem meum non habebitis vitam in vobis. Quid ultra quærimus? Quid ad hoc reſponderi poteſt.... An vero quiſquam hoc dicere audebit, quod ad parvulos etiam hæc ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione Corporis hujus & Sanguinis in ſe habere vitam? quia non ait: Qui non manducaverit, ſicut de Baptiſmo, Qui non renatus fuerit, ſed ait, Si non manducaveritis velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli. Sed qui hoc dicit non attendit, quia niſi omnes iſta ſententia teneat, ut ſine Corpore & Sanguine Filii hominis, vitam habere non poſſint, fruſtra etiam ætas major id curat*. & cap. 24. *Optime Punici Chriſtiani Baptiſmum ipſum nihil aliud quam ſalutem, & Sacramentum Corporis Chriſti nihil aliud quam vitam vocant. Unde niſi ex antiqua, ut exiſtimo, & apoſtolica tradi-*

tio-

tione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent præter Baptiſmum & participationem Menſæ Dominicæ non ſolum ad Regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quemquam hominum pervenire. Idem docet S. Aug. epiſt. 186. epiſt. 217. lib. 3. contra Julianum, c. 12. & aliis paſſim in locis.

Idem ſcribit Innocentius I. epiſt. ad Patres Milevitanos inter Auguſtinianas 182. *Illud vero*, inquit, *quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari perfatuum eſt, niſi enim manducaveritis Carnem, &c. qui autem hanc eis ſine regeneratione deferunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, eum prædicant hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferendum*.

Item Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos per Picenum ſic loquitur, *Ipſe Dominus Jeſus Chriſtus cæleſti voce pronuntiat. Qui non manducat Carnem Filii hominis, &c. ubi utique neminem videmus exceptum, nec auſus eſt aliquis dicere parvulum ſine hoc Sacramento ſalutari ad vitam æternam poſſe perduci ſine illa autem vita, in perpetua futurum morte non dubium eſt*. Merito igitur Maldonatus dixit per ſexcentos annos hanc obtinuiſſe in Eccleſia opinionem, quæ aſſerit, Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii.

Solent reſpondere S. Auguſtinum non loqui de actuali Euchariſtiæ perceptione, cum ait neminem habere poſſe vitam, niſi manducaverit Carnem Filii hominis, ſolum de quadam ſpirituali & myſtica Corporis Chriſti manducatione quæ fit in ipſo Baptiſmo, quia cum per Baptiſmum Fideles incorporentur in Chriſto fiantque membra ejuſdem Corporis myſtici quod eſt Eccleſia, quod familiare eſt S. Auguſtino, ut illam incorporationem appellet manducationem Corporis Chriſti, ut ex locis prope innumeris colligi poteſt.

Verum hoc loco S. Doctorem non loquitur de incorporatione mox expoſita, ſed de reali Euchariſtiæ perceptione conſtat, 1. Quia teſtatur expreſſe Chriſtum dixiſſe, Niſi manducaveritis, &c. *Non quidem de Sacramento lavacri ſed de Sacramento Sacræ Menſæ ſuæ*. Incorporatio autem quæ fit in Baptiſmo appellatur quidem manducatio Corporis Chriſti in aliquo ſenſu myſtico & figurato, numquam autem Sacramentum Sacræ Menſæ. 2. Quia loquitur S. Doctor de manducatione quæ fit poſt Baptiſmum, *Quo nemo rite niſi baptiſatus accedit*, ac proinde non de manducatione myſtica quæ fit in ipſo Baptiſmo. 3. Quia Baptiſmum, & illam manducationem appellat duo Sacramenta, cap. 24. ejuſdem libri, *Porro*, inquit, *ſi a ſalute & vita æterna hominem niſi peccata non ſeparant, per hæc Sacramenta non niſi peccati reatus in parvulis ſolvitur*. 4. Sibi proponit objectionem quorumdam dicentium hæc verba Chriſti, *Niſi manducaveritis, &c.* ad ſolos pertinere adultos; ſed ſi ageret de Baptiſmo, nullus eſſet huic objectioni locus; nemo enim dicebat baptiſmum ſpectare adultos, non infantes: igitur fatendum eſt S. Auguſtinum ibi ſermonem habere de Euchariſtia ut Sacramentum eſt a Baptiſmo diſtinctum.

Quapropter objectioni propoſitæ ſic reſpondeo, S. Auguſt. docet Euchariſtiam eſſe neceſſariam utens argumento ad hominem contra Pelagianos, C. loquens in propria mente, N. ſcilicet agit in illis locis contra Pelagianos qui fatebantur infantes ſine Baptiſmo morientes non poſſe introire in Regnum Cœlorum, juxta hæc Chriſti verba Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt intrare in Regnum Dei*, ſed contendebant illos tamen habituros vitam æternam. Hunc errorem comprimit S. Auguſtinus variis momentis, & inter alia ex eo quod Chriſtus dixit Joan. 6. *Niſi manducaveritis, &c.* non quod putabat Euchariſtiam eſſe abſolute neceſſariam ad habendam vitam æternam, ſed argumentando ad hominem con-

Digitized by Google

contra illos hæreticos, quaſi dixerit: Fatemini vos infantes ſine Baptiſmo non poſſe intrare in Regnum Cœlorum propter hunc Scripturæ textum in quo expreſſe mentio fit de Regno Dei, *Niſi quis renatus, &c.* quod concederitis etiam de vita æterna, ſi hoc eodem loco Chriſtus mentionem feciſſet vitæ æternæ & dixiſſet, *Niſi quis renatus fuerit, &c.* non habebit vitam æternam. At iſtud veſtrum ſubterfugium eſt inutile, nam Joan. 6. Chriſtus pronuntiat neminem habiturum vitam niſi manducaverit Carnem Filii hominis; hoc quidem non dico quod putem Euchariſtiam eſſe neceſſariam ad habendam vitam æternam, ſed quia ſequitur ex veſtris principiis, infantes ſine Baptiſmo decedentes non modo non poſſe introire in Regnum Dei, ſed nec habere poſſe vitam æternam; quod enim non dicitur expreſſe in uno loco dicitur in alio, nempe Joan. 6. en argumentum S. Auguſtini, quod probat ſolum adverſus Pelagianos, infantes ſine Baptiſmo decedentes non habere poſſe vitam æternam juxta illorum principia.

Quod autem in propria ſententia non affirmet S. Auguſtinus Euchariſtiam eſſe neceſſariam infantibus ad habendam vitam æternam, conſtat 1. Quia in illis diſputationibus contra Pelagianos contendit, fictitiam eſſe illam diſtinctionem quam afferebant inter Regnum Cœlorum, & vitam æternam, *Nova quadam ac mirabili præſumptione*, inquit, lib. 1. de peccatorum meritis c. 20. *Quaſi ſalus ac vita æterna poſſit eſſe præter Chriſti hereditatem, præter Regnum cælorum*. 2. Quia dubio procul exiſtimavit S. Doctor infantes eo ipſo quod baptiſati ſunt, vitam æternam conſequi, ut colligitur ex lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 19. ubi ſic loquitur; *Veruntamen ſi parvulus percepto baptiſmate de hac vita migraverit, ſoluto reatu cui erat obnoxius, perficietur in illo lumine claritatis quod incommunicabiliter manens in æternum juſtificatos præſentia Creatoris illuminari, peccata enim ſola ſeparant inter Deum & homines, qui ſalvantur Chriſti gratia*.

Quod utique diſerte confirmat S. Fulgentius in reſponſione ad Ferrandum Diaconum epiſt. 12. cap. 11. ubi ſic habet, *Nullus autem debet moveri Fidelium in illis, qui etſi legitime ſana mente baptiſantur, præveniente velocius morte, Carnem Domini manducare & Sanguinem bibere non ſinuntur, propter illam videlicet ſententiam Salvatoris qua dixit: (Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis). Quod quiſquis non ſolum ſecundum veritatis myſteria, ſed ſecundum myſterii veritatem conſiderare poterit in ipſo lavacro ſanctæ regenerationis hoc fieri providebit*. Ex illo Fulgentii loco, quem nemo neſcit fidum eſſe S. Auguſtini interpretem, recte colligitur communem tunc fuiſſe Eccleſiæ doctrinam, Fideles baptiſatos conſequi vitam æternam, tametſi Euchariſtiæ Sacramentum non receperint; ac proinde S. Auguſtinum nuſpiam docuiſſe actualem Euchariſtiæ perceptionem neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem.

Alia ſolutione & ſatis quidem idonea ad hanc difficultatem explicandam utitur Cardinalis Noriſius in Vindiciis Auguſtinianis parag. 4. nimirum ait S. Auguſtinum dixiſſe quidem infantes ſine Sacramento Euchariſtiæ non poſſe conſequi vitam æternam, verum id de pueris baptiſatis nunquam affirmaſſe; nam agebat contra Pelagianos, qui cum dicerent infantes habituros eſſe vitam æternam, licet non poſſint introire in Regnum Dei, id intelligebant de infantibus non baptiſatis; non aliam fuiſſe mentem S. Doctoris patet ex epiſt. 106. ad Paulinum, ubi ſic habet, *Si autem cedunt ſedi apoſtolicæ vel potius ipſi Magiſtro & Domino Apoſtolorum, qui dicit, non habituros vitam in ſemetipſis, niſi manducaverint Carnem Filii hominis & biberint Sanguinem, quod niſi baptiſati non* uti-

Digitized by Google

utique poſſunt, nempe aliquando fatebuntur parvulos non baptiſatos vitam habere non poſſe. Certe ut S. Auguſtinus vere accuſaretur hujus erroris, quo dixiſſet Euchariſtiam eſſe neceſſariam ad ſalutem & vitam æternam obtinendam, debuiſſet dicere homines tantum baptiſatos & ante Euchariſtiæ ſumptionem non habere vitam æternam, quod neutiquam affirmavit.

Atque, ut puto, eadem reſponſione ſolvi poteſt quod objicitur ex Innocentio I. & Gelaſio ſummo Pontifice, niſi dicatur Innocentium per manducationem Carnis Chriſti intelligere incorporationem, ut attente legenti ejus verba patebit; Gelaſium vero exponi poſſe de neceſſitate præcepti.

Quæres utrum Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate medii ſaltem in voto?

Reſp. negative, quia illud non eſt neceſſarium ad ſalutem, ſine quo ſalus haberi poteſt; ſed ſine Euchariſtia in voto ſalus haberi poteſt; infantes enim hoc ipſo quod baptiſati ſunt, vitam æternam conſequuntur. Quin & in adultis votum expreſſum Euchariſtiæ non eſt neceſſarium, adeo ut, qui ſtatim a ſuſcepto Baptiſmo decederet ſine tali Euchariſtiæ voto, vitam æternam conſequeretur. Bene vero votum implicitum, quatenus in eo qui Baptiſmum ſuſcipit, requiritur voluntas adimplendi univerſim quidquid a Deo præceptum eſt. Quoddam votum implicitum Euchariſtiæ contineri in ſuſceptione Baptiſmi ſcribit S. Thomas 3. p. q. 73. art. 3. ubi loquens de pueris qui baptiſantur, ſic habet, *Sicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex fide Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam*.

Quæres 2. utrum Euchariſtia ſit neceſſaria neceſſitate præcepti?

Reſp. neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti, tum divini tum Eccleſiaſtici. Divini quidem; nam præfata S. Joan. verba cap. 6. expreſſum exhibent Chriſti mandatum, *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis*, &c. quod quidem de neceſſitate præcepti, non infantes quidem, ſed omnes adultos, obligantis intellexit univerſa traditio. Eccleſiaſtici vero præcepti, ut patet ex Decreto Concil. Lateran. IV. Can. 21. ubi ſtatuit debere omnes adultos ſemel ſaltem in anno tempore Paſchatis Euchariſtiam ſuſcipere: tum ex Tridentino ſeſſ. 13. Can. 9. his verbis: *Si quis negaverit omnes & ſingulos Fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ; anathema ſit*.

Neque vero inferri debet hanc non fuiſſe ſemper Eccleſiæ mentem, quod Euchariſtia fuerit a Chriſto præcepta pro omnibus adultis, quod videlicet ea privaverit aliquando pœnitentes publicos, & reos morti damnatos. Si quidem id præſtiterunt ſapienter nonnullæ Eccleſiæ ex rigore diſciplinæ, ut a criminibus Fideles avocarent, non ex oblivione vel deſpectu Legis divinæ; Eccleſia autem habet poteſtatem diſpenſandi Sacramenta ſalva eorum ſubſtantia, ut ait Concilium Tridentinum.

Quæres 3. quandonam communicandum ſit juxta præceptum Eccleſiæ?

Reſp. juxta ſolemne Decretum Conc. Lateran. ſub Innocentio III. teneri Fideles ſemel ad minus in quolibet anno & in Paſchate Corpus Domini recipere; qui autem, vel morbo, vel alia quacumque cauſa impeditus, non ſatisfaceret huic præcepto in Paſchate, non eſſet tamen ab illa obligatione immunis, quia tenetur quolibet anno communicare. Deinde obligat etiam illud præceptum in mortis periculo, ut abunde indicat praxis Eccleſiæ quæ Euchariſtiam aſſervare ſolet, ut moribundis deferatur.

Quæres. 4. utrum Fidelis qui tempore Paſchatis non communicavit in propria Parochia propter abſentiam, vel alia quavis de cauſa, teneatur poſtea, cum poterit, ibi communicare.

Reſp. affirmative, quia generatim loquendo tenetur quivis debitum ſolvere, quoties ſolvendi poteſtas ſibi ſuppetit;

Digitized by Google

nec dilatio ſolutionis eſt cauſa legitima non ſolvendi; quilibet autem Fidelis ex præcepto Eccleſiæ tenetur in propria Parochia communicare ſaltem tempore Paſchatis. Neque eſt quod dicatur cum nonnullis Theologis, dum aliquid præcipitur pro certo tempore determinato, ejus ceſſare obligationem hoc elapſo tempore, ut patet ex jejunio ad certam diem, &c. nam tempus Paſchæ non conceditur ad recipiendam Euchariſtiam, ut tempus determinatum quo elapſo ceſſet obligatio, ſed ultra quod Communio differri non poſſit, ut indicant verba Concil. Trident: *Saltem in Paſchate*, & Lateranenſis, *Ad minus in Paſcha*.

Quæres 5. An Communionis Paſchalis præceptum adimplere cenſeatur, qui indigne communicat?

Reſp. negative, quia Eccleſia præcipit, ut quilibet Fidelis pie & reverenter Corpus Chriſti in Paſchate recipiat. Unde hanc propoſitionem, *Præcepto Communionis ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*, inter alias multas laxiores proſcripſit Innocentius XI. an. 1679. eamdemque poſtea damnavit Clerus Gallicanus an. 1700.

At inquies, Eccleſia de internis non judicat; igitur non poteſt præcipere actus internos ſeu actus pietatis & ſtatum gratiæ.

Nego conſeq. Eccleſia nimirum eos poteſt præcipere actus internos, qui ad debitam externorum executionem requiruntur.

CAPUT VIII.

De Communione ſub utraque ſpecie.

Poſtquam oſtendimus ſub una ſpecie præceptam fuiſſe a Chriſto Domino & Eccleſia Communionem, ſequitur ut quæſtionem expendamus de Communione ſub utraque ſpecie panis & vini.

Certum eſt 1. Chriſtum in ultima Cœna hoc Sacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſe ſub duplici ſpecie, videlicet ſub ſpecie panis & vini, Matth. c. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Jeſus panem & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis & ait: Accipite & comedite, Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens Calicem gratias egit & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim Sanguis meus, &c.* Unde Apoſtolus Communionem Euchariſticam commendans, utramque ſpeciem conjungit I. ad Corinth. cap. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat, & de Calice bibat.*

Certum eſt 2. ab ipſis Apoſtolorum temporibus morem ubique obtinuiſſe in tota Eccleſia, ut non ſolum in ſpecie Panis, ſed & in ſpecie Vini Laicis etiam porrigeretur Euchariſtia, uti adhuc fit in Eccleſia Græca & factum eſt perſeveranter apud Latinos ex conſenſu omnium, ſaltem uſque ad duodecimum ſæculum, ut aperte colligitur.

1. Ex S. Juſtino Apolog. 2. *Qui apud nos*, inquit, *vocantur Diaconi atque Miniſtri diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum in quo gratiæ actæ ſunt, Panem, Vinum & Aquam.*

2. Ex S. Cypriano qui ep. 56. ad Thibaritanos ſic loquitur, *Conſiderantes idcirco ſe quotidie Calicem Sanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum Sanguinem fundere.* Eadem doctrina manifeſte colligitur ex epiſt. 63. ubi Fidelibus injungit recipere Calicem Vino nunquam omiſſo.

3. Ex S. Cyrillo Jeroſolimitano Catecheſi myſtagogica quarta, *Quare*, inquit, *omni cum certitudine Corpus & Sanguinem Chriſti ſumamus.*

4. S. Chryſoſtomus multis in locis eamdem tradit diſciplinam, ſermone 1. de Jejunio, *Tu & pauper*, inquit, *Corpus ipſius communiter de menſa ſumitis, poculi ſimiliter participes eſtis*, ita Homil. 7. & 32. in Matth. & Homil. 18. in II. ad Corinth.

5. Ex S. Auguſtino quæſtione 57. in Leviticum, *A cujus Sacrificii Sanguine*

in alimentum ſumendo non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volunt habere vitam.

6. Praxim Eccleſiæ octavo, nono & decimo ſæculo habemus ex ordine Romano, ubi hæc leguntur titulo (qualiter celebrandum ſit officium Miſſæ) *Recepto calice Archidiaconus confirmat omnes Sanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex Corpore Dominico.*

Ætate S. Thomæ nimirum ſæculo decimo tertio, jam tum incipiebat mos obtinere, ut Laicis communicantibus daretur Corpus Chriſti ſine Sanguine, ait enim 3. p. q. 80. art. 12. *Sed contra eſt multarum Eccleſiarum uſus, in quibus populo communicanti datur Corpus Chriſti ſumendum, non autem Sanguis.*

Quocirca cum per id tempus & poſtea immutata fuerit Eccleſiæ praxis, ita ut nonniſi ſub ſpecie panis communicare ſolerent Laici; occaſionem inde proſcindendi Eccleſiam Romanam arripuerunt nonnulli Hæretici; ſæculo decimo quinto quidam, nempe Petrus Dreſdenſis & Jacobellus in Bohemia, quibus conſenſerunt Joannes Hus ejuſque aſſeclæ, qui propterea dicti ſunt Callixtini, quod calicis uſum Laicis reſtituerent. Hi omnes Hæretici damnati ſunt in Concilio Conſtantienſi an. 1415. ſeſſ. 13. ubi decretum eſt, conſuetudinem Communionis ſub una ſpecie merito introductam in Eccleſia ad vitanda pericula & ſcandala, licet in primitiva Eccleſia Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque a Fidelibus ſumeretur. Præſulibus etiam juſſit Synodus ſub pœna excommunicationis, ut Presbyteros Communionem ſub utraque ſpecie Laicis miniſtrantes Cenſuris Eccleſiaſticis coercerent.

Dehinc Lutherani & Calviniſtæ iiſdem principiis eodemque animo affecti, non ceſſarunt Orthodoxos erroris & prævaricationis contra præceptum divinum accuſare, contendentes Communionem ſub utraque ſpecie fuiſſe a Chriſto præceptam; adeoque ad ſubſtantiam Sacramenti pertinere; qua de cauſa damnati ſunt in Concilio Tridentino ſeſſ. 21. ubi fuſe explicatur doctrina Eccleſiæ circa Communionem ſub utraque ſpecie; etiam cap. 1. *Docet nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum, neque ullo pacto, ſalva fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat.* cap. 2. *Eccleſia gravibus & juſtis de cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit*, & cap. 3. declarat, *fatendum eſſe etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum verumque Sacramentum ſumi.*

Quapropter, licet ad meram pertineat diſciplinam ſtatuere, num danda ſit Laicis non ſacrificantibus Communio ſub utraque, vel ſub una tantum ſpecie; quia, ut diximus varia fuit ſuper illo capite Eccleſiæ praxis, hæreſeos tamen notam incurrerunt contra fidem præfati hæretici, qui contenderunt communionem ſub utraque ſpecie pro fidelibus Laicis jure divino eſſe neceſſariam & a Chriſto præceptam, unde ſit

CONCLUSIO.

Communio ſub utraque ſpecie non fuit a Chriſto præcepta, atque ita uſum calicis Laicis adimere merito potuit Eccleſia: eſt de fide.

Probatur 1. Quia nullum extat in Scripturis præceptum, quo vetitum ſit ſub una tantum ſpecie communicare, quinimo Chriſtus, Joan. 6. eumdem fructum promittit ſumentibus unam ſpeciem, ac utramque recipientibus, ut obſervat Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. his Verbis, *Qui dixit, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit, Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam, Panis quem ego dabo caro mea eſt*

pro

pro mundi vita, unde ſequitur ſatis eſſe, vel etiam ad effectum communionis conſequendum, ſi una ſumatur ſpecies, ſine altera.

Prob. 2. ex Traditione & praxi Eccleſiæ, quæ docet etiam in iis temporibus, in quibus ut plurimum Laici communicabant ſub duplici ſpecie, multiplicem fuiſſe communionem ſub una tantum ſpecie in Eccleſia uſurpatam & approbatam, videlicet communionem domeſticam, infantium, infirmorum, & præſanctificatorum.

Communio quidem domeſtica fiebat ſub una ſpecie Panis, quam ſolebant fideles domum deferre, non autem ſub ſpecie vini; tum quia vinum cum diutius aſſervatur corrumpi ſolet; tum quia veteres dicuntur Euchariſtiam ſecum deportare in Linteolo, vel in Pixide, quod nequit intelligi de vino. S. Juſtinus teſtatur Apolog. 2. in more poſitum fuiſſe, ut ad fideles abſentes Euchariſtiam deferrent Miniſtri. Tertullianus lib. 2. ad uxorem ſic illam alloquitur: *Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciverit panem non illum credit eſſe qui dicitur?*

S. Baſilius teſtatur epiſt. 189. Monachos tum Alexandriæ & per Ægyptum plebem ut plurimum habuiſſe domi communionem. Teſtis eſt S. Ambroſius non domi tantum, ſed in peregrinationibus ſumptum fuiſſe Corpus Chriſti, non Sanguinem; refert enim oratione de obitu fratris Satiri hunc adhuc Catechumenum naufragio proximum ſe dejeciſſe in mare habentem in collo orarium, in quo incluſum erat divinum Sacramentum, cujus rei proferri poſſent alia innumera exempla.

Communio infantium fiebat ſub ſola vini ſpecie, ut conſtat ex inſigni teſtimonio S. Cypriani, qui lib. de lapſis narrat Hiſtoriam facti quod propriis oculis viderat, cujuſdam ſcilicet puellæ, quæ in ſola ſpecie vini, Euchariſtiam a Diacono recepit, quam ſtatim evomuit, quod paulo antea idolothyta guſtaverat; *Faciem ſuam parvula*, inquit, *inſtinctu divinæ Majeſtatis avertere, ac labiis obturantibus premere. Perſtitit tamen Diaconus & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit; tunc ſequitur ſingultus & vomitus: in corpore atque atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit*. Dici non poteſt infantulam prius communicaſſe ſub ſpecie panis, quia eadem ratione panem evomuiſſet. Invaluit quoque mos ille apud Græcos, qui teſte Allatio, lib. 3. de conſenſione, cap. 9. *Sub utraque ſpecie ſumunt qui communicant in Eccleſia, quod etiam pueris atque infantibus ſub unica ſpecie vini concedunt.* Paſchalis II. decrevit epiſt. 32. ſufficere pro parvulis Communionem ſub unica ſpecie vini.

Communio infirmorum fiebat ſub ſola ſpecie panis: celebris eſt hiſtoria Serapionis apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 44. relata a Dionyſio Alexand. is enim ſenex morti proximus Euchariſtiam recepit in ſola ſpecie panis.

Item plurima ſunt Concilia quæ ſanxerunt, ut pixides, linteola, arculæ, haberentur ad Corpus Chriſti aſſervandum, locus aſſignatur pro Hoſtiis, quandoque comburendas eſſe jubetur, de Sanguine Chriſti nullum verbum; vide Concil. Turonenſe II. Can. 3. Leonem IV. Homil. de cura Paſtorali. Concil. Bituricenſe an. 1031.

Communio præſanctificatorum, quæ ita ſe habebat apud Græcos, ut in ſola ſpecie panis communicarent per totam quadrageſimam, exceptis diebus Sabbathi & Domini, apud Latinos vero adhuc ita perſeverat, ut in feria ſexta Hebdomadæ Sanctæ, Communio fiat ſolum in ſpecie panis. De Græcis id affirmat Allatius agens de Miſſa Præſanctificatorum, atque hunc Græcorum modum fundatum in hoc Canone 49. Concil. Laodiceni, *Quod non oporteat in quadrageſima panem benedictum offerri, niſi in Sabbato & Dominica*, tum & in Can. 52. Concil. Trullani, quoad Latinos ſpectat, quæ conſuetudo etiamnum viget apud

Digitized by Google

apud nos. Legitur in Ordine Romano, apud Amalarium lib. 1. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Alcuinum lib. *De Divinis Officiis*; apud Micrologum lib. *De Eccleſiaſticis Obſervationibus*, Rupertum, Hugonem a S. Victore, & alios.

Quod autem dicunt adverſarii ſub utraque ſpecie datam fuiſſe Euchariſtiam in Miſſa Præſanctificatorum, quia diſtribuebatur vinum per Hoſtiæ intinctionem ſanctificatum & converſum in Sanguinem Chriſti, abunde refellimus ſupra; cum de forma Euchariſtiæ agebamus.

Quibus præſuppoſitis communionibus, quæ factæ ſunt ſub una tantum ſpecie in diverſis temporibus & locis, evidens eſt Eccleſiæ mentem non fuiſſe, Communionem ſub utraque ſpecie fuiſſe a Chriſto præceptam, quapropter Eccleſia in Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi, & Tridentino, jure merito illud definivit.

Concilium quidem Conſtantienſe adverſus Joannem Hus & Hieronymum a Praga ſanxit ſeſſ. 13. eos errare qui præſentem Eccleſiæ praxim Laicos ſub ſola panis ſpecie communicandi, audent improbare, *Dicere quod hanc conſuetudinem aut legem obſervare, ſit ſacrilegium aut illicitum, cenſeri debet erroneum*, quod idem definiit Concilium Baſileenſe.

Et Concilium Trident. ſeſſ. 21. Can. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes & ſingulos Chriſti Fideles utramque ſpeciem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.*

Objicies: Hæc Chriſti verba Joan. 6. *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, expreſſum continent mandatum ſumendi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie: ergo.

Nego ant. & dico Chriſtum his verbis præcipere tantum Communionem quoad ſubſtantiam, non autem quoad modum, non hoc vel illo modo, non ſub duplici potius quam ſub unica ſpecie; quod cõnſtat [illegible]t. Quia, ut notat Concil. Tridentinum loco citato, Chriſtus eundem tribuit effectum recipienti unam ſpeciem ac ſi reciperet duas: *Qui dixit: Niſi manducaveritis, &c. dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum*, non præſcribens ſcilicet modum hunc ſumendi Euchariſtiam ſub utraque ſpecie tanquam eſſentialem. 2. Hanc eſſe non aliam Chriſti mentem manifeſtavit Eccleſiæ conſuetudo & doctrina in Conciliis definita. 3. Obſervant Interpretes particulam *&* ſæpiſſime uſurpari in Scripturis pro particula *vel* ut cum dicitur Exodi cap. 21. *Qui percuſſerit patrem & matrem, morte moriatur.* Senſus eſt enim qui percuſſerit patrem *vel* matrem.

Obj. Matth. 26. Chriſtus poſt conſecrationem Calicis, dicit: *Bibite ex hoc omnes*: igitur omnibus adeoque Laicis præcipit Communionem Calicis; nam ſedulo notandum eſt quod Chriſtus ſuis Apoſtolis dixit apud S. Marcum cap. 13. *Quod vobis dico, omnibus dico.*

Nego cõnſeq. quia præceptum illud ſolos reſpicit adſtantes, ſolos videlicet Apoſtolos, uti conſtat ex nuda & ſimplici lectione contextus, tum vero ex iis quæ addit S. Marcus cap. 14. *Et biberunt ex illo omnes.* quod autem objicitur ex S. Marco, ſatis intelligitur ex verbis ſequentibus, *Quod vobis dico omnibus dico, vigilate, &c.* certe ſi quæcunque Chriſtus dixit Apoſtolis, reſpicit omnes Chriſtianos, ſequitur Laicos habuiſſe poteſtatem conſecrandi, quod nemo dixerit.

Inſtabis: His verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Chriſtus præcipit Apoſtolis, ut faciant quod ipſe fecerat; ſed diſtribuerat utramque ſpeciem Sacramenti: igitur.

Diſt. maj. quantum ad ſubſtantiam & rem ipſam, C. quoad modum, N. nam Chriſtus Euchariſtiam celebravit veſpere, poſt Cœnam, non jejunus, &c. quæ quidem non cenſentur ab ipſo præcepta. Quapropter ſenſus verborum Chriſti eſt, in memoriam Paſſionis celebrandum eſſe hoc Myſterium, ut clare docet S. Paulus

I. Co-

1. Corint. 11. *Hoc facite*, inquit, *quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem*; & verſu ſequenti, *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne*, ubi notandum eſt obiter, particulam *vel*, probare ſumptionem Corporis, & ſejungi poſſe a ſumptione Sanguinis.

Obj. Perpetua Eccleſiæ praxis uſque ad duodecimum ſæculum probat invicte Communionem ſub utraque ſpecie eſſe neceſſariam: præſertim cum SS. Patres ſemper illam injungant, & loquendo de Euchariſtiæ ſumptione mentionem ſemper faciant de cibo & potu, de pane & vino, de Corporis & Sanguinis participatione; ut videre eſt apud S. Juſtinum Apolog. 2. S. Cyprianum epiſt. 63. S. Baſilium in moralibus regula 80. S. Cyrillum, S. Chryſoſtomum, S. Auguſtinum & alios hujus diſciplinæ teſtes ſupra citatos: igitur nec licite, nec ſapienter Eccleſia potuit Laicis Calicem adimere.

Nego conſeq. 1. quia Eccleſia poteſtatem habet immutandi quod voluerit in adminiſtratione Sacramentorum, ſalva tamen eorum ſubſtantia, quod quidem probari poteſt invicto argumento contra Novatores: immutavit enim modum miniſtrandi Baptiſmum, qui primis Eccleſiæ ſæculis in trina immerſione conferebatur juxta conſtantem omnium Eccleſiarum praxim ab ipſis Apoſtolis deſcendentem: ſed adverſus iſtam immutationem non reclamant Hæretici noſtri: igitur nec litem movere debent, quod Eccleſia ex gravibus & juſtis cauſis mutaverit modum adminiſtrandæ Communionis. 2. Licet Communio ut plurimum daretur ſub utraque ſpecie, eam tamen in multis caſibus ſub una tantum ſpecie quandoque datam ſupra oſtendimus; unde colligitur vigente illa praxi mentem Eccleſiæ non fuiſſe, Communionem ſub utraque ſpecie fuiſſe a Chriſto præceptam.

Nec moror quod quidquam e SS. Patribus declarent ſumptionem utriuſque ſpeciei ita eſſe neceſſariam, ut nemini liceat alterutram ſupprimere, ſic enim haud dubie loquuntur vi conſuetudinis quæ tunc obtinebat in Eccleſia, & contra quam nemo privata autoritate agere poterat; non autem vi præcepti divini.

Inſtabis. Gelaſius ſummus Pontifex in Decreto quod legitur apud Gratianum de Conſ. diſt. 3. aſſerit ſine grandi ſacrilegio unam ſpeciem ſine alia ſumi non poſſe: ſic habet. *Comperimus autem quod quidam ſumpta tantummodo Corporis ſacri portione, a Calice ſacri cruoris abſtineant, qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdemque Myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Palmaris eſt locus iſte apud Calviniſtas.

Diſt. ant. ſine grandi ſacrilegio, ſi id fiat animo hæretico & in doctrina Manichæorum, C. ſi id fiat cum autoritate Eccleſiæ, N. agit eo loci Gelaſius contra quoſdam Manichæos, qui a vino abhorrentes tamquam a diaboli creatura, Sanguinem Chriſti ſub ſpecie vini ſumere declinabant, licet cum aliis Fidelibus ad menſam accederent: quo poſito mirum non eſt, ſi Gelaſius Decretum emiſerit, quo prohiberet ne fieret diviſio unius ſpeciei ab altera; nam revera talis diviſio erat ſacrilega, quatenus credebant Manichæi ſpeciem vini eſſe abominandam & Diaboli creaturam, a quo errore vehementer diſtant Fideles, qui unam ſumentes ſpeciem, alteram venerantur ut a Chriſto inſtitutam & quæ totum ad integrum Chriſtum continet.

Jam vero ſummum Pontificem agere in Manichæos, colligitur ex eo quod S. Leo M. paulo ante his Hæreticis eamdem accuſationem intentaverat, Serm. 41. qui quartus eſt de quadrag. *Cumque ad tegendam*, inquit, *infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum Communionem ſe temperant, ut interdum ne penitus latere non poſſint, ore indigno Chriſti Corpus accipiant,*

piunt, Sanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinent.

Jam vero licet, ut mox oſtendimus, de fide ſit Communionem ſub utraque ſpecie non eſſe ſaluti neceſſariam, nec a Chriſto præceptam pro omnibus & ſingulis Fidelibus, tamen ad meram diſciplinam ſpectat hæc controverſia, an & in quibus circumſtantiis porrigenda ſit Laicis, rem illam determinare debet Eccleſia, quæ poteſtatem accepit a Chriſto Sacramenta, prout ipſi viſum fuerit, adminiſtrandi, ſalva illorum ſubſtantia, ut loquuntur Patres Tridentini ſeſſ. 21. c. 2. non ſemel citato. Unde Concilium Baſileenſe decreverat Bohemis permittere, ut ſub utraque ſpecie communicarent, ſi id reverenter poſtulaſſent: & Patres Tridentini poteſtatem dederunt ſummo Pontifici Calicis uſum, cui pro ſua prudentia voluerit concedere. Quibus adde in uſu adhuc eſſe, ut Reges noſtri ſub utraque ſpecie in ſua inauguratione communicent, quanquam non liceat Presbyteris, cuiquam privata auctoritate utramque ſpeciem porrigere ſub pœna excommunicationis.

Quod ſi quæras, cur Eccleſia Calicis uſum Laicis ademerit?

Reſpondeo graves & legitimas hujus ſubſtractionis extitiſſe cauſas.

1. Enim noverat Eccleſia Communionem ſub utraque ſpecie non fuiſſe a Chriſto præceptam, noverat Chriſtum totum ac integrum ſumi ſub alterutra ſpecie, ac denique noverat per illam Calicis ſubſtractionem Laicos nullo gratiæ ad ſalutem neceſſariæ beneficio defraudari.

2. Ad aliquam ea de re legem ſanciendam ex eo fuit adducta, & quod ab ipſis Apoſtolorum temporibus in quovis ſæculo licite fiebat, in multis caſibus Communio ſub una tantum ſpecie, & quod jam a decimo-tertio ſæculo uſus obtinuerat in toto Occidente in ſola ſpecie panis communicandi Laicos: *Unde*, inquit Concil. Conſtantienſe ſeſſ. 13. *Cum hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & SS. Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſime obſervata ſit, habenda eſt pro lege.*

3. Id potiſſimum ſuadebant varia incommoda quæ Communionem ſub utraque ſpecie ſequuntur. 1. Enim valde difficile eſt Communionem diſpenſare ſub utraque ſpecie panis & vini, ubi & quando numeroſiſſimus eſt Populus, & aliunde unicus eſt Sacerdos ſine aliis Miniſtris, uti fere in omnibus pagis & oppidis contingit. 2. In tanta Communicantium multitudine, periculum imminet effuſionis Sanguinis Chriſti & irreverentiæ. 3. Obſtat penuria vini in multis regionibus quæ talis eſt ut difficillime inveniatur pro ipſis Sacerdotibus. 4. Multi inter Laicos & mulieres ſunt abſtemii qui a vino abhorrent, nec ſine nauſea aut etiam vomitu illud haurire poſſunt. 5. Demum magna difficultas diu aſſervandi vinum quod neceſſarium foret pro Communione Infirmorum. Quapropter ineptiæ & impietatis revincitur Calvinus qui lib. 4. inſtitut. cap. 17. num. 47. ſic loquitur; *Ex diaboli prodiit officina conſtitutio quæ dimidiam Cœnæ partem meliori Populi Dei numero vel furata eſt, vel eripuit.*

Quæres utrum per ſumptionem utriuſque ſimul ſpeciei major conferatur gratia, quam per ſumptionem unius tantum?

Reſp. 1. hanc quæſtionem vehementer agitatam fuiſſe inter Theologos in Concilio Tridentino, ut teſtatur Palavicinus l. 12. c. 2. quidam enim, ut Melchior Canus, contendebant præter gratiam neceſſariam ad Regnum Cœlorum, aliam eſſe quæ major percipitur ex communione utriuſque ſpeciei quam ex unius ſumptione: nihil ſuper ea re definivit Synodus, quod videlicet neutram Theologorum opinionem damnare voluit.

Reſp. 2. probabiliorem eſſe partem negantem quam ſequitur Bellarminus,

tum quia ſub una ſpecie totus ac integer continetur Chriſtus omnis gratiæ fons & cauſa; gratia autem non a ſymbolis, ſed a Chriſto ſub ſymbolis contento potiſſimum provenit. Tum quia, ſi gratia uberior daretur ſumentibus utramque ſpeciem, ea præciſe de cauſa, nunquam Eccleſia voluiſſet Calicem Laicis adimere.

CAPUT XIX.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

CUm de Miniſtro Euchariſtiæ agitur, vel de ſermo eſt de Miniſtro conficiendæ Euchariſtiæ, vel de Miniſtro illius diſpenſandæ, quærimus primum quis ſit verus ac legitimus Miniſter valide conficiendæ, ſeu conſecrandæ Euchariſtiæ.

Quidam Marcus, a quo Marcitæ, mulieribus poteſtatem tribuebat conficiendi Euchariſtiam teſte S. Irenæo lib. 1. c. 9. quod idem de Collyridianis ſcribit S. Epiphanius hæreſi 49. Waldenſes eam faciunt licentiam cuilibet Laico, ſi ſit probus, ut refert Reinerius lib. contra Waldenſes cap. 5. contendit ſimiliter Lutherus lib. de abroganda Miſſa, quemlibet Fidelem conſecrare poſſe, quanquam id tentare non debeat, niſi ſit ſpecialiter vocatus, in quos ſit

CONCLUSIO.

Solis Sacerdotibus competit poteſtas valide conficiendi Euchariſtiam.

Prob. 1. ex Scripturis quæ declarant 1. quemlibet non eſſe legitimum Sacrificii Miniſtrum, Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* 2. a Chriſto inſtitutos fuiſſe Sacerdotes, quando dixit in ultima Cœna; *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucæ 22. uti exponit Conc. Trid. ſeſſ. 22. Can. 2. his verbis, *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ſuum, anathema ſit.* Chriſtus alloquebatur ſolos Apoſtolos & in eorum perſona Sacerdotes, quod comprobavit perpetua Eccleſiæ praxis; nullum enim proferri poteſt exemplum, in quo vel urgente neceſſitate Laici vel Subdiaconi, vel Diaconi Euchariſtiam confecerint. Et certe ſi poteſtas conficiendi Euchariſtiam vi præfatorum Chriſti verborum competeret omnibus Chriſtianis, non ſolum id poſſent, ſed etiam facere tenerentur, quod tamen non pertendunt adverſarii.

Prob. 2. ex SS. Patribus. Teſtatur S. Juſtinus Apol. 2. *Eum qui fratribus præeſt,* hoc eſt Sacerdotem, offerre Euchariſtiam. *Deinde*, inquit, *ei qui fratribus præeſt offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus illis acceptis laudem & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offerri, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem pro eo quod nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, prolixe exequitur.* Tertullianus, quem in ſuas partes trahere immerito conantur adverſarii, lib. de Corona militis cap. 3. eamdem tradit doctrinam. *Euchariſtiæ Sacramentum*, inquit, *& in tempore victus & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præſidentium ſumimus.* Et lib. de præſcriptionibus cap. 41. Marcionitas redarguit, quod *Laicis ſacerdotalia munera injungunt.* S. Epiphanius hæreſi 49. *Nam neque Diaconis quidem ipſis ullum in Eccleſiaſtico Ordine Sacramentum perficere conceditur, ſed hoc duntaxat ut eorum quæ perficiuntur Miniſtri ſint.* S. Hieronymus dialogo adverſus Luciferianos, *Hilarius cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque, ut putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & Presbyteros non habens.* S. Auguſtinus ſcribit Honorato epiſt. 228. non eſſe fugiendum in

per-

perſecutione, quia ſi deſit, nemo aderit qui Sacramenta conficiat: cæteri Patres eandem tradunt doctrinam.

Prob. 3. ex Conciliis Arelatenſi I. Can. 15. *De Diaconibus quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere*. Nicæno I. Can. 18. *Pervenit ad ſanctum Concilium, quod in quibuſdam locis & civitatibus, Presbyteris gratiam ſacra Communionis Diaconi porrigant, quod nec regula nec conſuetudo tradidit, ut ab his qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt Chriſti Corpus accipiant*: idem definiunt Concilium Lateran. IV. Eugenius in ſuo Decreto, & Conc. Tridentinum loco mox citato & inſuper ejuſdem ſeſſionis cap. 1. dixerat Chriſtum, *Earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc Novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidiſſe, & eiſdem eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepiſſe hæc verba*, Hoc facite in meam commemorationem.

Objicies hæc Chriſti verba Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, denotant omnes Fideles debere aut ſaltem poſſe idem facere quod fecerat Chriſtus, qui panem & vinum conſecraverat; neque hanc facultatem ſolis datam fuiſſe Sacerdotibus, recte concluditur, ex eo quod Chriſtus ſolos tunc alloquitur Apoſtolos, & eorum in Sacerdotio ſucceſſores; nam hæc verba direxit ad ſolos Apoſtolos, Matth. 28. *Euntes, docete gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, &c.* & Laici tamen baptiſare poſſunt: igitur.

Nego ant. quin potius, ut definivit Concilium Tridentinum loco ſupra citato, his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Chriſtus ordinavit Apoſtolos & inſtituit Sacerdotes ut Euchariſtiam conficere poſſint; id porro non infertur ex eo præcise quod hæc verba dirigit Chriſtus ad Apoſtolos, fatemur enim & eum Apoſtolis dixiſſe, *Baptiſantes eos in nomine Patris, &c.* licet Diaconi & Laici baptiſare poſſint; ſed ex praxi Eccleſiæ colligitur, quænam fuerit Chriſti mens & doctrina, ſoloſque Sacerdotes poſſe Euchariſtiam conficere, licet Laici vel etiam mulieres in caſu neceſſitatis valide baptiſare poſſint.

Objicies: In Scripturis omnes Fideles dicuntur Sacerdotes. I. Petri 2. *Vos genus electum, regale Sacerdotium*. Apocal. 7. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo Patri ſuo*. Igitur omnes Fideles poſſunt valide conficere Euchariſtiam.

Diſt. ant. Sacerdotes Sacerdotio metaphorice ſumpto, C. proprie dicto, N. ſcilicet Sacerdotes ſunt quatenus precibus & bonis operibus cultum Deo exhibentes, ipſi quodammodo offerre & ſacrificare cenſentur; oratio enim & bona opera ſunt quædam Sacrificia, ut habet ibidem S. Petrus, *Ipſi*, inquit, *tanquam lapides vivi ſuperædificabimini domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales Hoſtias acceptabiles Deo, &c.* Sed Sacerdotes non ſunt per Ordinationem, quaſi poteſtatem habeant conſecrandi, hoc enim fuit ſemper ab Eccleſiæ mente prorſus alienum.

Objicies autoritatem Tertulliani qui docere videtur Laicos omnes eſſe Sacerdotes & conſecrare poſſe, lib. de exhortatione caſtitatis cap. 7. *Vani erimus*, inquit, *ſi putaverimus quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere; nonne & Laici Sacerdotes ſumus? ſcriptum eſt; regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit: differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſia autoritas & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo; ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers & tinguis, Sacerdos eſt tibi ſolus; ſed ubi tres, Eccleſia eſt licet Laici; unuſquiſque enim ſua fide vivit, nec eſt acceptio perſonarum apud Deum; quoniam non auditores legis juſtificantur a Deo, ſed factores, ſecundum quod & Apoſtolus dicit: igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt habeas oportet etiam diſciplinam Sacerdotis, ubi neceſſe ſit habere*

K 2 *jus*

Digitized by Google

jus Sacerdotis. Bigamus tingis? Bigamus offers? quanto magis Laico Bigamo capitale eſt agere pro Sacerdote, cum ipſi Sacerdoti Bigamo facto offeratur agere Sacerdotem? ſed neceſſitati, inquis, *indulgetur? nulla neceſſitas excuſatur quæ poteſt non eſſe. Noli denique Bigamus deprehendi, & non committis in neceſſitatem adminiſtrandi quod non licet Bigamo: omnes nos Deus vult ita diſpoſitos eſſe, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti ſimus*. Similia fere ſcribit l. de Monogamia c. 12.

Reſp. Tertullianum loqui de Sacerdotio late & metaphorice ſumpto, quod nihil eſt aliud quam poteſtas illa, qua quilibet Chriſtianus poteſt aliquid Deo vovere, offerre per modum orationis vel cujuſcunque alterius boni operis; idque conſtat 1. quia loquitur ad mentem Scripturæ quam modo exponebamus, cum item enim Apocalypſeos locum citat; 2. quia jus illud tingendi & offerendi quod agnoſcit in Laicis, fundat in fide per Baptiſmum accepta, cum ait: *Unuſquiſque enim de ſua fide vivit*; ſed dubio procul non exiſtimabat Tertullianus Bapiſmum & fidem ſufficere, ut quis conſecrare poſſit; nam id vetitum eſſe mulieribus expreſſe docet lib. de velandis Virginibus, c. 9. 3°. quia nomina hæc Oblatio, Sacrificium, ſacrificare Laicis tribuit ſæpius in quantum Deo fundunt preces, lib. ad Scapulam c. 2. *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus pura prece*. Apolog. cap. 30. *Offero opimam & majorem Hoſtiam quam ipſe mandavit orationem de carne pudica*, lib. de Jejuniis cap. 10. *Orationem Deo immolat*. lib. 4. adverſus Marcionem cap. 4. *In omni loco Sacrificium nomini meo offertur, & ſacrificium mundum, ſcilicet ſimplex oratio de conſcientia pura*. unde merito colligitur Tertullianum dixiſſe locis ſupra citatis, Laicos eſſe Sacerdotes, conſecrare, offerre, &c. id intelligendo de Sacerdotio late & metaphorice ſumpto.

Quibus probe intellectis nulla ſupereſt difficultas in loco objecto, qui totus ſub eadem Sacerdotii idea exponendus eſt. Dicit Tertullianus nos omnes eſſe Sacerdotes, intellige Sacerdotio metaphorice ſumpto. Dicit Laicos poſſe offerre, intellige munera & preces. Dicit tres Laicos eſſe Eccleſiam, intellige ſecundum quid & improprie, quo ſenſu ſunt Sacerdotes. Dicit Laicos Sacerdotalia munera obire, intellige cum credunt & orant.

Inſtabis. Ait Tertullianus inter plebem & Ordinem ſeu Eccleſiaſticos differentiam ſola conſtitui Eccleſiæ autoritate: ergo ſaltem putabat jure divino Sacerdotes præ Laicis non habere poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam.

Diſt. ant. quantum ad electionem, quia a Laicis & populis eligebantur qui Sacerdotio deſtinabantur, C. quantum ad Ordinationem, N. unde addit ipſemet Tertullianus, *& honor per Ordinis conſeſſum a Deo ſanctificatus*. videlicet præter autoritatem Eccleſiæ.

At, inquies, de eo Sacerdotio loquitur Tertullianus ad quod nemo Bigamus pervenire poteſt, rejicit enim ſecundas nuptias, eo quod ſunt impedimentum ad Sacerdotium, videlicet, ſi ſumatur pro Sacramento Ordinis.

Reſp. Id unum colligi ex hoc argumento, ratiocinium Tertulliani non eſſe accuratum, cum nempe ab uno Sacerdotio ad aliud tranſit, quod utique fateri non recuſamus.

Poteſt etiam ſic explicari mens Tertulliani, quod ſolum aſſerat Laicos eſſe Sacerdotes diſpoſitive, quatenus debent ſemper eſſe diſpoſiti & nullum in ſe habere impedimentum, quo arceantur a muniis Sacerdotalibus obeundis, ut colligitur ex poſtremis verbis objectionis propoſitæ, *Omnes nos Deus vult ita diſpoſitos eſſe, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti ſimus*. Scilicet probat ibi Tertullianus non eſſe convolandum ad ſecundas nuptias, quia juxta legem Eccle-

ſiæ

ſiæ Bigami non poterant ad Sacerdotium promoveri: nemo autem, inquit, debet tale impedimentum contrahere, ut ſit ſemper diſpoſitus ad obeundas Sacerdotales functiones.

Obj. Factum cujuſdam Laici nomine Frumentii qui referente Rufino, lib. 1. hiſt. cap. 9. cum juvenis adhuc eſſet in India Romanos quoſdam mercatores incitavit, ut Romano more Liturgiam facerent, & fecerunt. Idem legitur apud Socratem lib. 1. cap. 19. Sozomenum, lib. 2. cap. 24. & Theodoretum, lib. 1. cap. 23. igitur Laici conſecrarunt.

Nego conſ. quia per illam Liturgiam, de qua loquitur Theodoretus, intelligendæ ſunt quædam orationes, quod patet ex eo quod Socrates mentionem faciat ſolum de orationibus, Sozomenus de collectis, & Rufinus a quo hoc factum acceperant, utpote qui illud didicit ab Ædeſio Frumentii in illa peregrinatione indica ſocio: loquatur tantum de aliquo genere orationis ritu Romano factæ; deinde erat forſan inter illos aliquis Sacerdos.

Obj. Initio quarti ſæculi duntaxat vetitum eſt, ne Diaconi conſecrarent, ut conſtat ex Concilio Arelatenſi I. Can. 15. *De Diaconibus quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere*. ex Ancyrano Can. 2. *Diaconi qui immolaverunt honorem quidem habeant, ceſſare vero, ab omni ſacro Miniſterio, ſive a pane ſive a calice afferendo vel prædicando*. Laodiceno Can. 25. *Quod non oportet Miniſtros panem dare vel calicem benedicere*. igitur antea Diaconi conſecrare ſolebant.

Reſpondent nonnulli, ut Morinus, inferri ſolum poſſe ex iſtis Canonibus juris ac diſciplinæ corruptelam, non autem jus & poteſtatem fuiſſe in Diaconis offerre, ut patet ex Canone citato Concilii Nicæni.

Reſpondent plerique alii Theologi, verbum offerre, cum de Diaconis agitur, nihil aliud ſignificare quam porrigere Fidelibus Euchariſtiam, quod officium erat Diaconorum ex S. Juſtino Apol. 2. ex S. Cypriano lib. De lapſis.

Quæres 1. utrum Diaconus ſit ſaltem Miniſter diſpenſationis Euchariſtiæ?

Reſp. 1. Miniſtrum diſpenſationis Euchariſtiæ vel eſſe ordinarium, qui vi ſuæ Ordinationis Euchariſtiam populo diſtribuere poteſt, vel extraordinarium qui non niſi ex delegatione Superioris id poteſt.

Reſp. 2. nunquam Diaconos fuiſſe Miniſtros ordinarios diſpenſationis Euchariſtiæ. Si quidem ſolis Apoſtolis & in eorum perſona, ſolis Sacerdotibus dixit Chriſtus, *Hoc facite in meam commemorationem*, poſtquam ſcilicet conſecravit & diſtribuit Euchariſtiam, unde S. Paulus I. Corinth. 4. ait: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Deinde quæ loca SS. Patrum adduximus ad probandum ſolos Sacerdotes conſecraſſe, eadem evincunt, eoſdem ſolos Euchariſtiam populo diſtribuiſſe. Item & id colligitur ex laudatis Conciliis Arelatenſi I. Ancyrano, Can. 2. & Laodiceno Can. 25. quæ vetant expreſſe, ne Diaconi Euchariſtiam offerant, plerique enim Theologi id exponunt de diſpenſatione Euchariſtiæ.

Reſp 3. Diaconos Euchariſtiam antiquitus diſpenſaſſe tanquam Miniſtros extraordinarios ex licentia Epiſcopi vel Presbyteri. Id conſtat ex citato Can. 18. Concil. Nicæni M. ubi, cum reprehenduntur Diaconi, quod Euchariſtiam porrexerint Presbyteris, ſignificatur eos juxta morem receptum hoc Sacramentum diſtribuiſſe tantum cæteris Fidelibus ſibi inferioribus, hoc ſenſu Concil. Carthag. IV. ait Can. 38. *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget. Sed jam a longo tempore uſus iſte inolevit in Eccleſia*.

Quæres 2. utrum & Laicis aliquando data ſit poteſtas Euchariſtiam diſtribuendi?

Reſp.

Reſp. affirmative, id enim probant exempla ſuperius adducta de communione domeſtica & infirmorum, ubi de communione ſub utraque ſpecie agebamus.

Quæres 3. an liceat cuilibet Presbytero Euchariſtiam miniſtrare?

Reſp. juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam, 1. id licitum eſſe cuilibet Paſtori, aliiſque Presbyteris ab eo deputatis, quia generatim loquendo tenentur illi Sacramenta diſpenſare. 2. Regulares non debere Euchariſtiam miniſtrare in duplici potiſſimum occaſione; videlicet tempore Paſchali, & moribundis per modum Viatici, ut expreſſe fertur in eorum privilegiis.

Quæres 4. an Presbyter ſibimetipſi poſſit Euchariſtiam adminiſtrare?

Reſp. affirmative, ſi Miſſæ ſacrificium celebret, ut definitum eſt in Conc. Trid. ſeſſ. 13. Can. 10. his verbis. *Si quis dixerit non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare, anathema ſit*. Quin & multi Theologi putant Sacerdotem quamvis non celebrantem, v. g. in morbo, &c. debere ſeipſum communicare ſi non adſit alter Sacerdos.

Quod autem nemo poſſit ſeipſum baptizare, ordinare, diſpar eſt ratio, quia alia Sacramenta ipſo uſu materiæ perficiuntur; nemo autem poteſt eſſe agens ſimul & patiens. At in Euchariſtia uſus diſtinguitur a confectione Sacramenti, Sacerdos non ſeipſum conſecrat, ſed panem & vinum.

Caput XX.

De ſubjecto Euchariſtiæ.

Subjectum Euchariſtiæ cenſetur is, cui adminiſtrari poteſt hoc Sacramentum & tales cenſentur generatim loquendo, quicunque ſunt baptizati & ſunt de numero Fidelium; ut docet S. Juſtinus Apol. II. *Alimentum hoc*, inquit, *apud nos vocatur Euchariſtia, quod nulli alii participare licitum eſt, quam veram eſſe doctrinam noſtram credenti & lavacro propter remiſſionem peccatorum & regenerationem abluto*.

Verum de nonnullis quæſtio proponitur; 1. de infantibus; 2. de amentibus, ſurdis & mutis; 3. de energumenis; 4. de mortuis; 5. de peccatoribus 6. de reis ultimo ſupplicio mox afficiendis.

Quæres igitur 1. utrum Euchariſtia ſit adminiſtranda infantibus?

Reſp. 1. apud Græcos ſemper viguiſſe atque etiamnum adhuc vigere praxim diſpenſandi Euchariſtiam infantibus; ut probant antiqua, & recentiora eorum Euchologia: hæc ſcribit Arcudius rituum apud Græcos obſervatorum peritiſſimus lib. 1. De Sacramento Euchariſtiæ cap. 13. *Sed quid dicemus de infantibus? nam Græci etiam chriſmate conſignant, & Euchariſtiam illis impertiunt .... Euchariſtiam vero Latini jure optimo eo uſque protendunt, donec ad plenum liberi arbitrii uſum pueri pervenerint*. Ex eodem apparet Græcos idcirco hanc retinere praxim, quod falſo putent Euchariſtiam eſſe ſaluti neceſſariam, quem errorem ſupra impugnavimus.

Reſp. olim etiam hanc viguiſſe diſciplinam in Eccleſia Latina, ut infantibus continenter poſt Baptiſmum & Confirmationem porrigeretur Euchariſtia, ut patet ex Sancto Cypriano lib. De lapſis, referente hanc celebrem hiſtoriam cujuſdam puellæ infantis, quæ de calice Euchariſtico cum adultis participavit; in Sacramentario S. Gregorii M. de infantibus hoc legitur tit. De Sabbato Sancto, *Qui etiam non prohibentur lactari ante Sacram Communionem, ſi neceſſe fuerit*: & Ordo Romanus qui noni & decimi ſæculi diſciplinam refert, ſic habet, *Per illud autem parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptiſati fuerint, neque lactentur ſine ſumma neceſſitate, antequam communicent Sacramento Corporis Chriſti*.

Reſp.

Reſp. 3. mutatam ſuper ea re fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam duodecimo ſæculo, vel paulo ante, quia S. Thomas qui obiit an. 1274. hæc ſcribit 3 q. q. 80. art. 9. *Ad tertium dicendum quod eadem ratio eſt de pueris recenter natis, & de amentibus qui nunquam habuerunt uſum rationis, unde talibus non ſunt ſacra M. ſteria danda, quamvis quidam Græci contrarium faciant.*

Neque hæc veteris diſciplinæ mutatio errori aut crimini jure vertitur, tum a Græcis ſchiſmaticis, tum ab hæreticis noſtris, ut recte definivit Concilium Trid. ſeſſ. 21. cap. 4. his verbis, *Denique eadem ſancta Synodus docet parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem. Neque tamen ideo damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit, ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

Quæres 2. utrum amentibus, mutis ac ſurdis diſpenſari poſſit Euchariſtia?

Reſp. olim illis fuiſſe diſpenſatam, ut apparet ex Can. 13. Conc. Arauſicani I. *Amentibus*, inquit, *quæcunque ſunt pietatis conferenda ſunt*. Nec dubium eſt, quin Eccleſia eodem modo ſe geſſerit erga ejuſmodi homines ac erga infantes, qui ſimiliter nullum habent rationis uſum.

Verum quando deſiit Eccleſia infantibus porrigere Euchariſtiam, quod nempe ſapienter judicavit, ſine ſenſibus pietatis ac reverentiæ recipiendum non eſſe hoc Sacramentum, deſiit quoque eam dare ſurdis ac mutis a nativitate & amentibus ac phreneticis etiam in ultimo vitæ periculo conſtitutis.

Neque oppoſitum docet S. Thomas qui 3. p. q. 80. art. 9. ſcribit eis exhibendam eſſe Euchariſtiam in articulo mortis, qui aliquem devotionis ſenſum præbuerunt, quando erant ſuæ rationis compotes, quod probat amentibus quandoque & phreneticis largiendam eſſe Euchariſtiam, verum addit S. Doctor, *Niſi forte timeatur periculum vomitus vel exſpuitionis*: en ejus verba, *Aut nunquam habuerunt uſum rationis, ſed ſic a nativitate permanſerunt, & ſic talibus non eſt hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præceſſit hujus Sacramenti devotio, aut non ſemper caruerunt uſu rationis, & tunc ſi prius, quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, ni forte timeatur periculum vomitus vel exſpuitionis. Unde in Concilio Carthaginenſi legitur*, Concilio nempe IV. quod ſic loquitur, Can. 76. *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuit, vel in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia*. Cujus Canonis mentem approbat S. Thomas in prefatis circumſtantiis; cum autem agitur de phreneticis, ſemper timendum eſt periculum irreverentiæ, vomitus, vel exſpuitionis, niſi conſtet eos longiora habere lucida intervalla.

Putat Sambovius ſurdis ac mutis a nativitate adminiſtrari poſſe Euchariſtiam, modo ſint probatis moribus & ſufficienter edoceantur fidei noſtræ Myſteria, quod equidem fit ordinarie per auditum, ſed extraordinarie fieri poteſt per Deum ſolum aut per Angelos, ut agnoſcit S. Auguſtinus, lib. De dono perſeverantiæ, cap. 19. *Pauciſſimis*, inquit, *eſſe donatum, ut nullo ſibi homine prædicante per ipſum Dominum vel per Angelos Cœlorum doctrinam ſalutis accipiant, multis vero eſſe donatum, ut Deo per homines credant*. Quod idem docet S. Thomas in 13. ſent. diſt. 25. quæſt. 4. his verbis, *In his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem nunquam Deus homini quærenti ſuam ſalutem deeſt vel deficit niſi ex culpa ſua:*

unde

unde explicatio eorum quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem vel divinitus providentur homini per prædicatorem, ſicut patet de Cornelio Actorum 10. & Eunucho Candacis Reginæ, Actorum 8. vel per revelationem, quæ ſuppoſita in poteſtate liberi arbitrii eſt, ut exerceat actum fidei. Scribit Alenſis pag. 3. quæſt. 82. memb. 5. art. 4. ejuſmodi ſurdos a nativitate per gratiam baptiſmalem edoceri *de omnibus vel explicite vel implicite credendis.* unde ſine temeritate ipſis indulgeri poteſt abſolutio ſacramentalis & adminiſtrari Euchariſtia, ſi non levia contritionis ſigna exhibeant.

Quæres 3. quid cenſendum ſit de energumenis ſeu a dæmone poſſeſſis?

Reſp. 1. iis olim non datam fuiſſe communionem niſi in tempore mortis, ut colligitur ex Can. 37. Concilii Eliberitani, *Eos*, inquit, *qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptiſari placet, ſi fideles fuerint, dandam eſſe Communionem.* Quando nempe lucida habebant intervalla, ut exponunt Interpretes, & quo ſenſu accipi debet ſententia S. Thomæ 3. p. q. 80. art. 9. ad 2. ſcribentis largiendam eſſe Communionem energumenis, quod probat autoritate Caſſiani dicentis, *Eos qui ab immundis vexantur ſpiritibus Communionem ſacro-Sanctam a ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam.*

Quæres 4. utrum mortuis adminiſtrari poſſit Euchariſtia?

Reſp. negative, ea quippe praxis fuit prohibita in Concilio Carthaginenſi III. Can. 6. his verbis, *Placuit ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur; dictum eſt enim a Domino, Accipite & edite, cadavera autem nec accipere poſſunt nec edere.* Idem fuit definitum in Concilio Altiſſiodorenſi an. 563. & in Trullano Can. 83.

Quæres 5. Utrum Peccatoribus omnibus Euchariſtiam petentibus ſemper ſit concedenda?

Reſp. 1. concedendam non eſſe Peccatoribus publicis, niſi pœnitentiam egerint, id enim præſcripſit Chriſtus cum ait Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus.* Peccatores autem cenſentur publici, vel evidentia facti, ut hiſtriones quos ab Euchariſtiæ participatione arcendos monet S. Cyprianus epiſt. 61. vel evidentia juris, qui tales declarantur ſententia Judicis. Peccatoribus autem occultis concedendam eſſe, ſi illam publice petant, quod alioquin magnum inde redundaret ſcandalum in eum qui repulſam pateretur; cum præſertim hanc praxim ſuo exemplo monſtraverit Chriſtus Dominus, qui Judæ proditori Corpus ſuum porrexit; id conſtat ex cap. *Si Sacerdos* extra *de officio Judicis ordinarii.*

Neque in illo caſu Sacerdos cooperatur ſacrilegio quod Peccator committit per indignam Communionem; nam in tali hypotheſi malum duntaxat permittit quod pro officio tenetur permittere, & propter gravia incommoda quæ ſequerentur. Quod ſi Peccator ille occultus ſecreto & ſine teſtibus ad ſacram Menſam accederet, adeoque nullum eſſet ſcandali periculum, deberet denegari Communio, modo tamen ejus crimen per Confeſſionem auricularem non cognoviſſet Sacerdos.

Quæres 6. utrum reis ultimo ſupplicio mox afficiendis concedenda ſit Euchariſtia?

Reſp. morem obtinere in Galliis, ut reis ultimo ſupplicio afficiendis non concedatur Communio Euchariſtica, quibus etiam denegabatur Abſolutio Sacramentalis ante tempora Caroli ſexti Regis, qui duriorem hanc legem abrogavit: idem obſervatur in Hiſpania, ſecus vero in Italia & Germania, ubi reis ſanctum hoc Viaticum miniſtratur.

CA-

CAPUT XXI.

De diſpoſitionibus ad recipiendam Euchariſtiam requiſitis.

AGimus hic de diſpoſitionibus ad recipiendam Euchariſtiam requiſitis, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis.

Quæres i. quænam diſpoſitiones requirantur ex parte animæ ad Euchariſtiæ Communionem?

Reſp. primam ac præcipuam diſpoſitionem recipiendæ Euchariſtiæ prærequiſitam, eſſe morum ac vitæ ſanctitatem; ita ut nemo ad ſanctiſſimum illud Sacramentum accedere debeat cum peccati mortalis conſcientia, ut fuſius oſtendemus in ſequenti articulo, cum de effectibus Euchariſtiæ dicemus; hanc eſſe adhibendam diſpoſitionem expreſſe fidelibus injungit Concilium Trident. his verbis ſeſſ. 13. cap. 7. *Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere niſi ſancte, certe quo magis ſanctitas & divinitas hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad percipiendum accedat, præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus,* [*Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit non dijudicans Corpus Domini*] *quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum* [*Probet ſeipſum homo*] *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat, quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris: quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Ex quibus patet propriam cujuslibet Chriſtiani ſanctitatem requiri ad recipiendam Euchariſtiam, non modo ut ſervetur Eccleſiæ conſuetudo, quæ tenet ut nemo ad eam accedat quin prius ſua peccata Sacerdoti fuerit confeſſus, ſed etiam ut hac in parte adimpleamus Apoſtoli monitum præcipientis dijudicandum Corpus Domini, ne illud indigne manducetur.

Ubi etiam Patres Tridentini ſpecialiter pro Sacerdotibus definiunt eos, ſi rei ſint peccati mortalis, teneanturque ex officio celebrare, deſit tamen ipſis copia Confeſſoris, poſſe quidem in tali caſu neceſſitatis abſque prævia confeſſione Miſſam celebrare, ſed debere quamprimum confiteri; ubi hæc particula *Quamprimum* male explicatur his verbis, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur, ut declaravit Clerus Gallicanus an. 1700. in cenſura propoſitionis 82.

Quæritur utrum qui reus eſt peccati mortalis præter Confeſſionem ſacramentalem præmittere debeat pœnitentiam & ſatisfactionem, priuſquam ad ſacram Menſam communicaturus accedat.

Reſpondeo eam certe fuiſſe antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, ut nemo in peccata gravia lapſus ad ſacram divinæ Menſæ Communionem admitteretur, quin prius plenam abſolviſſet pœnitentiam, ut ex innumeris probari poſſet Patrum & Conciliorum teſtimoniis. S. Cyprianus epiſt. 52. quæ eſt ad Antonianum, inſurgit in lapſos hujuſce temporis, qui volebant nondum acta ſua pœnitentia ſanctæ Euchariſtiæ Communione donari: *Ut Sacerdotibus*, inquit, *iraſcerentur, quod non ſtatim Domini Corpus inquinatis manibus acciperent, aut ore polluto Domini Sanguinem biberent.* S. Auguſtinus Homil. 27. ſic loquitur: *Reſtat ergo Pœnitentiæ tertium genus, unde aliquid breviter dicam, ut adjuvante Domino propoſita & promiſſa perſolvam. Eſt Pœnitentia gravior atque luctuoſior in qua proprie vocantur in Eccleſia Pœnitentes, remoti etiam a Sacramento altaris*

taris participandi , ne accipiendo indigne, judicium ſibi manducent & bibant ; & S. Leo epiſt. 91. *Chriſtus Jeſus*, inquit, *hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent , & eo dem ſalubri ſatisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent .*

Verum ſevera illa Eccleſiæ praxis jam a multis ſæculis abiit in deſuetudinem, neque his temporibus reus peccati mortalis tenetur ante Euchariſticam Communionem pœnitentiæ labores præmittere ; quod utique , licet antiquæ diſciplinæ contrarium, improbari non debet ; quia res eſt ad meram diſciplinam pertinens, adeoque mutationi obnoxia ; nulla lege vel etiam Eccleſiaſtica præceptum eſt , ut ſatisfactio pro peccatis mortalibus peræque ac Confeſſio ſacramentalis Communioni præmittatur . Quapropter Alexander VIII. jure merito damnavit hanc Petri Oxonienſis propoſitionem, *Sacrilegi ſunt judicandi , qui jus ad Communionem prætendant, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.*

Quamvis autem dicamus ad Euchariſtiæ participationem, nunc ut olim non requiri, ut præmittatur plena ſatisfactio per longos pœnitentiæ labores , exiſtimamus tamen pœnitentiam eſſe neceſſariam diſpoſitionem , ſi penitentia ſumatur pro ſincero animi dolore de peccatis commiſſis ; ut aliunde colligitur ex loco mox citato Concilii Tridentini , quod vetat ne quis peccati mortalis conſcius ad ſacram Euchariſtiam accedat abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione, quæ dubio procul comitem habere debet ſinceram cordis contritionem, quin & reverentia ſanctiſſimo huic Sacramento debita poſtulat , ut qui in graviſſima ſcelera, vel in alia etiam mortalia ex conſuetudine prolapſi ſunt, non ſtatim poſt acceptam a Sacerdote abſolutionem , ad illud feſtinanter accedant , ſed per aliquod tempus probent ſeipſos , videantque, num vera ſit eorum converſio per nonnulla ſatisfactionis opera, iis tamen exceptis qui in lecto mortis decumbunt, quibus ſolum ſatisfactionis perſolvendæ propoſitum ſufficit, ut ſacra Communione donentur.

Quæres quale ſit peccatum illius, qui peccati alicujus mortalis conſcius ad ſacram Menſam accedit ?

Reſp. Peccatum illud eſſe ſacrilegium & quidem graviſſimum, ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 99. art. 3. his verbis : *Tertia ſpecies ſacrilegii, quæ circa alias res ſacras committitur, diverſos habet gradus ſecundum differentiam rerum ſacrarum, inter quas ſummum locum obtinent ipſa Sacramenta , quibus homo ſanctificatur, quorum præcipuum eſt Euchariſtiæ Sacramentum, quæ continet ipſum Chriſtum . Et ideo ſacrilegium quod contra hoc Sacramentum committitur , graviſſimum eſt inter omnia .*

An vero Juſtis , quorum conſcientia nullo mortali peccato contaminata eſt , utile ſit quandoque venialium Peccatorum aliquam ante pœnitentiam agere , quam ad ſacram Menſam accedant, paucis explicamus infra , cum de frequenti Communione agitur.

Quoad ſpectat diſpoſitiones ex parte corporis requiſitas, duæ potiſſimum ſu videlicet jejunium & puritas.

Quæritur 1°. utrum a jejunis ſolum percipi debeat Euchariſtia?

Reſpondeo , hanc praxim quæ hodie viget in univerſa Eccleſia, ut nonniſi a jejunis ſumatur Euchariſtia , ſemper & ubique fuiſſe religioſe obſervatam ; unde non dubitant Theologi affirmare eam eſſe traditionis Apoſtolicæ, juxta illud S. Auguſtini lib. 4. *de Bapt.* cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt , non niſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

Id autem colligitur primo ex Tertulliano , qui lib. 2. ad uxorem cap. 5. ſic loquitur, *Non ſciet maritus* infidelis cui nuberes, *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes.*

2. Ex

2. Ex S. Cypriano epiſt. 63. *Chriſtum* inquit, *offerre oportebat circa veſperam diei, ut hora ipſa Sacrificii oſtenderet occaſum & veſperam mundi: nos autem reſurrectionem Domini mane celebramus.*

3. Ex Concilio Cartaginenſi III. quod Can. 29. definivit, *Ut Sacramenta altaris non niſi a jejunis hominibus celebrentur excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur; nam ſi aliquorum pomeridiano tempore defunctorum ſive Epiſcoporum, ſive Clericorum, ſive caeterorum commendatio facienda eſt, ſolis orationibus fiat, ſi illi qui faciunt, jam pranſi inveniantur.*

4. Ex S. Auguſtino qui ſibi in objectionem propoſito Chriſti exemplo, qui nonniſi poſt Cœnam veſpere Corpus ſuum Diſcipulis porrexit, ſic reſpondet, *Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret quam caeteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere.* Addit ſanctus Doctor determinationem temporis quo ſumeretur deinceps Euchariſtia, relictam fuiſſe Apoſtolis, *Et ideo non praecepit quo deinceps Ordine ſumeretur, ut Apoſtolis per quos Eccleſias diſpenſaturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ne poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo, quod eum morem nemo variaſſet.*

5. Ex S. Chryſoſtomo Homil. 17. in I. ad Corinth. haec ſcribente, *Tu prius quam communices, jejunas, ut quomodocunque Communione dignus appareas.* Unde colligitur eandem fuiſſe in Eccleſia Orientali praxim, quod utique confirmat Canon. 29. Concilii Trullani rem expreſſe definientis.

S. Thomas nonnullas profert rationes 3. p. q. 80. art. 8. propter quas haec Eccleſiae diſciplina laudabilis maxime cenſetur: *Impeditur*, inquit, *aliquis a ſumptione hujus Sacramenti poſt cibum & potum aſſumptum tripliciter. Primo quidem, ut Auguſtinus dicit, in honorem hujus Sacramenti, ut ſcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum. Secundo propter ſignificationem, ut ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus, qui eſt res hujus Sacramenti, & charitas ejus debet primo fundari in cordibus noſtris. Tertio propter periculum vomitus & ebrietatis, quae quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur, ſicut & Apoſtolus dicit, I. ad Corinth. 11. Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.*

Occurrunt tamen caſus in quibus juxta receptam in Eccleſia conſuetudinem licet Fidelibus fracto jejunio Euchariſtiam ſumere.

1. Id licitum eſt aegrotis, qui jejunium ſine gravi incommodo ferre non valent, ut perhibet Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 13. his verbis, *licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit hoc venerabile Sacramentum, tamen ſacrorum Canonum auctoritas & approbata conſuetudo Eccleſiae ſervavit & ſervet, quod hujuſmodi Sacramentum nec conficiatur poſt Cœnam, nec ſumatur a non jejunis niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a jure vel Eccleſia conceſſo vel admiſſo.*

2. Licet Sacerdoti non jejuno Euchariſtiam ſumere, ſi non niſi inchoata Miſſa meminerit ſe jejunium fregiſſe, iſque hac in circumſtantia ad vitandum ſcandalum debet ſacrificium conſumere.

3. Si Sacerdos poſt ablutionem hauſtam deprehendat quaſdam Hoſtiae conſecratae particulas ſuperſtites, poterit eas ſumere etſi non jejunus.

4. Si Sacerdos qui Miſſam celebrat poſt inceptum Sacrificium morbo corriperetur, ita ut illud conſummare non poſſet, tunc alter Sacerdos poſſet licite, quantumvis non jejunus, illud idem perficere. Ex iſtis caſibus quid in aliis ſimilibus agendum ſit, judicari facile poteſt.

Quaeritur 2. utrum requiratur etiam

L 2 puri-

puritas & munditiés corporis, antequam ſumatur Euchariſtia.

Reſp. affirmative, quia ad receptionem hujus Sacramenti, in quo realiter continetur ipſe Salvator noſter Jeſus-Chriſtus Deus, ſumma requiritur reverentia: ſed ſummæ reverentiæ teſtimonium non daret is, qui corpore pollutus & immundus ad divinam illam menſam accederet: igitur.

Hinc ſequitur eum qui pollutionem nocturnam paſſus eſt in ſomno, non ſtatim & die proxime ſequenti debere ad ſanctam Communionem accedere; ſi nimirum aliquo modo huic pollutioni dederit occaſionem, ſecus ſi ex infirmitate naturæ & citra ullum peccatum id contigerit; quo in caſu hæc impuritas non ex neceſſitate, ſed ex decentia ſolum arcet a Communione, ut docet S. Thomas 3. part. q. 80. art. 7.

Quin & actus etiam conjugalis efficere debet, ut conjugati per aliquot dies a ſacra Communione abſtineant, ut habetur in Catechiſmo ad Parochos parte 2. num. 27. *Alterum eſt*, inquit, *quod Fideles docere oportet, ut Deum orandi & obſecrandi cauſa a matrimonii officio interdum abſtineant, imprimiſque id ſibi obſervandum ſciant tribus ſaltem diebus, antequam ſacram Euchariſtiam percipiant*. Hoc idem conſilium dederant olim S. Hieronymus epiſt. 50. ſeu Apologia ſua adverſus Jovinianum, & S. Auguſtinus ſermone de Dominica ſecunda Adventus. Conſilium iſtud appellamus conſentaneum ad mentem S. Pauli I. ad Corint. cap. 7. ſic loquentis, *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu, ad tempus, ut vacetis orationi*,

Caput XXII.

De effectibus Euchariſtiæ.

Varios Euchariſtiæ effectus recenſet Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. his verbis. *Sumi autem voluit* (Chriſtus) *Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, ipſe vivet propter me, & tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis & a peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoque ſymbolum unius illius Corporis, cujus ipſe caput exiſtit*.

Primo Euchariſtia digne recipientibus communicat vitam ſpiritalem, Joan. 6. *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita*. & S. Auguſtinus in hunc Scripturæ locum tractatu nempe 26. in Joan. *Qui vult vitam, habet ubi vivat, habet unde vivat, accedat, credat, incorporetur, vivificetur*, Quapropter divinus ille cibus efficere dicitur in anima quod præſtat cibus corporalis in corpore; *Hujus Sacramenti effectus*, ut habetur in Decreto Eugenii IV. *quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum, & quia per gratiam Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt quod hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum quem materialis cibus & potus quo ad vitam agunt corporalem ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur ſpiritualem*.

Secundo Euchariſtia eſt antidotum quo liberantur Fideles a culpis venialibus, ſi nempe ſine ullo ad illa peccata levia affectu ſumatur; Sacramentum enim quodcunque ſit non remittit illud peccatum cujus remanet effectus. Idcirco autem Euchariſtia remittit peccata venialia, quia ipſa dat vitam ſeu refectionem ſpiritualem; cibus autem, cum reficit & auget vires ſumentis, conſequenter tollit leviores morbos quales cenſentur peccata venialia, quæ ſunt veluti animarum ægritudines. Hoc ſenſu S. Ambroſius ait ſerm. 18. in Pſalm. 118. *Accedite ad eum & abſolvimini, qui remiſſio peccatorum eſt*; & idem vel alius Autor lib. 5. de Sacramentis cap. 4. *Iſte Panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infir-*

fir-

Digitized by Google

firmitatis. Similiter S. Auguſtinus epiſt. 118. cap. 3. hoc Sacramentum vocat quotidianam medicinam, *Si peccata*, inquit, *tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo non judicetur, non ſe debet a quotidiana medicina Dominici Corporis ſeparare*.

Tertio per Euchariſtiam Fideles a peccatis mortalibus præſervantur, ut expreſse docet Chriſtus Joan. 6. his verbis, *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto & mortui ſunt. Hic eſt Panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit non moriatur*, morte ſcilicet ſpiritali quæ fit per peccatum lethale.

Et ratio eſt quia Euchariſtia datur ut cibus ſpiritalis animarum; ſed per cibum vita roboratur & a morte conſequenter præſervatur.

Quarto demum Euchariſtia eſt pignus vitæ æternæ, ut ſimiliter docet Chriſtus eodem capite S. Joannis, *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, quod non eſt intelligendum de qualicunque præcise reſurrectione corporis, quia & Infideles qui nunquam manducaverunt divinam illam Carnem, reſurgent quoque in ultimo Judicio; ſed ſolum de reſurrectione quæ fit ad vitam & felicitatem æternam: id egregie differit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 2. *Sed* inquit, *dicet forſan aliquis, qui fidem in Chriſtum non ſuſceperunt, nec facti ſunt ejus participes, reſurrectionis tempore non reviviſcunt?* Reſpondet *eos reſurgere ad pœnam & ad ſola ſupplicia excitari, morte ipſa longe acerbius eſſe judico*. Quapropter Euchariſtia dici ſolet viaticum, quia eſt cibus qui parat viam ad æternæ gloriæ conſecutionem.

De his porro effectibus nulla eſt controverſia, ſed quæſtio eſt ſolum Catholicos inter & Novatores, utrum Euchariſtia inſuper deleat peccata mortalia. Volunt enim Lutherus & Calvinus præcipuum hujus Sacramenti effectum, eſſe remiſſionem peccatorum mortalium, ac proinde conſcientiam puram non requiri per modum diſpoſitionis ad digne & cum fructu recipiendum Corpus & Sanguinem Chriſti, quem errorem rejiciunt & exhorrent Catholici omnes, itaque ſit

CONCLUSIO.

Euchariſtia per ſe non remittit peccata mortalia, proindeque nemo digne communicat ſi peccati mortalis ſit conſcius, eſt de fide.

Probatur 1. ex diſerto hoc Apoſtoli loco I. Corint. cap. 11. *Probet ſeipſum homo, & ſic de illo pane edat*. Quæ quidem verba eo ſenſu exponunt SS. Patres & Scripturæ Interpretes, quod quicunque ad ſacram Menſam volunt accedere, præparare ſe debent per Contritionem, peccatorum Confeſſionem, & conſcientiam ab omni peccato puram, quia judicium ſuum manducarent, ſi hoc Sacramentum indigne participarent, *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit*.

Probatur 2. ex traditione qua conſtat nunquam lapſos & Peccatores ad divinam Menſam fuiſſe admiſſos ante actam pœnitentiam aut confeſſionem, ſic S. Cyprianus epiſt. 9. conqueritur quod Peccatoribus data ſit Communio: *Nondum pœnitentia acta, nondum exhomologeſi facta, nondum manu ab Epiſcopo & Clero eis impoſita, cum ſcriptum ſit, Qui ediderit Panem, vel biberit indigne*. ſic S. Ambroſius in cap. 9. Lucæ. *Ubique*, inquit, *Myſterii ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia Menſæ cœleſtis exuberet*. ſic S. Auguſtinus tract. 26. in Joan. *Videte ergo Fratres, Panem cœleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate*, ſic S. Chryſoſtomus Homil. 17. in epiſt. ad Hebr. *Quando dicit Sacerdos, Sancta Sanctis, hoc dicit, ſi quis non eſſet ſanctus non accedat, non ſolum a peccatis purus, ſed*

etiam

Digitized by Google

etiam Sanctus. Sanctum enim non facit ſolum liberatio a peccatis, ſed etiam præſentia Spiritus, & bonorum operum ubertas & opulentia. Non ſolum volo vos ab vitiorum cœno repurgatos, ſed candidos eſſe & pulchritudine conſpicuos. Ita & cæteri Patres & Theologi, ex quorum fide aperte revincitur impium Lutheri & Calvini ſyſtema dicentium, peccati mortalis conſcientiam neutiquam obeſſe ſanctæ Euchariſtiæ effectibus.

Quapropter nefariam illorum doctrinam jure comprimit Conc. Trident. ſeſſ. 13. Can. 5. his verbis: *Si quis dixerit vel præcipuum fructum Euchariſtiæ, eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema ſit*, & Can. 11. *Si quis dixerit ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem*.

Et ratio eſt quia Euchariſtia datur Fidelibus per modum cibi & alimenti: ſed alimentum non datur mortuis: igitur.

Objiciunt Hæretici 1. id quod habetur Matth. 26. *Hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*. 2. Chriſtus ait ſe non veniſſe vocare Juſtos, ſed Peccatores, Matth. 9. 3. Item Joan. 6. *Panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita;* non datur autem vita jam viventibus. 4. Multi Patres remiſſionem peccatorum aſcribunt Euchariſtiæ; ſic inter alios S. Chryſoſtomus Homil. 4. in Matth. *Hoc Sacramento omnis morbus extinguitur*. 5. Arguunt ex ipſis verbis Canonis Miſſæ, *Hæc nos Communio purget a crimine, ſit ablutio ſcelerum*.

Reſp. Hæc omnia nullius eſſe momenti. Ac 1. Chriſtus ait duntaxat in Calice bibendum eſſe Sanguinem qui pro omnibus *fundetur in remiſſionem peccatorum*, tempore ſcilicet Paſſionis; ſed non ait bibendum eſſe Calicem in remiſſionem peccatorum. Quoad ſecundum, Chriſtus venit quidem vocare Peccatores, ſed quorum peccata remittuntur per Baptiſmum & Pœnitentiam. Tertio Euchariſtia eſt vita Fidelium, non quatenus per illam reſurgunt a morte, ſed quatenus per illam nutriuntur; eſt enim cibus qui non datur mortuis. 4. Multi Patres tribuunt Euchariſtiæ remiſſionem peccatorum, ſed venialium & quotidianorum; iidem enim Scriptores, ut patet ex dictis, poſtulant in Communicantibus conſcientiam puram; quomodo & ſolvitur quod objiciunt ex Canone Miſſæ.

Quæres 1. utrum ſaltem indirecte remittantur peccata mortalia per Euchariſtiæ ſumptionem, in eo ſcilicet qui reus peccati mortalis, quod ipſe invincibiliter ignorat, ad Communionem accedit?

Reſpondeo 1. conſtare apud omnes, peccata mortalia quæ in Confeſſione ſacramentali non fuere declarata per negligentiam & defectu examinis, non modo non remitti per Euchariſtiæ ſumptionem, ſed & reddere Communionem ſacrilegam, quod etiam contingit ſi peccata ignorentur ignorantia juris culpabili, ut docet S. Thomas 3. p. qu. 80. art. 4. *Ad quintum dicendum, quod hoc quod non habet aliquis conſcientiam ſui peccati poteſt contingere dupliciter. Uno modo per culpam ſuam, vel quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum, puta, ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale, vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius contra id quod Apoſtolus dicit I. Corinth. 11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat & de Calice bibat. Et ſic nihilominus peccat Peccator ſumens Corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati, quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum*.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo 2. ſi ſupponatur ignorantiam peccati mortalis eſſe plane invincibilem tum in jure tum in facto, & aliunde ejusdem peccati affectum in animo Peccatoris non remanere, in illa hypotheſi non deleri per Euchariſtiam, quia videlicet fuit remiſſum per abſolutionem ſacramentalem, per quam & deleta ſunt alia quæ Pœnitens declaravit.

Verum ſi ſermo ſit de peccatis mortalibus quæ commiſſa fuerint poſt datam abſolutionem, & ante Euchariſtiæ ſumptionem, quorum ſe reum eſſe Peccator invincibiliter ignoret, dicimus ejusmodi peccata & non reddere Communionem ſacrilegam, & per Euchariſtiam indirecte & ex opere operantis remitti. 1. Non redditur Communio ſacrilega, quia nemo peccat in eo quod cavere non poteſt, quod autem ignoratur invincibiliter, caveri non poteſt, voluntarium non eſt. 2. Dici poteſt in illa hypotheſi peccatum deleri ex opere operantis per Euchariſtiam, quatenus Communio Corporis Domini efficit, ut communicans actum charitatis eliciat, per quem ex opere operato peccatum expellitur. Unde tota difficultas eſt, an Euchariſtia in illa hypotheſi peccatum illud mortale deleat per ſe proxime & ex opere operato; cui quidem difficultati

Reſp. inter duas oppoſitas Theologorum opiniones, eam eſſe probabiliorem, quæ affirmat nequidem indirecte peccata mortalia remitti per Euchariſtiam per ſe nimirum & ex opere operato. Siquidem Euchariſtia producit tantum per ſe & ex opere operato eum effectum ad quem deſtinata eſt: ſed Euchariſtia non eſt deſtinata & inſtituta ad delenda peccata mortalia, cum detur ut cibus & per modum refectionis ſpiritualis; unde ſolet dici Sacramentum vivorum: igitur.

Quæres 2. An peccata venialia impediant Euchariſtiæ effectus?

Reſp. vel ſermonem eſſe de reatu peccatorum venialium, vel de eorum affectu. Si ſermo ſit de reatu, vel quæſtio eſt de peccatis venialibus præteritis, vel de iis quæ comitantur actualem Euchariſtiæ perceptionem. Item ſi ſermo ſit de affectu, quæritur utrum non modo fervorem charitatis, ſed etiam gratiæ habitualis augmentum impediat? His autem obſervatis,

Dico 1. per reatum peccati venialis præteriti non impediri effectum Communionis Euchariſtiæ. Quia potius hoc Sacramentum digne ſuſceptum delet peccata venialia præterita; hoc enim ſenſu, a nonnullis Patribus dicitur remittere peccata; hoc ſenſu intelligendum eſt, quod legitur in Canone Miſſæ, *Hæc nos Communio purget a crimine, ſit ablutio ſcelerum, &c.* hoc eſt peccatorum venialium & quotidianorum, ut ſupra obſervavimus reſpondendo Lutheri & Calvini objectionibus.

Dico 2. peccatum veniale, v. gr. diſtractionem voluntariam, quæ comitatur actualem Euchariſtiæ ſuſceptionem, non tollere primarium ejus effectum qui poſitus eſt in augmento gratiæ habitualis; ſiquidem actualem attentionem abſolute non requiri in hoc Sacramento colligitur ex eo quod olim Euchariſtia porrigebatur infantibus, & amentibus omni ratione & attentione deſtitutis. At vero ejusmodi diſtractio tollit alium Communionis effectum ſecundarium, nempe qui poſitus eſt in ea dulcedine, quæ ex refectione ſpirituali percipitur, ita S. Thomas 3. p. quæſt. 79. art. 8. *Peccata venialia*, inquit, *dupliciter accipi poſſunt, non modo prout ſunt præterita, alio modo prout ſunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti . . . Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, ſed in parte; dictum eſt enim quod effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata*

cata venialia mente diſtractus, *non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ*, *vel charitatis*. Hujus ſancti Doctoris ſententia colligi non debet ex eo quod ſcripſerat in 4. Sent. diſt. 2. qu. 2. art. 1. quod utique junior ſcripſerat & in Summa retractavit.

Dico tertio, ſi ſermo ſit de affectu peccati venialis, per Euchariſticam Communionem ea non remittuntur, quorum affectus non deponitur. Deinde ejusmodi affectus ad minimum eſt irreverentia venialis, quæ quidem, ut mox diximus, de voluntaria diſtractione, non impedit quominus producatur gratia habitualis; quia, generatim loquendo, peccatum veniale formaliter non opponitur productioni gratiæ ſanctificantis, quatenus Sacramentum gratiam operatur in ſubjecto ad illam non ponenti obicem; ſed quæ aut multum imminuit, aut omnino tollit fervorem charitatis.

Quæres tertio, quam gratiam producat Euchariſtia?

Reſp. Per Euchariſtiam dari gratiam nutrientem per quam Fideles vivunt vita ſpiritali, aluntur, ſuſtentantur, juxta Scripturæ teſtimonia ex Joan. cap. 6. ſæpius allegata. Hæc gratia non eſt prima gratia qua deleatur peccatum mortale, hoc enim Sacramentum eſt vivorum non mortuorum, ſed ſecunda quæ augmentum eſt gratiæ ſanctificantis per modum refectionis ſpiritalis, qui proprius eſt & ſpecificus Euchariſtiæ effectus.

Quæres quarto, utrum per Euchariſtiam ut Sacramentum eſt, remittatur pœna temporalis peccatis debita?

Reſp. Per Euchariſtiam directe & ex opere operato non remitti pœnam temporalem, quia Sacramenta non producunt directe niſi proprium & ſpecificum effectum ad quem ex inſtitutione Chriſti ordinantur; effectus autem proprius Euchariſtiæ, eſt refectio ſpiritualis. Verum indirecte & ex opere operantis remitti, quatenus auget fervorem charitatis quæ pœnam ex reatu culpæ ſuperſtitem remittit. Ita S. Thomas, qui 3. p. quæſt. 79. art. 7. eodem modo ſolvit quæſtionem proponi ſolitam, utrum Euchariſtia quatenus Sacramentum, aliis quam communicantibus prodeſſe poſſit? Quod quidem intelligitur de Euchariſtia quatenus Sacramentum eſt, non quatenus Sacrificium; nam de Euchariſtia prout Sacrificium eſt, an aliis proſit quam ſumentibus, dicemus infra.

Quæres quinto; num & Euchariſtia aliquos producat effectus circa corpus digne communicantium?

Reſpondeo affirmative, 1. quia cum illud Sacramentum communicet gratiam ſanctificantem, augendo fervorem & charitatem, inde ſequitur, per *Illud* conſequenter imminui concupiſcentiæ motus, quod quidem & ipſi corpori majorem parat tranquillitatem, quo ſenſu S. Thomas 3. p. qu. 79. art. 1. ad 3. ſcribit, *Licet corpus non ſit immediatum ſubjectum gratiæ, ex anima tamen redundat effectus gratiæ ad corpus*. 2. Dicitur etiam hoc Sacramentum cauſa incorruptibilitatis & gloriæ corporum. S. Irenæus lib. 4. cap. 34. *Sic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia*. S. Auguſtinus tract. 26. in Joan. in hæc verba: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*, hæc ſcribit, *ut habeat interim ſecundum ſpiritum vitam æternam in requie quæ Sanctorum ſpiritus ſuſcipit: quod autem ad corpus attinet, nec ejus vita æterna fraudetur, ſed in reſurrectione mortuorum noviſſimo die*; & S. Thomas loco mox citato, *In futuro corpus noſtrum ſortietur incorruptionem & gloriam animæ ſcilicet beneficio hujus Sacramenti*.

Quæres ultimo, quo præciſe tempore Euchariſtia ſuum habeat effectum, an ſtatim atque Hoſtia ore ſumentis excipitur, an ſolum & ſtatim atque in ſtomachum trajicitur; an denique ſolummodo cum ſpecies Euchariſticæ corrumpuntur, & corpus incipit ex pane nutriri?

Reſpondeo, Euchariſtiam hoc ipſo inſtanti ſuum operari effectum, ſeu gratiam

Digitized by Google

tiam producere, quo vere ex ore ſumentis in ſtomachum trajecta eſt Hoſtia, idemque eſt judicium de Calice ſacro; & ratio eſt quia tunc impletum eſt quod Chriſtus præcepit circa Euchariſtiam his verbis, *Accipite & comedite*, comeſtio enim facta eſt non præcise quia fuit in ore ſumentis, poſſet enim illam expuere & tunc impletum non fuiſſet Chriſti præceptum, ſed quando cibus tranſiit in ſtomachum. Ratio eſt inſuper, quia Sacramenta ſuum operantur effectum per uſum & applicationem, ſed uſus & applicatio cibi & potus in eo conſiſtit quod tranſeant in os & poſtea in ſtomachum: igitur.

CAPUT XXIII.

De frequenti Communione.

QUæritur utrum frequenter aut raro ad ſacram Communionem accedere debeant Fideles?

Reſp. 1. dici poſſe frequentem Communionem de ſe maxime utilem eſſe & bonam; ita ut etiam frequentior ſit rariori præferenda, ut recte colligitur ex antiquis Patribus, & recentioribus melioris notæ Directoribus animarum, qui frequentis Communionis uſum valde commendant: ita, v. g. S. Baſilius Epiſt. 289. *Singulis diebus*, inquit, *communicare & participem eſſe ſancti Corporis & Sanguinis Chriſti bonum & fructuoſum eſt, cum dixerit ipſe, Qui comederit Carnem meam & biberit Sanguinem meum, vitam habet æternam. Jam vero quis dubitat, quin frequentius participare, non ſit aliud omnino quam frequenter vivere? Quater igitur nos ſingulis ſeptimanis communicamus, Dominico die, feria quarta, in paraſceve, & in Sabbato, ſed & per dies etiam alios, ſi Martyris alicujus memoria celebretur.*

S. Hieronymus epiſt. 28. ad Lucinium, *Utinam*, inquit, *omni tempore jejunare poſſimus, Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri pungente conſcientia ſemper accipere, & Pſalmiſtam audire dicentem, Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.*

S. Chryſoſtomus Homil. 17. in epiſt. ad Hebræos totus eſt ut eorum increpet negligentiam, qui raro Communionem ſumebant. *Quid vero*, inquit, *quinam erant nobis magis accepti, an qui ſemel, an qui ſæpe, an qui raro? nec hi nec illi, ſed ii qui cum munda conſcientia, qui cum mundo corde, qui cum vita irreprehenſibili: qui ſunt hujuſmodi, ſemper accedant.*

S. Iſidorus lib. de Eccleſiaſticis officiis cap. 18. *Dicunt aliqui niſi aliquo interveniente peccato Euchariſtiam quotidie accipiendam; hunc enim panem dari jubente Domino quotide nobis poſtulamus dicentes, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; quod quidem bene dicunt, ſi hoc cum religione & devotione & humilitate ſuſcipiunt.*

Inſigne vero eſt quod inter recentiores ſcribit S. Carolus in Inſtructionibus de Sacramento Euchariſtiæ: *Ad ſaluberrimum*, inquit, *hujus Sacramenti frequenter ſumendi uſum Parochus Fideles cohortabitur, atqui excitabit Eccleſiæ inſtitutis ac exemplis & Sanctorum omnium conſentiente doctrina.*

Sic vero paulo ante mentem ſuam de frequenti Communione declaraverant Patres Tridentini ſeſſ. 22. cap. 6. *Optaret quidem ſacro-ſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles aſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent.*

Ex quibus facile intelligitur ſaluberrimum ſemper habitum fuiſſe frequentis Communionis uſum, ad quem proinde a Confeſſariis & Directoribus excitari debent Fideles.

Si vero quæratur in quo poſita ſit in praxi frequens illa Communio, an expediat communicare qualibet ſeptimana, an ter in ſeptimana, an ſingulis diebus?

Reſp. hanc quæſtionem dirimere noluiſſe S. Auguſtinum qui epiſt. 54. novæ edi-

editionis illam fuſe agitat in utramque partem; cum enim dixiſſet alios ſtare pro quotidiana Communione, alios vero huic repugnare, neutram ſententiam condemnat. *Nam & ille*, inquit, *honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus iſte, ſicut nec manna faſtidium*. Eam vero ſic dirimit S. Thomas 3. p. q. 80. art. 10. *Circa uſum hujus Sacramenti*, inquit, *duo poſſunt conſiderari, unum quidem ex parte ipſius Sacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris, & ideo utile eſt quotidie ipſum ſumere.... alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat, & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt quod quotidie ſumat .... ſed quia in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indiſpoſitionem vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere*.

Quibus conſentaneum eſt quod ſcribit Catechiſmus Concilii, his verbis, num. 57. *Neque Fideles ſatis habeant ſemel tantummodo Corpus Domini quotannis accipere, verum ſæpius iterandam Euchariſtiæ Communionem exiſtiment. Utrum autem ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præſcribi non poteſt, verumtamen illa eſt S. Auguſtini norma certiſſima* (*Sic vive ut quotidie poſſis ſumere*.) Unde ſequitur hoc in dubio quod proponitur, rationem habendam eſſe circumſtantiarum quæ ſe tenent ex parte ſubjecti ſeu Chriſtiani, de quo quæritur an ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel etiam diebus accedere debeat ad Communionem. Circumſtantiarum, inquam, quæ petuntur, ex ejus diſpoſitionibus tum animæ, tum corporis, ex ejus ſtatu & conditione, ac denique ex fructibus, quos docente propria experientia novit ſe ex frequenti Communione antea percepiſſe, quod ut clarius intelligatur, nonnullas regulas ex præfatis autoribus excerptas ſpeciatim deducemus.

Ac 1. frequens Communio permittenda non eſt iis qui ſæculariter vivunt, & mundi gaudia & voluptates ſectantur, quia ejuſmodi homines facile non poſſunt exequi quod præcipit Apoſtolus primæ Cor. 11. cum ait, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat*, & in manifeſtum veniunt periculum, ne Corpus Chriſti indigne manducent, ac proinde judicium ſuum manducent. Quaproter hanc propoſitionem, *Frequens Confeſſio & Communio etiam in his qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis*, damnavit Innocentius XI. an. 1679. eamdemque proſcripſit Clerus Gallicanus anno 1700. tanquam *Temerariam, ſcandaloſam, erroneam, impiam, & ſacris Litteris contrariam*.

2. Frequens Communio non eſt conſulenda iis, qui peccata mortalia perſæpe committunt, nam ex SS. Patribus ſanctus ille cibus nonniſi Sanctorum eſt. *Si quis non eſt ſanctus*, inquit S. Chryſoſtomus, Homil. 17. in epiſt. ad Hebræos, *Non accedat, non ſolum a peccatis purus, ſed etiam ſanctus, ſanctum enim non facit ſolum liberatio a peccatis, ſed etiam præſentia Spiritus, & bonorum operum copia*. Quis vero dixerit eum ſanctum eſſe, qui in peccata mortalia ſæpe labitur?

3. Qui in aliquod peccatum mortale lapſi ſunt, per aliquod tempus agere pœnitentiam debent, antequam ad ſacram Communionem accedant, licet peccata in Confeſſione depoſuerint. Id colligitur ex epiſt. 54. S. Auguſt. *Hoc eſt*, inquit, *indigne accipere, ſi eo tempore quis accipiat quo debet agere pœnitentiam*. Quo teſtimonio ad idem probandum utitur Iſidorus lib. 1. de Officiis c. 18. idque juxta conſilium peritiſſimorum Directorum locum maxime habet pro iis, qui in peccata carnis prolapſi ſunt.

4. Pro iis etiam qui vitam ducunt abſque peccatis mortalibus, & virtuti, pie-

Digitized by Google

pietati ac bonis operibus ſingularem dant operam, hæc tenenda eſt regula, ut quotidie non communicent, niſi eorum inde fervor augeſcat, ut expreſſe docet S. Thomas in 4. ſent. diſt. 12. q. 2. art. 1. *Unde*, inquit, *ſi aliquis experimentaliter cognoſceret ex quotidiana ſumptione fervorem amoris augeri & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. Si autem ſentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, ut cum majori reverentia & devotione poſtmodum accederet*. Conſuli poteſt inſuper quod ſcribit S. Carolus in citatis Inſtructionibus de Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT XXIV.

De Honoribus Eucariſtiæ impenſis.

HOnores qui Euchariſtiæ impendi ſolent a Catholicis ad hæc revocantur capita. 1. Vero latriæ cultu adoratur. 2. Ad Fidelium Communionem in ſacra pixide aſſervatur. 3. In publicis Solemnitatibus honorifice circumgeſtatur. 4. In ejus honorem inſtituta fuit feſtivitas. 5. Demum & in certis temporibus publice exponitur; quæ quidem ſigillatim & paucis pro ratione inſtituti exponemus.

CAPUT XXV.

De adoratione Euchariſtiæ.

CAlvinus, Zuinglius & alii Sacramentarii negant adorationem proprie dictam Euchariſtiæ exhibendam, quod nimirum putant Chriſtum in hoc Sacramento realiter & ſubſtantialiter non contineri; ſed merum eſſe panem & merum vinum, quibus non alius debetur cultus, quam aquæ in Baptiſmo Fidelium adhibitæ. Unde impietatis & idololatriæ inſimulant Catholicos, qui docent ſacro Sanctum hoc Sacramentum, eſſe vero latriæ cultu adorandum.

Lutherus & Lutherani ſibi hoc in capite non conſtant, ſuo de more verſipelles, quandoque enim faſſi ſunt non poſſe quin adoretur Euchariſtia, utpote quæ ipſum Chriſti, qui verus eſt Deus, Corpus realiter & ſubſtantialiter contineat. Deinde contenderunt Euchariſtiam nonniſi in uſu & a tempore conſecrationis uſque ad Fidelium Communionem adorandam, & ita crimini verterunt Catholicis velut Idololatris, quod extra illud tempus eandem adorarent. Alii demum ex illa ſecta Hæretici negarunt Euchariſtiam ſimpliciter loquendo eſſe adorandam, tum quia Chriſtus nullo in loco legitur id præcepiſſe, tum quia, cum realiter ſubſtantiam Panis contineat, totum hoc Sacramentum cultu latriæ adorari non poteſt ſine manifeſta idololatria, quatenus adoraretur Panis in illorum ſententia, & ſpecies ſaltem Panis in doctrina Romanæ Eccleſiæ, in illos autem omnes ſit

CONCLUSIO.

Adoranda eſt & merito adoratur Euchariſtia, idque conſtat,

1. Ex illis momentis quæ adduximus ad probandam Corporis & Sanguinis Chriſti realem & ſubſtantialem præſentiam in hoc Sacramento: inde enim manifeſte ſequitur ex neceſſaria conſequentia Euchariſtiam eſſe adorandam, adeoque ſine magna abſurditate culpari non poſſe Catholicos, quod illam adorent. Scilicet verus Deus adorari debet cultu latriæ, Matthæi 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: ſed Chriſtus eſt verus Deus, fatentibus præfatis Hæreticis quos hic impugnamus: igitur nec audiendi ſunt dicentes in hoc Sacramento eſſe Corpus Chriſti, non Chriſtum. Siquidem falſum eſt, ut oſtendimus, totum Chriſtum non eſſe in Euchariſtia.

2. Ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ

 non

non modo colligitur ex eo quod SS. Patres agnoverunt Chriſtum eſſe vere non figurate præſentem, adeoque adorandum, ſed ex eo quod voce adorationis expreſſe utuntur. Ex multis, unum aut alterum proferam, S. Cyrillus Jeroſolymitanus Cathec. 5. Myſtagogica jubet, ut Fidelis, ad Euchariſtiam, *Pronus & adorationis in modum*, *accedat*.

S. Ambroſius lib. 3. de Spir. Sancto cap. 12. in hæc Pſalmiſtæ verba, *Adorate ſcabellum pedum ejus*, ſic loquitur: *Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem Caro Chriſti, quam hodie quoque in Myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt*. S. Auguſtinus in eumdem Pſal. 98. *Nemo illam Carnem manducat niſi prius adoraverit*. Theodoretus Dialogo 2. qui dicitur, *Inconfuſus*, eadem adorationis voce utitur de Symbolis myſticis loquens, *Intelliguntur*, inquit, *ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur*. Quibus adde certo conſtare ex antiquis Liturgiis SS. Chryſoſtomi, Baſilii & aliorum id moris fuiſſe in Eccleſia, ut tempore Sacrificii Hoſtia conſecrata Fidelibus proponeretur adoranda & adoraretur.

Quapropter hæc merito adverſus Novatores ſtatuit Concilium Trident. ſeſſ. 13. Can. 6. *Si quis dixerit in ſacro-Sancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum Dei Filium, non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum .... anathema ſit*. Nec ullam difficultatem movere debent hæc alia Concilii verba e cap. 5. ejuſdem ſeſſionis deprompta, *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti Fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant*, quaſi ex illo termino, *Sacramento*, inferri poſſit Synodum imperare adorationem Creaturæ, eo quod ſpecies Panis & Vini meræ ſunt Creaturæ, mera Panis & Vini accidentia: ſiquidem, *Sacramentum*, ſumit pro Chriſto ipſo ſub ſpeciebus Panis & Vini contento, non autem pro ipſis ſpeciebus, ſoli enim Deo, ut agnoſcunt omnes Catholici, exhibetur vera & proprie dicta adoratio pro cultu latriæ ſumpta.

Nec contrarium docuit Bellarminus cum ait, *Cultu autem latriæ dicimus per ſe & proprie Chriſtum eſſe adorandum, & eam adorationem ad Symbola panis, & vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum Chriſto ipſo quem continent*. Ibi enim loquitur Bellarminus de adoratione improprie dicta, quatenus ſpectat ſpecies Euchariſticas, ut apertum eſt ex his ejuſdem verbis lib. 4. cap. 29. *Si per ſe ſpectentur, proprie eſſe adorandas cultu latriæ, nullus Catholicus aſſerit, ſed ſolum cultu quodam minore qui omnibus convenit Sacramentis venerandas*. Scilicet non aliter in hoc Sacramento adorantur ſpecies Euchariſticæ, quam adorabantur veſtes & indumenta Chriſti ab iis, qui Chriſtum degentem in terris adorabant.

At, inquies, ejuſmodi adorationem Chriſti in Euchariſtia nullibi legimus præceptam; nam Chriſtus inſtituendo hoc Sacramentum præcipit quidem Apoſtolis, ut hoc ſuum Corpus accipiant, & manducent, *Accipite & comedite:* ſed de adoratione nullum verbum: igitur.

Reſp. ſatis ſuperque intelligi adorandam eſſe Euchariſtiam, vel ex ipſius Chriſti præcepto, ex eo nimirum quod teſtatur Chriſtus hoc eſſe ſuum Corpus, *Hoc eſt Corpus meum*. Chriſto enim qui verus eſt Deus, hoc nomine debetur ſupremus honor & adoratio proprie dicta. Scilicet adorari poteſt & debet ubicunque eſt citra ullum præceptum verbis expreſſis datum; nam, v. g. Chriſtus non juſſerat ſe adorari in præſepio, neque ibi erat ut adoraretur, & cum tamen hoc in loco adorarunt Magi Matthæi 2. unde quamvis prima ratio inſtituendæ Euchariſtiæ non eo tendat, ut ibi Chriſtus adoretur, ſed ut manducetur & gratiam ſanctificantem per modum refectionis ſpiritalis augeat in homini-

Digitized by Google

minibus, tamen ibi & poteſt & debet adorari.

Dices hanc adorationem exhibendo veniunt homines in periculum idololatriæ, fieri enim poteſt, vel ut impius Sacerdos fingat ſe conſecrare & non conſecret, quo in caſu Fideles adorarent Panem; vel ut ſuppoſita Hoſtiæ conſecratione Fideles rudes & imperiti non modo Chriſtum, ſed & ſpecies panis & vini adorent: igitur.

Reſp. pro Fidelibus neutram idololatriam eſſe timendam.

Non priorem, quia tametſi ſupponeretur ex malitia Sacerdotis factam non fuiſſe conſecrationem, Fideles tamen non inciderent in idololatriam, ſiquidem eorum cultus & adoratio ſoli Chriſto, quem putarent realiter hoc in Sacramento contentum, non pani dirigeretur. Deinde, ut recte obſervat Bellarminus, ſi hoc argumentum valeret, omittenda eſſet non ſolum adoratio, ſed etiam Communio, ne Fideles exponerentur periculo merum panem accipiendi pro Corpore Chriſti.

Non poſteriorem, quia edocti ſunt abunde Fideles, hunc latriæ cultum quem exhibent Euchariſtiæ, non ad ſpecies panis & vini, ſed ad Chriſtum ipſum terminari.

CAPUT XXVI.

De conſuetudine aſſervandi Euchariſtiam.

ANtiquam licet, atque ab omni ævo uſurpatam, praxim aſſervandi Euchariſtiam, peracta jam conſecratione, condemnant Novatores; quod nimirum putent hoc Sacramentum non eſſe rem permanentem, ſed in uſu poſitum; quemadmodum Baptiſmus in ablutione, quæ eſt actio mere tranſiens, conſiſtit, quod utique jam impugnavimus initio hujuſce tractatus, quocirca ſit

CONCLUSIO.

Pia eſt, & laudabilis conſuetudo, qua reſervari ſolet Hoſtia conſecrata, peracto Sacrificio.

Probatur ex eo quod hæc fuit perpetua & conſtans Eccleſiæ praxis, ut poſt uſum & Communionem Fidelium aſtantium conſummato Sacrificio reſervarentur Hoſtiæ conſecratæ ob varios nempe fines.

1. Reſervabatur præcise, ut ad abſentes, qui vel proter perſecutionem vel alia ex cauſa intereſſe non potuerant Sacrificio, deferretur: id colligitur ex S. Juſtino qui Apolog. 2. ſic loquitur. *Præſidens poſtquam gratiarum actionem perfecit, & Populus univerſus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Miniſtri diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum in quo gratiæ actæ ſunt, Panem, Vinum, & Aquam, & ad abſentes perferunt.* id confirmat Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. *Non ſciet maritus,* inquit, *quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit panem, non illum credi eſſe qui dicitur?* & lib. de Orat. cap. 14. *Accepto Corpore Domini & reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio Sacrificii & executio Officii.* Sunt & alia multa ejusmodi teſtimonia quæ probant id moris fuiſſe in Eccleſia, ut Fideles in domum ſuam deferrent Euchariſtam eo fine ut in tempore opportuno pie ac devote communicarent, legi poſſunt S. Cyprianus lib. de lapſis c. 3. S. Baſilius epiſt. 289. & alii paſſim.

2. Reſervabatur Euchariſtia, ut ad ægrotos perferretur, ut colligitur ex hiſtoria Serapionis cujuſdam ſenis, cui infirmanti delata fuit Hoſtia conſecrata, & quam in aqua intinctam ſenex manducavit, ut ſcribit Dionyſius Alexandrinus in epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 44. atque in hunc præſertim finem, videlicet, ut Corpus Chriſti in Viaticum reci-

reciperent ægrotantes, in Sacrario, & ut nunc loquimur, in Tabernaculo ſervari ſolitas fuiſſe Hoſtias, quam multa invicte probant Veterum teſtimonia. Quibus accedunt & antiqui Canones, quibus ſtatuitur, Viaticum eſſe infirmis deſerendum, unde manifeſte ſequitur reſervatum fuiſſe in altari.

3. Reſervatam fuiſſe Euchariſtiam, ut Sacramentum permanens, quod non conſiſtebat in ſolo uſu, abunde colligitur ex Miſſa Præſanctificatorum: ſcilicet Græci qui Hoſtias non conſecrabant diebus Jejunii in quadrageſima, Miſſam celebrabant cum Hoſtia reſervata; & quam præcedenti die Dominica conſecraverant, uti habetur Concilii Laodiceni Can. 49. & Trullani Can. 52. quod & obſervant Latini feria ſexta in paraſceve.

4. Reſervabatur etiam a Fidelibus Euchariſtia, ut in itinere ſibi firmum hoc ſemper adeſſet auxilium, ut colligitur ex S. Ambroſio qui in oratione funebri pro fratre Satyro ſic loquitur, *Quid ejus obſervantiam erga Dei cultum prædicem?..... Etenim ligari fecit in orario & orarium involvit in collo, atque ita ſede jecit in mare, non requirens de navis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans tueretur, quia fidei ſolius arma quæſierat*, &c.

5. Demum reſervabatur olim Euchariſtia quatenus mos erat, ut Romani Pontifices eam in ſignum Communionis Eccleſiaſticæ ad alios pleroſque Epiſcopos mitterent, ut colligitur ex epiſtola S. Irenæi ad Victorem Papam apud Euſebium lib. 5. hiſt. cap. 24. ubi ait alios Romæ Epiſcopos, qui ante Victorem regnaverant cum Aſiaticis, licet in obſervatione Paſchatis diſſidentibus, pacem ſemper coluiſſe, & propterea ad illos Euchariſtiam tranſmiſiſſe: *Ipſi tamen cum hoc minime obſervarent, pacem nihilominus colebant cum iis qui ad ſe veniſſent ex Eccleſiis in quibus id obſervabatur.... Verum illi ipſi qui te præceſſerunt Presbyteri, quamvis id minime obſervarent, Eccleſiarum Presbyteris qui id obſervabant, Euchariſtiam tranſmiſerunt.*

Et ratio manifeſta petitur ex eo quod, quando Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, hoc Sacramentum permanenter extitit per aliquod temporis ſpatium & independenter ab ejus uſu & ſumptione, eo quippe inſtanti Sacramentum illud extitit quo hæc verba protulit Chriſtus, *Hoc eſt Corpus meum*, antequam ab Apoſtolis ſumeretur; alioquin Chriſtus vere non affirmaſſet, hoc eſſe ſuum Corpus quod præbebat; quod utique locum maxime habet erga Sanguinem Chriſti de quo dixerat Chriſtus, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, quem ex eodem Calice conſecrato nonniſi ſucceſſive ſumpſerunt Apoſtoli.

Quocirca rem merito definivit Concilium Trident. ſeſſ. 13. cap. 6. his verbis. *Conſuetudo aſſervandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam adeo antiqua eſt, ut eam ſæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipſam Euchariſtiam ad infirmos, hunc uſum diligenter in Eccleſia conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Eccleſiæ Catholicæ more eſt obſervatum*, & Can. 7. *Si quis dixerit non licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſervari, ſed ſtatim poſt conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema ſit*. Certe ſibi non conſtant & Calviniani & Lutherani culpando hanc Eccleſiæ praxim, primis Chriſtianiſmi ſæculis dubio procul uſitatam ubique & præceptam; cum aliunde profiteantur integram tunc fuiſſe & incorruptam fidem in his, ut ajunt, fauſtis Eccleſiæ temporibus.

Objicies: Cum Chriſtus inſtituerit Euchariſtiam ut a Fidelibus ſumeretur, par fuit ut non fieret proprie loquendo hoc Sacramentum, niſi, cum actu ſumitur in Communione; quemadmodum Baptiſmus non exiſtit, niſi quando quis actu baptiſatur: igitur.

Reſp. negando antecedens, quis enim dixe-

dixerit aquam in nuptiis Cana non fuiſſe a Chriſto mutatam in vinum, antequam ſumeretur a convivis, quia nonniſi propter eorum uſum Chriſtus hoc patravit miraculum? Abſurda profecto eſt illa conſequentia. Neque valet paritas quæ petitur ex Baptiſmo & aliis Sacramentis quæ tota poſita ſunt in uſu, quod enim inter Sacramenta quæ Chriſtus inſtituit, unum ſit aliquid permanens, alia conſiſtant ſolum in uſu, ratio facti alia quæri non debet quam voluntas facientis.

Obj. Mos obtinebat in Eccleſia, ut peracta Fidelium Communione in Miſſæ Sacrificio ſuperſtites Hoſtiæ parvulis edendæ traderentur, ut conſtat ex Concilio Matiſconenſi ann. 588. Can. 6. *Quæcumque Sacrificiorum reliquiæ*, inquit, *poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperfuerint, quarta vel ſexta feria innocentes pueri ab illo cujus intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis jejunio eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant*. Item & alia nonnumquam viguit conſuetudo, ut peracto Sacrificio ſuperſtites Hoſtiæ conſecratæ comburerentur, ut teſtatur Heſychius Presbyter Jeroſolymitanus lib. 2. cap. 8. in Leviticum; unde ſequitur conſtantem Eccleſiæ uſum non fuiſſe, Euchariſtiam reſervare.

Reſp. nullius momenti eſſe quod objicitur adverſus perpetuam & continuatam, ut oſtendimus, Eccleſiæ praxim; fieri enim potuit, ut aliquando ex certis cauſis non aſſervarentur ſingulæ Hoſtiæ conſecratæ, licet in Eccleſiis ordinaria vigeret conſuetudo illas reſervandi. Quapropter dici poteſt Concilium Matiſconenſe præcepiſſe, ut infantibus traderentur reſiduæ Hoſtiæ poſt peractum Sacrificium, vel quia periculum erat ne corrumperentur diutius aſſervatæ; ut colligitur ex quodam Concilio Aurelianenſi apud Ivonem, decreti pag. 2. cap. 59. his verbis. *Omne Sacrificium ſordida vetuſtate perditum, igne comburendum eſt, & cinis juxta altare ſepeliendus*, vel quia ob Fidelium paucitatem numero ſuperabundabant, uti exponunt nonnulli. Verum & ex illis ipſis locis probatur reſervatam fuiſſe Euchariſtiam, ita ut non crederetur poſita in uſu & ſumptione, nam ex laudato Concilio Matiſconenſi Hoſtiæ conſecratæ nonniſi in feria quarta & ſexta tradebantur infantibus.

CAPUT XXVII.

De aliis honoribus Euchariſtiæ delatis.

Observavimus primo id moris pridem uſitatum in Eccleſia, ut Corpus Chriſti publice circumferatur cum honore & pompa in Proceſſionibus, plebique ſpectandum & adorandum exhibeatur. Piam maxime & religioſam adeoque retinendam eſſe hanc conſuetudinem colligitur ex dictis; ſi enim Corpus Chriſti eſt vere & ſubſtantialiter cum ipſa divinitate contentum ſub illis panis & vini ſpeciebus, cur non adorabitur? Quid mali eſt quod ſolemniter colendum proponatur Fidelibus, uti fit in illa circumgeſtatione? unde Concilium Trid. ſeſſ. 13. Can. 6. *Si quis dixerit in ſancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in Proceſſionibus ſecundum laudabilem & univerſalem Eccleſiæ Sanctæ ritum & conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe idololatras, anathema ſit.*

Cum igitur quærit Calvinus lib. 4. Inſt. cap 17. *Quo prætextu conſecrant Hoſtiam* (Catholici) *quam circumferant in pompa?* Reſpondetur cum Patribus Tridentinis circumferri, ut adoretur; cum aliunde in hac ſolemnitate nihil ſit quod rationi & fidei non congruat, vel etiam licet Euchariſtia eſſe merum Corporis Chriſti Sacramentum, & realiter ac ſubſtantialiter illud non contineret, ſciunt

ſciunt enim omnes Arcam Domini olim ab Iſraelitis fuiſſe per varia loca ſolemniter circumgeſtatam, Deo jubente aut probante.

Quo vero præcise tempore ſolemnis ille ritus Euchariſtiam circumferendi inceperit, jam curioſius indagare noſtri non eſt inſtituti. Conjiciunt vulgo praxim illam cœpiſſe decimo-quarto ſæculo, quod utique colligitur ex eo quod Urbanus IV. qui vivebat ſæculo XIII. cum feſtivitatem Corporis Chriſti inſtituit, de publica Proceſſione in qua Chriſti Corpus circumgeſtatur non meminit. Aliunde vero Martinus V. qui degebat ſæculo XV. de in Proceſſione loquitur in Bulla, *Ineffabile Sacramentum*, ſupponens illam prius inſtitutam.

Quod feſtivitatem igitur Corporis Chriſti ſpectat, fatentur omnes illam fuiſſe inſtitutam ab Urbano IV. ſummo Pontifice an. 1264. in Bulla quæ legitur lib. 3. Clem. tit. cap. unico, *De Reliquiis & veneratione Sanctorum*, ita tamen ut non obtinuerit in tota Eccleſia niſi poſt Concilium generale Vienneníe, quod Urbani IV. latam ea de re conſtitutionem confirmavit & per totum orbem promulgavit. Quibus momentis adductus fuerit Urbanus ad inſtituendam hanc feſtivitatem quotannis celebrandam, declarat in eadem Bulla, 1. videlicet ad continuandam tanti divini beneficii memoriam. 2. Ad confundendam Hæreticorum perfidiam & inſaniam. 3. Ut quod in aliis Miſſarum ſolemnitatibus fuit prætermiſſum, hac die devote ſuppleretur.

Denique ſupereſt, ut dicatur de publica Corporis Chriſti expoſitione quæ fit certis diebus ac præſertim in feſto Corporis Chriſti & per octavam in multis Eccleſiis. Palam autem ut exponatur Chriſti Corpus in altari duo potiſſimum requiruntur. 1. Ut id non fiat ſine expreſſa Epiſcopi venia, ut variis in Conciliis definitum eſt, ut & ſanxerunt comitia generalia Cleri Gallicani, quibus acceſſit ſanctioris Concilii Decretum an. 1665. expreſſe vetans, ne auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum exponatur & in Proceſſionibus circumferatur præterquam eo tempore quo Eccleſia Officium Corporis Chriſti celebrat, vel cum urgebit cauſa publica, idque de licentia Epiſcopi. 2. Requiritur cauſa gravis & bonum publicum ſpectans, ut in iiſdem locis præſcribitur, *Ne quavis cauſa*, inquit S. Carolus in Inſtructionibus, *Euchariſtia palam & aperte exponatur*, *ſed publica tantum*, unde & anno 1665. latum fuit a ſanctiori Regis conſilio Decretum, quo prohibetur ne Sacerdotes ineant contractus & fundationes accipiant, quibus auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuis in Eccleſiis publice exponere teneantur. *Non licebit deinceps Sacerdotibus tum ſæcularibus tum regularibus qualecumque habentibus privilegium contractus inire, quibus ſanctiſſimum hoc Sacramentum palam exponere teneantur, neque fundationes in hunc finem admittere, niſi eaſdem approbaverit Epiſcopus diœceſanus.*

Quæres utrum ad extinguendum aliquod incendium liceat deportare Euchariſtiam?

Reſpondeo ejuſmodi deportationem neutiquam expedire, nec ſine manifeſto abuſu fieri poſſe; maxime ſi qui Presbyteri eam tentare audeant privata autoritate & ſine Epiſcopi conſenſu. 1. Quia hujus deportationis nullum proferri poteſt exemplum ſatis authenticum, ut fidem faciat id poſſe trahi in regulam quam privati Presbyteri ſequantur, etſi enim verum eſſe conſtaret quod legitur in chronico Abbatum Caſtrenſium tempore Geraldi Abbatis ann. 1090. extinctum fuiſſe aliquod incendium illuc deportata Euchariſtia, tamen id non poſſet ſine temeritate trahi in exemplum. Certe, ſi hucuſque creditum fuiſſet in Eccleſia, talem uſum ſanctæ Euchariſtiæ pium eſſe, utilem & licitum, id præſcribere non omiſiſſent veteres & moderni libri rituales, in quibus legitur praxis Eccleſiæ circa diſpenſationem Sacramento-

torum, & ſpecialiter Euchariſtiæ; ſed hujus deportationis nullum extat verbum neque in Canonibus, neque apud SS. Patres, neque in Ritualibus: igitur.

2. Talem deportationem menti Eccleſiæ non fuiſſe conſentaneam merito colligitur ex Concilio Salegunſtadienſi quod in Germania celebratum eſt an. 1023. & in quoſdam inſurgit Presbyteros qui ſacrum Corporale in flammas conjecerant ad reſtinguendum incendium, ſic habet Can. 6. *Conqueſtum eſt etiam in ſancto Concilio de quibuſdam ſtultiſſimis Presbyteris, ut quando incendium videant, Corporale Dominico Corpore conſecratum ad extinguendum incendium temeraria præſumptione in ignem projiciant; ideoque Decretum eſt ſub anathematis interminatione ne ulterius fiat*, a fortiori Patres illi ſtultitiæ & temeritatis accuſaſſent Presbyteros, qui ſanctiſſimam ipſam Euchariſtiam in eundem finem auſi fuiſſent adhibere.

3. Quia non licet nec expedit divina uti Euchariſtia ad quemlibet promiſcue uſum, niſi hoc ſit fundatum in praxi Eccleſiæ approbata, nunc etenim non liceret Communionem præbere infantibus, non liceret Laicos communicare ſub utraque ſpecie, non liceret Fidelibus in domos ſuas deferre Euchariſtiam & licet iſta fuerint quondam in uſu, quia videlicet iſtorum praxis eſt abrogata.

4. Quia ejuſmodi deportatio Euchariſtiæ ad reſtinguendum aliquod incendium manifeſte exponit auguſtiſſimum hoc Sacramentum Impiorum & Hæreticorum irriſioni, quod quidem contingeret, ſi tunc temporis non extinguerentur flammæ: quis autem id certo futurum affirmare poſſet?

5. Quia non licet Deum tentare; Chriſtus enim hoc crimini vertit Judæis, quod ab ipſo ſæpe ſæpius peterent miracula & prodigia, Matth. 12. *Volumus a te ſignum videre*. ſed qui Euchariſtiam deportant ad extinguendum incendium, volunt aliquod miraculum videre, tali facto Deum tentant, cujus auxilium ſolis precibus interpellare debent.

CAPUT XXVIII.

De Sacrificio Miſſæ.

Incipimus ab etymologia & definitione utriuſque illius nominis, antequam oſtendamus Miſſam, quo modo ſumitur a Catholicis, eſſe verum ac proprie dictum Sacrificium.

Nomen Miſſæ hodie ſignificat ritum illum ſacrum, in quo conjunctim cum multis precibus & cæremoniis conficitur Corpus Chriſti & conſummatur ſub ſpeciebus Panis & Vini, quo finito ritu Sacerdos annuntiat Fidelibus, *Ite Miſſa eſt*, quaſi diceret, Miſſa eſt finita, totus ritus eſt finitus; unde probabiliter ritus ille ſacer dictus eſt *Miſſa*, quia mittuntur, dimittuntur Fideles, quæ vera eſt iſtius vocis etymologia.

Nomen Sacrificii ſumitur late & improprie pro actu interno boni cujuſvis operis vel pro ipſo bono opere, Pſal. 49. *Sacrificium laudis honorificavit me*. Pſal. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, & quo ſenſu legitur apud S. Auguſtinum lib. 10. de Civit. Dei cap. 6. *Verum Sacrificium eſt omne opus quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo;* quo quidem S. Auguſtini teſtimonio abutuntur manifeſte Novatores, ut fuſius probabitur infra, dicentes Euchariſtiæ ſumptionem etiam a Sacerdotibus factam, non alio ſenſu eſſe Sacrificium, quam quia eſt opus bonum ad Dei laudem & honorem factum.

Sacrificium proprie definitur, *Oblatio externa rei cujuſdam ſenſibilis facta ſoli Deo cum ejus deſtructione a legitimo miniſtro ad recognitionem divinæ Majeſtatis*.

1. Dicitur *Oblatio*, quæ quidem vox tenet locum generis; quia licet omne Sacrificium ſit oblatio, omnis tamen oblatio non eſt Sacrificium proprie dictum,

ctum, ſed in latiſſimo ſolum ſenſu, ut obſervatum eſt ſupra. Quanquam apud Eccleſiaſticos Autores pro eodem aliquando accipiantur offerre, & ſacrificare.

2. Dicitur *rei cujusdam ſenſibilis*, quia Sacrificium proprie dictum publica eſt profeſſio, publicus & manifeſtus honor Deo exhibitus a publico Miniſtro, unde nomen Sacrificii proprie dicti non convenit oblationi inviſibili.

3. Dicitur *facta ſoli Deo*. Sacrificium enim proprie pertinet ad cultum latriæ qui ſoli Deo debitus eſt, utpote qui ſolus ſit primum & ſupremum noſtrum bonum, hominis finis ultimus, ut egregie ſcribit S. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum his verbis, *Quamvis in memoriis Martyrum conſtituamus altaria, quis antiſtitum in locis Sanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane, ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit*.

4. Additur *cum ejus deſtructione*, vel, ut ait Bellarminus, cum ejus conſecratione, in quo Sacrificium diſtinguitur a ſimplici oblatione, quæcunque enim offeruntur Deo, non ideo cenſentur ſacrificari; in Sacrificio autem debet eſſe victima quæ deſtruatur, ut nomen ipſum Sacrificii denotat.

5. Dicitur *a legitimo Miniſtro*, neque enim quibuſvis licet offerre Sacrificium, ſed ſolum hominibus publicis ab ipſo Deo ad id vocatis & deſtinatis, juxta illud Hebr. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*.

Denique *ad recognitionem divinæ Majeſtatis*, quia primarius finis Sacrificiorum, eſt profeſſio divinæ Majeſtatis & ejus ſupremi dominii in res omnes, in quo differt Sacrificium a Sacramento quod inſtitutum eſt ex primario ſuo fine ad hominis ſanctificationem.

His ita præſuppoſitis Miſſæ & Sacrificii definitionibus, celebris inſtituitur quæſtio, an Miſſa ſit verum ac proprie dictum Sacrificium.

CAPUT XXIX.

Utrum Miſſa ſit Sacrificium.

Agitur hic adverſus Novatores Calvinum & Lutherum eorumque Sectarios, qui de Miſſa Catholicorum impudenter ſcripſerunt tanquam de abominatione. Lutherus an. 1534. librum edidit de Miſſa privata, in quo non erubuit confiteri ſe a diabolo edoctum, Miſſam eſſe *ſummam abominationem*: ut videre eſt autem in illorum ſcriptis ex hoc potiſſimum læduntur, quod dicant Catholici Romani in Miſſa vere offerri Deo Euchariſtiam, & eatenus Miſſam eſſe verum ac proprie dictum Sacrificium. Contendunt enim illi Hæreſiarchæ unicum Religionis Chriſtianæ Sacrificium olim peractum fuiſſe in Cruce, ita ut Miſſa, in qua Euchariſtia Deo offertur, non ſit niſi commemoratio illius Sacrificii, non verum ac proprie dictum Sacrificium: in quos ſit

CONCLUSIO.

Miſſa eſt verum ac proprie dictum Sacrificium.

Probatur 1. ex Scripturis, ex ipſa ſcilicet Euchariſtiæ inſtitutione, Lucæ 22. *Accepto Pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem poſtquam cœnavit, dicens: Hic eſt Calix Novi Teſtamenti in Sanguine meo qui pro vobis fundetur in remiſſionem peccatorum*. Deinde I. ad Corinthios cap. 11. *Accipite & manducate, Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur;* hæc verba ſunt expreſſiſſima ad probandum, in ultima Cœna Chriſtum pro nobis dediſſe ſuum Corpus, *Quod pro vobis datur*, tum vero & Calicem, *Hic eſt Calix qui pro vobis fundi-*

fundi tur. Ubi etiam præcipit ſuis Apoſtolis, ut idem facerent deinceps, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod aperte ſignificat Chriſtum tunc ſuum Corpus & ſuum Sanguinem Patri ſuo obtuliſſe ſub ſpecie Panis & Vini, quæ quidem oblatio verum eſt Sacrificium.

Neque eſt quod dicant adverſarii, illa verba *traditur*, *frangitur*, *effunditur*, nihil probare, quia referuntur ad Crucem & Paſſionem futuram Chriſti, quaſi dixiſſet Chriſtus, Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur, & hic eſt Sanguis qui mox in Cruce fundetur. Quod quidem probant; 1. quia in Canone Miſſæ legimus *effundetur*: 2. quia in Scriptura ſæpiſſime præſens ſumitur pro futuro, ut in iſtis verbis, *Ego pono animam meam*, unde ſequitur Chriſtum in ultima Cœna non dediſſe Panem & Vinum niſi prout erant figura Corporis & Sanguinis Chriſti; ibi, inquiunt, nulla erat victima, & nullum proinde Sacrificium, erat ſolummodo figura & ſignum Sacrificii in Cruce peragendi. Hæc, inquam, reſponſio plane nullius eſt roboris, quia non ſolum in Canone Miſſæ, & apud S. Lucam in editione vulgata legitur in futuro, *effundetur*; ſed vere dici poteſt utramque lectionem ſive fiat in præſenti, ſive fiat in futuro, favere noſtro propoſito, quia ex eo quod Dominus dixit in præſenti, *datur*, *effunditur*, id eſt offertur in ſignum & repræſentationem effuſionis futuræ in Cruce: Sequitur futuram tunc fuiſſe effuſionem in Cruce, & ſimul etiam ſequitur Sanguinem Chriſti deinceps fundendum in Sacrificio Miſſæ per Eccleſiam frequentando, etſi aliter & aliter, quatenus effundendus erat Sanguis Chriſti in Cruce modo cruento, in Miſſa autem per Sacrificium incruentum, & ita utraque lectio vera eſt, Sanguis Chriſti fundetur, id eſt in Cruce; funditur, id eſt in Cœna ſub ſpecie Vini.

At, inquies, non effunditur Sanguis Chriſti in ipſa actione Miſſæ, quemadmodum effuſus non fuit in Cœna; alioquin Miſſa non foret incruentum Sacrificium.

Diſt. ant. non effunditur in propria ſpecie, vel non effunditur modo cruento, C. non effunditur in ſpecie Vini & modo incruento, N. diſtinctio hæc non eget longiori explicatione.

Alterum argumentum ex Scripturis petitum ducitur ex Apoſtolo I. ad Corinth. cap. 10. ubi comparat Euchariſtiam ſeu Menſam Domini cum Sacrificiis Gentilium & Judæorum, dicens nos fideles ſumere de Menſa Domini Corpus & Sanguinem Chriſti, ut ſumunt Judæi Hoſtias, & Gentiles idolothyta de ſuis altaribus, *Fugite*, inquit, *ab Idolorum cultura ..... Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini eſt? & panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini eſt?* quibus verbis addi poteſt quod ait idem Apoſtolus Hebr. cap. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſerviunt*. Profecto voces iſtæ Altare, Menſa Domini, &c. abunde annuntiant ſermonem eſſe de aliquo Sacrificio, & conſequenter Euchariſtiam eſſe Sacrificium.

Addunt Theologi fere omnes multis figuris Veteris Teſtamenti præſignatum fuiſſe Miſſæ ſacrificium. Inter quas inſigne & expreſſiſſimum elucet Sacrificium Melchiſedech de quo legitur Geneſeos 14: *Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi;* Sed iſtud Sacrificium erat figura Euchariſtiæ, ideo enim Chriſtus dicitur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech Pſal. 109. & ad Hæbreos cap. 5. & 7. unde hoc Sacrificio figuratam fuiſſe Euchariſtiæ celebrationem, ut novæ Legis Sacrificium teſtantur SS. Patres: S. Cyprianus epiſt. 63. S. Clemens Alex. lib. 4. Stromatum; S. Epiphanius hæreſi 55. S. Hieronymus Comment. in cap. 26. Matthæi; S. Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 22. & lib. 1. contra adverſarium legis cap. 20.

N 2 S. Chry-

Digitized by Google

S. Chryſoſt. Homil. 35. in Geneſim & alii paſſim.

Item eandem doctrinam probant ex eo quod Sacrificium Miſſæ fuit annuntiatum a multis Prophetis, præſertim vero a Malachia qui cap. 1. ſic loquitur, *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus.* ubi Propheta loquitur de Sacrificio Miſſæ, quia non loquitur de aliquo Sacrificio Judaico, dicit enim illud a Gentibus offerendum. Non de Sacrificiis priorum Gentilium, ut Job, erant enim pauciſſimi. Non de Sacrificiis Idololatrarum, horum enim oblatio non eſt munda. Denique non de Sacrificio Crucis, quia ſemel tantum & in uno loco fuit oblatum. Quamobrem vaticinium iſtud de Sacrificio Miſſæ intellexerunt SS. Patres, S. Juſtinus Dialogo cum Tryphone; S. Ienæus lib. 4. cap. 32. S. Cyprianus lib. 1. contra Judæos cap. 16. S. Auguſtinus lib. 1. contra adverſ. Legis cap. 20. & alii bene multi.

Probatur 2. ex SS. Patribus, ſcilicet cum loquuntur de Euchariſtiæ celebratione iis utuntur nominibus quæ maniſeſte denotant illam eſſe verum ac proprie dictum Sacrificium, ſeu quia illam expreſſe appellant Sacrificium, Oblationem, ſeu cum dicunt Chriſtum offerri, immolari, eſſe Hoſtiam, Victimam, Holocauſtum, ſeu cum altaria, Sacerdotes, ſacrificantes, commemorant. Horum quædam tantum proferemus teſtimonia in re ſcilicet omnibus obvia.

S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, *De neceſſariis Gentium quæ in omni loco offeruntur Sacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, jam tum locutus Malachias prædixit.*

Tertullianus lib. de velandis Virginibus, *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre* Sacrificium ſcilicet Miſſæ.

Hippolitus Martyr in Orat. de Anti-Chriſto inducit Chriſtum ſic loquentem: *Venite Pontifices & Sacerdotes qui pretioſum Corpus & Sanguinem meum quotidie immolaſtis.*

S. Cyprianus epiſt. 63. *Nam qui magis Sacerdos Dei ſummi quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet Corpus & Sanguinem.*

S. Ambroſius in Pſal. 38. *Etſi nunc Chriſtus non videatur offerri, ipſe tamen offertur in terris, cum Corpus ejus offertur.* & in cap. 1. Lucæ, *Cum ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur.*

S. Auguſtinus lib. 1. contra adverſarium Legis cap. 2. *Noverunt qui legerunt quod protulerit Melchiſedech. Videlicet nunc tale Sacrificium offerri Deo toto orbe terrarum.* & lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Quid gratius offerri aut ſuſcipi poſſet quam caro Sacrificii noſtri corpus effectum Sacerdotis noſtri.*

S. Chryſoſtomus Homil. 2. in II. ad Timotheum, *Sacra ipſa oblatio ſive illam Petrus, ſive Paulus, ſive alius cujuſvis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt quam dedit Chriſtus in Diſcipulis quamque Sacerdotes modo quoque conficiunt.* ex quibus ſequitur Miſſam ſeu celebrationem Euchariſtiæ, in qua Corpus & Sanguis Chriſti offeruntur a Sacerdotibus, habitam ſemper fuiſſe pro vero Sacrificio novæ Legis.

Probatur 3. ex Conc. Tridentino quod iſtam fidem ac doctrinam in traditione ab Apoſtolis ad nos uſque fundatam egregie ſtabilivit in Canonibus quos emiſit de Sacrificio Miſſæ ſeſſ. 22. & quos lubenter referemus integros, ut quod ſpectat ad Euchariſtiam, prout eſt, Sacrificium omnibus facile pateat.

Canon. 1. *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium,*

ficium , aut quod offerri non ſit aliud quam nobis Chriſtum ad manducandum dari , anathema ſit .

Canon. 2. *Si quis dixerit illis verbis , Hoc facite in meam commemorationem , Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes , aut non ordinaſſe ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem ſuum , anathema ſit .*

Canon. 3. *Si quis dixerit Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis & gratiarum actionis , aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti , non autem propitiatorium , vel ſoli prodeſſe ſumenti , neque pro vivis & defunctis , pro peccatis , pœnis , ſatisfactionibus & aliis neceſſitatibus offerri debere , anathema ſit .*

Canon. 4. *Si quis dixerit blaſphemiam irrogari ſanctiſſimo Chriſti Sacrificio in Cruce peracto per Miſſæ Sacrificium , aut per hoc illi derogari , anathema ſit .*

Canon. 5. *Si quis dixerit impoſturam eſſe Miſſas celebrare in honorem Sanctorum , & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda , ſicut Eccleſia intendit , anathema ſit .*

Canon. 6. *Si quis dixerit Canonem Miſſæ errores continere ideoque abrogandum eſſe , anathema ſit .*

Canon. 7. *Si quis dixerit ceremonias , veſtes , & externa ſigna , quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur , irritabula impietatis eſſe magis quam officia pietatis , anathema ſit .*

Probatur demum ratione , videlicet quia Sacrificio Miſſæ competunt omnes ſupra recenſitæ conditiones ad verum & proprie dictum Sacrificium , eſt enim oblatio rei ſenſibilis, quatenus Sacerdos offert Deo Patri Chriſtum tanquam Hoſtiam & Victimam ſub ſpeciebus ſenſibilibus Panis & Vini , quæ quidem ſpecies dubio procul immutantur , quatenus conſecratæ ſeparantur ſeorſim in ſignum ſeparationis Animæ Chriſti ab ejus Corpore . Hæc oblatio fit ritu aliquo myſtico nimirum cum adjunctis Miſſæ cæremoniis . Et tamen a legitimo Miniſtro videlicet a Sacerdote qui ſolus ſacrificare poteſt , juxta illud Apoſtoli ad Hebr. c. 5. *Omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum , ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis .*

Objicies . S. Paulus epiſt. ad Hebræos cap. 7. 8. 9. & 10. ſic alia rejicit Sacrificia , ut unicum ſupereſſe putet pro Lege nova Crucis Sacrificium , cap. 9. *Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccati per Hoſtiam ſuam apparuit* Chriſtus , *& quemadmodum ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori , ſic & Chriſtus ſemel oblatus ad multorum exhaurienda peccata* , & cap. 10. *Jam non relinquitur pro peccatis Hoſtia* . Teſtantur etiam multi Patres Sacrificium Crucis eſſe unicum pro Chriſtianis Sacrificium , ita S. Auguſtinus lib. 7. de Civit. c. 31. lib. 20. contra Fauſtum cap. 18. S. Chryſoſtomus Homil. 17. in epiſt. ad Hebr. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. igitur Miſſa non eſt Sacrificium .

Reſp. Mentem Apoſtoli eſſe , quod ad abolenda hominum peccata ſufficiat Chriſti Sacrificium in Cruce peractum , nec repeti debeat ſaltem eodem modo , quia Chriſtus jam non moritur , non autem quaſi ejuſdem Sacrificii repræſentatio , quæ tamen repræſentatio verum eſt Sacrificium , exhiberi non debeat . Vult enim S. Paulus eo loci probare Chriſti Sacerdotium eſſe longe præſtantius Sacerdotio Aaron , idque evincit ex eo quod victima , quæ ipſe Chriſtus eſt , longe præſtantior ſit qualibet alia Legis antiquæ , quod ratiocinium neutiquam probat Miſſam non eſſe verum Sacrificium , quinimo in eadem epiſtola c. 6. & 7. docet Apoſtolus ſolum Chriſtum eſſe Sacerdotem in æternum : ſed Chriſtus non poteſt dici Sacerdos in æternum ſublato Euchariſtiæ Sacrificio , Chriſtus enim in propria perſona nunc ſacrificare non poteſt , ſed ſolum in perſona Sacerdotum .

Nec

Digitized by Google

Nec moror quod multi Patres dicant unicum eſſe in nova Lege Crucis Dominicæ Sacrificium; fatemur enim Miſſam non aliud eſſe Sacrificium quam Crucis, cujus eſt continua repræſentatio, ita ut tamen Chriſtum realiter & ſubſtantialiter præſentem exhibeat.

Objicies, Inutile eſt Sacrificium Miſſæ, ſi pro peccatorum noſtrorum remiſſione ſufficiens fuerit Mors & Paſſio Chriſti in Cruce: atqui procul dubio abunde ſufficiens fuit Mors & Paſſio Chriſti in Cruce, quæ nimirum fuit infiniti pretii & valoris: igitur inutile eſt Miſſæ Sacrificium.

Nego ant. quia per hoc noſtrum Miſſæ Sacrificium merita Paſſionis Chriſti nobis applicantur. Certe hoc argumento colligeretur inutiles eſſe preces, inutilia eſſe bona opera, quod utique non contendunt adverſarii, Chriſtus enim ſuis precibus & bonis operibus ſalutem noſtram ſufficienter meruit, erant enim infiniti pretii: amplius dico, ſi propter infinitam Chriſti Paſſionis efficaciam, Miſſæ Sacrificium redditur inutile, ergo non modo inutiles erant preces, inutilia quæcunque bona opera, ſed & ſuperfluum erit Lutheranis & Calviniſtis confugere ad Baptiſmum, ſuam celebrare Cœnam, totum enim perfecit Chriſtus quando per Mortem ſuam infiniti valoris redemptionem generis humani meruit, quod certe non dixerint.

At, inquiet Calvinus, ſufficienter applicantur merita Chriſti per prædicationem verbi & Cœnæ adminiſtrationem: igitur.

Nego ant. 1. Rem ita inſtituit Chriſtus Dominus præcepitque ſuis Apoſtolis, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. 2. Quia juxta hoc ratiocinium ſequeretur inutilem eſſe Baptiſmum, quod quidem Scripturis manifeſte adverſatur. 3. Quia certum eſt nos plenius conſequi fructum ſanctæ Crucis illam repræſentando per Sacrificium Miſſæ, ut docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1.

Nec audiendus eſt idem Calvinus, cum ait injuriam fieri Chriſto, qui unicus eſt Sacerdos, ſi alii conſtituantur Sacerdotes. Siquidem alii Sacerdotes, non tanquam redemptores, ſed tanquam Chriſti Redemptoris Miniſtri offerunt & ſacrificant. Miſſæ Sacrificium non eſt quaſi ſupplementum Chriſti Paſſionis in Cruce adveniens, ſed idem eſt cum ipſo Crucis Sacrificio, cui proinde non derogat, cui nulla fit injuria, ſed medium eſt quo voluit Chriſtus merita ſua hominibus communicare.

Objicies, In omni vero ac proprie dicto Sacrificio debet eſſe victima quæ offeratur & occidatur, nam Hebr. c. 9. *Sine Sanguinis effuſione non fit remiſſio*; ſed in Miſſa nulla occiditur, nulla deſtruitur victima: ergo valde improprie Miſſa dicitur Sacrificium.

Diſt. in omni Sacrificio cruento, C. incruento, N. ita reſpondent multi Theologi, qui putant Sacrificium incruentum eſſe verum ac proprie dictum Sacrificium, eo nimirum quod Sacrificium eſſentialiter ſit ſolummodo oblatio victimæ non mactatio ejuſdem victimæ, quod probant, quia SS. Patres oblationem donant nomine Sacrificii; tum quia Sacrificium Melchiſedech fuit verum Sacrificium & tamen incruentum.

Alii inter Theologos reſpondent Corpus & Sanguinem Chriſti non deſinere quidem realiter, quaſi Chriſtus reipſa moriatur ac deſtruatur, ſed aliquo tamen ſenſu deſinere ſacramentaliter, Chriſtum proinde ſuum amittere ſacramentale.

CAPUT XXX.

In quo præciſe poſita ſit eſſentia Sacrificii in Miſſa.

POſtquam oſtendimus Miſſam eſſe verum ac proprie dictum Sacrificium; cum plurimæ ſint actiones Sacerdotis in celebratione Miſſæ, diſputant inter ſe Theologi, in qua præciſe ex illis actionibus ſeu partibus Miſſæ collocanda ſit ratio formalis ſeu eſſentia Sacrificii. Quinque autem diſtinguuntur actiones Sacerdotis. Prima eſt oblatio panis & vini ante conſecrationem. Secunda eſt ipſa conſecratio ſeu tranſmutatio Panis in Corpus & vini in Sanguinem Chriſti. Tertia, eſt oblatio Corporis & Sanguinis poſt conſecrationem. Quarta fractio & commixtio Sacramenti quæ fit a Sacerdote: quid ſuper ea re ſentiamus paucis aperiendum eſt.

Primo in oblatione panis & vini ante conſecrationem, poſita non eſt eſſentia Sacrificii. In oblatione quidem panis quæ fit his verbis, *Suſcipe ſancte Pater hanc immaculatam Hoſtiam*; vini autem his verbis, *Offerimus tibi, Domine, Calicem, &c.* Quia Sacrificium Miſſæ non conſiſtit in eo quod offeramus Deo Patri purum panem & purum vinum ſimpliciter, ſed in eo quod offeramus Corpus & Sanguinem Chriſti in ſpeciebus Panis & Vini, quod autem inter celebrandam Miſſam Sacerdos dicat ante conſecrationem, *Benedic hoc Sacrificium tuo Sancto nomini præparatum*: id non intelligitur quaſi offeratur panis ut Sacrificium perfectum, ſed ut Sacrificium inchoatum & mox perficiendum. Quod ſi quis objiciat hoc pronomen *hanc* immaculatam Hoſtiam demonſtrare id quod in manibus tenet Sacerdos, quod quidem merus eſt panis minime conſecratus. Reſpondeo id intelligi de Pane mox tranſmutando in Corpus Chriſti, & ex eo ſolum colligi poſſe oblationem Panis, uti & oblationem Vini pertinere ad integritatem Sacrificii, ſed ejuſmodi oblatio non eſt id in quo præciſe & proprie poſita eſt eſſentia Sacrificii in Miſſa.

Secundo eſſentia Sacrificii non conſiſtit in oblatione quæ fit poſt conſecrationem, his nempe verbis, *Unde & memores nos ſervi tui . . . . . offerimus præclaræ Majeſtati tuæ*. 1. Quia non videtur Chriſtum in ultima Cœna talem adhibuiſſe oblationem. 2. Quia ſcribit S. Gregorius M. lib. 7. epiſt. 63. Apoſtolos ad verba conſecrationis nihil aliud addidiſſe quam Orationem Dominicam, & conſequenter in celebratione hujus Sacrificii non illam adhibebant oblationem quæ nos facimus. 3. Quia hujus oblationis verba, ut videtur, non proferuntur in perſona Chriſti, ſed in perſona Miniſtri & Eccleſiæ: quaſi his verbis conſentiat Eccleſia in oblationem mox a Chriſto factam in conſecratione Panis & Vini, & ſimul cum eo Hoſtiam Deo Patri offerat.

Tertio eſſentia Sacrificii non conſiſtit in fractione & commixtione hujus Sacramenti quæ fit, cum Sacerdos Hoſtiæ particulam immittens in Calicem, dicit: *Hæc commixtio & conſecratio Corporis & Sanguinis, &c.* 1. Quia Chriſtus Dominus hac agendi ratione non fuit uſus, Panem poſt fractionem non miſcuit cum vino conſecrato; 2. quia hæc fuit Sancti Thomæ ſententia qui 3. part. q. 83. art. 6. ad 6. ſic loquitur, *Dicendum quod fractio Hoſtiæ conſecratæ & quod una ſola pars mittatur in Calicem, reſpicit Corpus myſticum ſicut admixtio aquæ ſignificat populum. Et ideo horum prætermiſſio non facit imperfectionem Sacrificii, ut propter hoc ſit neceſſe aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti.*

Quarto, conſumptio quæ fit a Sacerdote ſacrificante, eſſentialis eſt Sacrificio Miſſæ in ratione Sacrificii, licet non

non ſit tota ipſius eſſentia, quia, ut ſupra dictum eſt in definitione Sacrificii, requiritur realis deſtructio: unde Abraham paratus quidem fuiſſe dicitur ad ſacrificandum ſuum filium, cum ſuper aram illum poſuiſſet, manumque ad illum mactandum ſuſtuliſſet, ſed non dicitur illum ſacrificaſſe, quia nulla reipſa fuit deſtructio, nulla mactatio. Deinde eſt de ratione veri Sacrificii, quod ſacrificans de victima participet, aut ſaltem quemadmodum in holocauſto, quod res ſacrificata penitus conſumatur, ut ſciunt enim omnes, victima in holocauſto tota igne abſumebatur. Porro hæc conſumptio Hoſtiæ conſecratæ adeo neceſſaria judicatur ab Eccleſia, ut, ſi forte Sacerdos Miſſam celebrans vel ſubita morte vel gravi morbo correptus ab Hoſtiæ conſumptione impediretur, uſitatum eſt, ut alius Sacerdos, etiam non jejunus ipſi ſubſtituatur, & Sacrificium perficiat, ut patet ex Concilio Toletano XII. Can. 5. id etiam docet S. Thomas q. 83. art. 6. ad tertium.

Quinto demum, & hæc eſt communior ſententia apud Theologos, Sacrificii Miſſæ eſſentia conſiſtit in conſecratione. 1. Quia, ut ait Bellarminus, Sacrificium Miſſæ offertur in perſona Chriſti: ſed nihil facit Sacerdos tam perſpicue in perſona Chriſti quam conſecrationem in qua dicit: *Hoc eſt corpus meum*. 2. Quia per verba conſecrationis Chriſtus ſiſtitur realiter ac ſubſtantialiter præſens ſuper altare, Deo Patri offertur, ac in ſpeciebus diſtinctis ac veluti ſeparatis immolatur, per myſticam ſcilicet ſeparationem, quæ fit vi verborum Corporis & Sanguinis; quo fit ut recte dicatur quandam eſſe Hoſtiæ immutationem, quatenus Chriſti Corpus datur per modum cibi, & Sanguis per modum potus. Licet autem, inquit idem Theologus, Corpus Chriſti nullam in ſe patiatur læſionem, nec ſuum amittat naturale, cum manducatur Euchariſtia, amittit tamen ſuum eſſe ſacramentale, quia deſinit eſſe realiter in altari.

Neque dici debet in conſecratione potiorem Sacrificii partem non reperiri videlicet oblationem, de qua nulla fit mentio, cum videlicet per conſecrationem nihil aliud exprimatur quam realis præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti; unde ſequitur totam Sacrificii eſſentiam non conſiſtere in ſola conſecratione. Siquidem contendunt Theologi in conſecratione, quæ fit per verba Sacerdotis, includi oblationem, quia victimam in altari ponere, eſt reipſa illam Deo offerre.

CAPUT XXXI.

Utrum Miſſa ſit Sacrificium propitiatorium.

SAcrificium dicitur propitiatorium quando offertur pro peccati remiſſione conſequenda, ſeu cujus finis eſt præter Dei cultum Dei offenſi propitiatio, ſicut Sacrificium dicitur honorarium aut latreuticum, cujus finis eſt ſolus Dei honor & cultus.

Contendit Calvinus lib. 4. inſt. c. 18. vetera Sacrificia fuiſſe propitiatoria, non quod vere Deum placarent, ſed quod ſignificarent futurum divinæ Crucis Sacrificium, quo peccata erant abolenda. Fatentur Lutherani Euchariſtiam ad peccati remiſſionem eſſe inſtitutam, negant tamen, ut ſupra diximus, illam eſſe verum ac proprie dictum Sacrificium; adeoque non eſſe Sacrificium propitiatorium, in quos ſit

CONCLUSIO.

Miſſa eſt Sacrificium propitiatorium.

Probatur 1. ex Scripturis quæ declarant inſtitutam fuiſſe Euchariſtiam in remiſſionem peccatorum, Matth. 26. *Hic eſt Sanguis meus qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Sanguis igitur

Digitized by Google

igitur Chriſti effuſus eſt in propitiationem pro peccatis in Cruce Domini, quod idem adhuc fit quotidie in Miſſa, juſſerat enim Chriſtus ſuis Apoſtolis ut idem facerent, *Hoc facite, &c.*

S. Paulus ad Hebræos cap. 5. teſtatur munus Sacerdotum eſſe offerre pro peccato, cum ait, *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccato;* hæc adeo clara ſunt, ut nulla egeant explicatione.

Probatur 2. ex SS. Patribus.

Origenes Homil. 13. in Leviticum allatis Chriſti verbis, quibus jubemur Euchariſtiam conficere, *Iſta eſt*, inquit, *commemoratio ſola quæ propitium facit Deum hominibus.*

S. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, *Sacerdos*, inquit, *pro univerſo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut hominum omnium non modo viventium, ſed etiam defunctorum peccatis propitius fiat.*

S. Ambroſius lib. 1. de Officiis cap. 48. *Chriſtus ſeipſum quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimittat.*

S. Hieronymus Comm. in cap. 1. epiſt. ad Titum, *Si Laicis imperatur, ut propter orationem abſtineant ſe ab uxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas.*

S. Auguſtinus quæſt. 57. in Leviticum, *In multis*, inquit, *Sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc noſtrum Sacrificium ſignificatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum.* Idem docent alii Patres tum Græci tum Latini. Quapropter illud definivit Concil. Trid. ſeſſ. 22. c. 2. his verbis: *Sacrificium illud vere propitiatorium eſt per ipſumque fit, ut ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Can. 3. *Si quis dixerit Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis . . . aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem poopitiatorium, anathema ſit.*

Objicies: Baptiſmus alicui datus non prodeſt alteri, ſed ei ſolum qui baptiſatur: ergo a pari ſumptio Euchariſtiæ in Sacrificio Miſſæ, non prodeſt alteri, ſed ad ſummum Sacerdoti: proindeque Miſſa non eſt Sacrificium pro peccatis hominum propitiatorium.

Nego conſeq. & paritatem. Diſparitas petitur ex diſcrimine quod intercedit inter Sacramentum & Sacrificium. Scilicet ſuſceptio Sacramenti per ſe ordinatur ſolummodo ad ſanctificationem ſuſcipientis; oblatio autem Sacrificii ordinatur ad impetranda a Deo beneficia iis omnibus, pro quibus a Sacerdote offertur: ſe habet enim Sacrificium ſicut oratio, quæ non ſolum oranti prodeſt, ſed etiam iis omnibus, pro quibus oratur.

Inſtabis: Hæc doctrina foveret negligentiam vel etiam inutilitatem accedendi ad Sacramenta, brevius enim ac longe facilius Fideles per unam Miſſam ſuorum peccatorum veniam conſequerentur.

Nego ant. Quia non dicimus per Miſſam peccata immediate remitti, ſed ſolummodo impetrari a Deo donum pœnitentiæ quo Peccatores moveantur ad deſideranda Sacramenta, in quibus veniam ſuorum peccatorum obtineant; quo fit ut juxta hanc doctrinam inutile non ſit Fidelibus accedere ad Sacramenta.

Quæres, utrum Miſſæ Sacrificium offerri poſſit non modo pro viventibus, ſed etiam pro mortuis?

Reſpondeo 1. Sacrificium Miſſæ rite offerri pro Fidelibus, ut patet ex Canone ubi ſic loquitur Sacerdos, *In primis quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua ſancta Catholica . . . & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus;* quin & orationes fieri etiam pro Infidelibus apertè ſignificat S. Pau-

lus his verbis I. ad Timoth. 2. *Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate ac caſtitate.*

Quanquam non liceat, nec mos ſit Eccleſiæ Sacrificium offerre pro Infidelibus & hæreticis, qui omnes, cum ſint publice excommunicati ab Eccleſia, ejus donorum ac ſuffragiorum participes eſſe non poſſunt, quapropter eorum nomina ad altare appellare vetitum eſt cap. *A nobis de ſentent. excommunicationis.*

Secundo pro defunctis quoque, puta qui in Purgatorio detineri putantur, rite offertur Sacrificium Miſſæ. Quod utique colligitur, quia hæc perpetua & conſtans fuit Eccleſiæ fides & conſuetudo ut pro mortuis orationes funderent Fideles, uti factum fuerat in antiqua Lege juxta illud II. Machabæorum cap. 12. ubi Judas Machabæus juſſit Sacrificium offerri pro peccatis mortuorum, quapropter hoc approbans autor Sacer dicit, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.*

Idem conſtat ex omnibus SS. Patribus ab Apoſtolis ad nos uſque, ut aperte declarat S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 1. *In Machabæorum libris*, inquit, *legimus oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, autoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.*

Ante S. Auguſtinum dixerat Tertullianus in lib. de corona militum, *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.*

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Cathe. 5. myſtag. *Maximum*, inquit, *eſſe credimus animarum juvamen pro quibus offertur obſecratio ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitum eſt, Sacrificii.*

S. Chryſoſtomus Homil. 69. ad populum Antiochenum; *Num temere*, inquit, *hæc ab Apoſtolis ſancita fuerunt, ut in tremendis Myſteriis Defunctorum agatur commemoratio? ſciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam utilitatem.*

S. Ambroſius epiſt. 8. ad Fauſtinum de obitu ſororis, *Itaque*, inquit, *non tam deplorandam quam proſequendam orationibus reor, nec mœſtificandam lacrymis tuis, ſed oblationibus animam ejus Domino commendandam.*

Quibus adde quarto ſæculo in Eccleſia damnatam fuiſſe Aerii doctrinam, qui nimirum docebat pro mortuis non eſſe offerendum Sacrificium. Neque, ut monet Bellarminus, ſine aperto mendacio aſſerere poſſunt Novatores, Aerium nuſpiam docuiſſe non oportere Sacrificium offerre pro mortuis, id quippe expreſſis verbis refert S. Epiphanius in lib. qui inſcribitur Anacæphaleoſis, ubi ſic habet. *Aerius multa contra Eccleſiam docuit, fide quidem exiſtens Arianus perfectiſſimus, verum amplius docet non oportere offerre pro iis qui obdormierunt.*

Hanc doctrinam aſtruit Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 2. ubi docet *Sacrificium Miſſæ non ſolum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis rite juxta Apoſtolorum traditionem offerri.* Plura legi poſſunt ſuper ea re in diſſertatione quam inſtituimus de Purgatorio ubi de Sacramento pœnitentiæ agetur.

Quæres utrum offerri poſſit Sacrificium Miſſæ pro Defunctis qui certo cognoſcuntur reprobi?

Reſpondeo negative, quia id omnino foret inutile, neque enim quidquam illis prodeſſe poſſet poſt ſententiam Chriſti adverſus illos pronuntiatam Matthæi cap. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.*

Neque inferri debet Eccleſiam orare pro Reprobis, cum in precibus quæ cantantur pro Defunctis, orat Deum ut eos liberet a morte æterna & a pœnis inferni; quia nimirum preces illæ fundebantur

tur antiquitus pro agoniſantibus, & quæ poſtea in Officio Eccleſiæ pro Defunctis fuerunt collocatæ.

Quæres utrum Sanctis aut in honorem Sanctorum, offerri merito poſſit Sacrificium Miſſæ?

Reſpondeo Novatores qui ſatis frequenter mala fide agunt cum Catholicis duo hic confundere, videlicet quod Miſſæ Sacrificium offeratur Deo in honorem Sanctorum, & quod offeratur Sanctis, ut inde nos manifeſtæ ſuperſtitionis reos coarguant. Sed iſta duo magnopere diverſa ſunt, quamobrem

Dicimus primo Sacrificium Miſſæ ſoli Deo non Sanctis offerri. 1. Quia conſtat Miſſæ Sacrificium eſſe ſupremum latriæ cultum qui ſoli Deo debetur in proteſtationem ſupremi dominii quod habet in omnes creaturas, ut manifeſtum eſt ex allata Sacrificii definitione, unde compertum eſt ſoli Deo offerri debere Sacrificium Miſſæ.

2. Quia hæc fuit perpetua SS.Patrum doctrina, unum inter alios laudabimus S. Auguſtinum qui lib. 8. de Civitate Dei cap. 27. ſic loquitur, *Quis audivit aliquando Fidelium ſtantem Sacerdotem ad altare dicere in precibus, Offero tibi Sacrificium Petre vel Paule, aut Cypriane, cum apud memorias Martyrum Deo offertur*, & lib. 20. contra Fauſtum c. 1. *Nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum conſtituimus altaria ... quod offertur, Deo offertur qui Martyres coronavit apud memorias eorum quos coronavit.*

S. Auguſtini doctrinam iiſdem pene verbis confirmat Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. c. 3. *Quamvis*, inquit, *in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illi Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ſolet, Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

Dicimus 2. neutiquam repugnare inſtitutioni Cœnæ Domini, ut in ea invocentur Sancti eo modo quo ſolent invocari in Miſſa, hoc eſt, ita ut Sacrificium Deo ſoli offeratur in honorem Sanctorum, ut a Deo petamus, intercedentibus Sanctis nos adjuvet, ac per illorum ſuffragia nos tueatur, denique ut Deus per illorum orationes preces noſtras ſuſcipiat.

1. Id probatur ex antiquis Liturgiis in quibus habetur ſancta illa & laudabilis praxis: in Liturgia S. Baſilii memoria fit Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum, *Ut aſſiduas preces pro nobis tibi offerant, eoque memoriam celebramus, ut quando nobis ipſi parum fidimus, memoria & legatione illorum protecti, per eos audeamus ad te accedere; atque tremendo hoc & ſacro munere defungi:* Idem legitur in Liturgia S. Chryſoſtomi.

S. Cyrillus Hieroſ. Catecheſi 5. myſtagogica explicans ritum Sacrificii Miſſæ ſic loquitur, *Cum hoc Sacrificium offerimus eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras.*

Rem iſtam ſic explicat S. Auguſtinus tractatu 84. in Joannem, *Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos*, Martyres *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut ipſi orent pro nobis:* Idem habet ſerm. 17. de verbis Apoſtoli.

2. Accedit ratio, ſi enim licet a viventibus petere, ut orent pro nobis, quomodo id quotidie petimus in celebratione Miſſarum, quando dicit Sacerdos, *Orate fratres*, non videtur cur ab ipſis Sanctis petere non liceat. Nam ſine dubio certum eſt Sanctos in cœlis pro nobis orare poſſe, cum aliunde ſpes affulgeat futurum ut ſi pro nobis orent, Deus illos exaudiat.

Quæres utrum Miſſæ Sacrificium non modo ſit propitiatorium , ſed etiam ſit impetratorium ?

Reſpondeo affirmative , ſi enim hoc Sacrificium valet pro remiſſione peccatorum , ut docet Scriptura , *Effundetur in remiſſionem peccatorum* , ut mox oſtendimus , a fortiori valere debet pro aliis neceſſitatibus etiam temporalibus , quatenus in gratiam hujus Sacrificii adducetur Deus ad largienda hominibus omnis generis beneficia , idque evincitur ,

1. Ex S. Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 5. myſtagogica , *Poſtquam confectum eſt* , inquit , *illud ſpirituale Sacrificium , & ille cultus incruentus , ſuper ipſa propitiationis Hoſtia obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace , pro tranquillitate mundi , pro Regibus , pro militibus , pro ſociis , pro ægrotis & afflictis , & in ſumma pro omnibus , qui egent auxilio* . Ante S. Cyrillum dixerat Tertullianus in lib. ad Scapulam , *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris* . S. Chryſoſtomus Homil. 18. in Acta Apoſtol. docet Sacrificium offerri pro fructibus terræ . Item S. Auguſtinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. loquitur de Sacrificio Euchariſtiæ oblato ad purgandam domum a dæmonum vexatione , quibus patet communem hanc fuiſſe Eccleſiæ praxim , ut pro neceſſitatibus , uti & pro malis avertendis offerretur Sacrificium Miſſæ .

2. Huic doctrinæ favet aperte S. Paulus I. ad Timoth. 2. ſcribens faciendas in Eccleſia orationes & gratiarum actiones : *Pro omnibus hominibus , pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt* , quæ verba exponunt SS. Patres eo ſenſu , quod præceperit Apoſtolus ut Sacrificium Miſſæ etiam offerretur pro temporali pace & tranquillitate Eccleſiæ .

Quod ſi quæratur quænam ſit propria virtus & efficientia Sacrificii Miſſæ .

Reſpondeo Sacrificium Miſſæ vim ſuam & efficientiam habere per modum impetrationis . 1. Quia ſe habet Sacrificium ſicut oratio : ſed oratio ſuam habet vim agendi , ſuumque conſequitur effectum per modum impetrationis . Unde Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. ait per hoc Sacrificium peccata etiam ingentia dimitti , quia Deus hujus Sacrificii beneficio placatus gratiam & donum pœnitentiæ largitur . 2. Quia Sacrificium Miſſæ vim præcipuam habet , prout a Chriſto Domino , qui ſummus eſt Sacerdos , offertur ; ſed nihil aliud præſtare poteſt Chriſtus quam impetrare ; nunc enim mereri non poteſt , nec ſatisfacere , Chriſtus per ſuam mortem proprie loquendo meruit ac ſatisfecit , quia mortalis erat , nunc autem cum ſit immortalis nec mereri , nec ſatisfacere poteſt . Cum autem Sacrificium Miſſæ dicitur propitiatorium , id intelligitur eo quod impetrat remiſſionem culpæ ; dicitur etiam ſatisfactorium , quia impetrat remiſſionem pœnæ ; denique dicitur meritorium , quia impetrat gratiam bene agendi & merita acquirendi .

Addunt nonnulli Theologi Sacrificium Miſſæ quandam habere efficaciam ex opere operato , quia non a Miniſtro ejuſque privata conditione , ſed ab ipſo Deo pendet vis ejus & efficacia , juxta illud Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 1. *Munda illa oblatio eſt , quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt* . Nec obeſt quod ex Sacrificio Miſſæ nullus percipiatur fructus , niſi certæ adſint diſpoſitiones ceu animi præparationes : quia idem quoque dici poteſt de Sacramentis , quæ ſine dubio , ut oſtenſum eſt , agunt ex opere operato . Id tamen diſcriminis eſt inter Sacrificium & Sacramentum , quod Sacramentum immediate juſtificat , ut Baptiſmus reſpectu Infantium , tametſi nulla adſit fides & pietas tum in ſuſcipiente qui nullius diſpoſitionis eſt capax , tum in Miniſtro , quandoquidem Miniſter infidelis aut hæreticus recte baptiſat. Sacrificium autem immediate non juſtificat , ſed ſolum gratiam & donum pœnitentiæ impetrat , per quod Peccatores

ad

Digitized by Google

ad Sacramenta velint accedere & ſic juſtificentur, ut docet S. Thomas in 4. ſent. diſt. 12. q. 2. art. 2. ubi ait Sacrificium eos juſtificare pro quibus offertur, non ut cauſam proximam, ſed donum Contritionis impetrando.

CAPUT XXXII.

De Miſſis privatis.

Miſſa dici poteſt privata multis ex cauſis. 1. Dici poteſt privata ratione loci, cum celebratur in loco privato, v. g. in ſacello. 2. A tempore quæ non celebratur feſtis diebus, tunc enim eſſet publica. 3. A fine quæ pro aliquo homine vel pro aliqua particulari neceſſitate celebretur. 4. Dici poteſt privata a paucitate eorum qui interſunt per oppoſitionem ad publicam, qualis eſt Miſſa Parochialis. 5. Demum privata dici poteſt, in qua ſolus Sacerdos communicat. De Miſſa autem dicta hoc ultimo ſenſu privata quæſtio eſt potiſſimum inter Catholicos & Proteſtantes, hi enim ejuſmodi Miſſas ut illicitas & cœnæ dominicæ inſtitutioni aperte contraria inſequuntur. Contra quos ſit

CONCLUSIO.

Licitæ ſunt Miſſæ privatæ in quibus ſolus Sacerdos communicat.

Id conjicitur, 1. Natura Sacrificii non exigit, ut illi pro quibus Sacrificium offertur aut interſint aut communicent, quia Sacrificium offertur Deo pro populo, quod recte fieri poteſt, tametſi nullus e Fidelibus communicet, imo etſi nullus interſit; nam Sacrificium ſimile eſt orationi quæ, ut mox diximus, eſt impetratoria; oratio autem non exigit, ut ille pro quo funditur oratio, adſit præſens, ut ei prodeſſe poſſit.

2. Quia id notat hæc querimonia S. Chryſoſtomi quæ habetur Homil. 3. in epiſt. ad Epheſ. *Fruſtra*, inquit, *habetur quotidiana oblatio, cum nemo ſit qui ſimul participet*, quod indicat aperte Sacerdotes quotidie ſolitos eſſe Miſſam celebrare, licet populus non communicaret.

3. In Concilio Nannetenſi cap. 30. jubentur Presbyteri non celebrare ſoli Miſſam, niſi unum ſaltem habeant ſecum qui reſpondeat. Unde clare colligitur multos tunc temporis Sacerdotes Miſſam celebraſſe ſine ullis e populo communicantibus.

4. Id colligitur ex Concilio Toletano XII. ubi quidam Sacerdotes redarguuntur ex eo quod dum Sacrificium offerebant, ipſi non communicabant, *Quale erit*, inquit, *illud Sacrificium, cui nec ipſe ſacrificans participaſſe dignoſcitur?* quod non obſcure indicat, nullum tunc fuiſſe inter Fideles qui communicaret; & quod notandum eſt, Concilium requirit duntaxat, ut Sacerdos Miſſam celebrans ipſe ſaltem communicet.

Quapropter de iſta Eccleſiæ praxi ſic loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 6. *Optaret quidem ſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles aſtantes non ſolum ſpiritali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen ſi id non ſemper fiat, propterea Miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, ſed probat atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Miſſæ vere communes cenſeri debent, partim quod in eis populus ſpiritualiter communicet, partim vero quod a publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus Fidelibus, qui ad Corpus Chriſti pertinent, celebrentur:* & Can. 3. rem ſic definit Synodus, *Si quis dixerit Miſſas in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas, anathema ſit.*

Objiciunt adverſarii, Chriſtus Dominus Lucæ 22. præcepit ut idem faciamus quod fecit his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem:* ſed ipſe non ſolum con-

Digitized by Google

conſecravit, ſed Sacramentum diſtribuit ſuis Apoſtolis: certe non videtur licitum eſſe actiones dividere quas ipſe conjunxit, cujus ſcilicet exemplum ſequi tenemur, quaſi expreſſum dediſſet præceptum; alirer poterit quivis ad libitum conſecrare & non ſumere, uti poterit conſecrare & non miniſtrare, quod maxime abſurdum eſt.

Reſp. ex illis verbis, *Hoc facite, &c.* non teneri Sacerdotes miniſtrare Sacramentum ſemper & quoticſcunque conſecrabunt; quia ſequeretur quod Chriſtus juſſiſſet miniſtrandum eſſe ſuum Corpus in omni occaſione & invidis & indignis, quod nemo dixerit. Scilicet hoc præceptum Chriſti eſt de genere præceptorum affirmativorum quæ non obligant ſemper & pro ſemper, ſed pro loco, tempore & perſonis. Neque vero inde ſequitur quod juxta iſtud ratiocinium, poterit quoque Sacerdos conſecrare & Hoſtiam conſecratam non conſummare, eadem enim non eſt ratio omnium actionum, quia cum, ut antea diximus, conſummatio ſit de eſſentia Sacrificii, ideo non poteſt nec debet omitti; cum e contra diſpenſatio nec ſit de eſſentia, nec de integritate Sacrificii, & idcirco facienda tantum pro loco, tempore & circumſtantiis.

At, inquies, Chriſtus inſtituit Cœnam ſuam, non ut eſſet actio privata alicujus Sacerdotis, ſed ut eſſet communio totius Eccleſiæ, quod ſatis apertum eſt ex verbis quæ ipſe Sacerdos pronuntiat. *Quotquot*, inquit, *ex hac altaris participatione ſumpſerimus*: & iterum *Sacramenta quæ ſumpſimus*, quæ mera erunt ludibria, niſi adſint Fideles qui communicent.

Reſp. Miſſam Catholicorum, licet nulli Fideles communicent, proprie loquendo non eſſe privatam Sacerdotis actionem, ſed toti Eccleſiæ communem eſſe, quia Miniſter communis eſt & pro communi omnium utilitate offert Sacrificium, quo fit ut Miſſa ſit ſemper communio Eccleſiæ. Unde verba illa a Sacerdote prolata in plurali, *Sacramenta quæ ſumpſimus*, dicuntur propter communicantes, ſi qui adſint, aut propter eos qui alibi communicant. Cæterum mens Eccleſiæ non eſt, ut in Miſſis privatis excludantur communicantes, immo, ut docet Concilium Tridentinum mox citatum, optandum eſſet ut in ſingulis Miſſis aſtantes omnes communicarent; ſed ſi nulli adſint, vel ſi non alii adſint quam indigni vel inviti ac repugnantes, non videtur cur propterea Sacerdos abſtinere debeat, vel reprehendi poſſit, quaſi ſolus de cœna Domini participare velit.

Quod ajunt Proteſtantes, antiquitus & ſemper in veteri Eccleſia factam fuiſſe Sacramenti diſtributionem in actione cœnæ, ut patet ex Liturgiis quæ extant apud Patres, falſum eſt, ut oſtendimus ex multis exemplis ſuperius allatis. Nec movere debet quod de Euchariſtiæ diſtributione mentio fiat in Liturgiis, quia fatemur ut plurimum fieri debere hanc diſtributionem, quando adſunt fideles ad communicandum parati, & eam requirentes, volumus ſolum Sacerdotes non debere ab offerendo Sacrificio abſtinere; cum nullus ſit qui communicare velit, neque enim eſt de eſſentia Sacrificii, quod a Sacerdote offertur pro populo, ut aliquis communicet, nil refert ſi multi, vel pauci, vel nulli interſint.

Ad probandum non ſemper fideles communicaſſe ſacramentaliter in Sacrificio Miſſæ, addimus autoritatem Concilii Agatenſis Can. 18. ubi jubentur omnes Laici ſaltem ter in anno communicare videlicet in Natali, Paſchate & Pentecoſte, & tamen Can. 47. jubentur ſingulis diebus Dominicis Miſſæ intereſſe uſque ad benedictionem quæ datur in fine Miſſæ. Notandum inſuper conſtantem fuiſſe veterum Doctrinam, Sacrificium Miſſæ prodeſſe defunctis, abſentibus, ægrotis, ut diximus ſupra; quod oſtendit manifeſte illud poſſe offerri, licet aſtantes non communicent.

Caput XXXIII.

De Miniſtro Sacrificii.

PRimo, Sacrificium offertur a Chriſto qui principalis eſt Sacerdos, qui per Sacerdotes tanquam ſuos miniſtros incruentum ſui ipſius Sacrificium ſub ſpecie panis & vini offert Deo Patri, unus eſt Sacerdos in æternum qui miniſtros habet alios Sacerdotes, ſed qui non habebit ſucceſſores. Hæc doctrina aperte legitur apud S. Paulum ad Hebræos c. 7. ubi ſic loquitur, *Alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem* Chriſtus, *eo quod maneat in æternum ſempiternum habet Sacerdotium. Unde & ſalutare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Cur autem præter homines qui hujus Sacrificii conſtituuntur Miniſtri, Chriſtus inſuper debuit eſſe principalis offerens, hanc rationem reddit Apoſtolus, quia decebat ut Sacrificium foret mundum, homines autem non ſunt ſemper mundi, cum ſæpe peccatis coinquinentur. *Talis enim*, inquit, *decebat ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus & excelſior cœlis factus, qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes* Levit. 16. *prius pro ſuis delictis Hoſtias offerre, deinde pro populo, hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.*

Unde Concilium Lateranenſe c. *Firmiter*, ait Chriſtum in hoc myſterio ſimul eſſe Sacerdotem & Sacrificium; & Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2. ſic loquitur, *Idem nunc offerens Chriſtus Sacerdotum Miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.*

Secundo, populi qui ſunt membra Eccleſiæ ſuo etiam modo offerunt Sacrificium, ut colligitur ex ipſo Sacerdote Miſſam celebrante, qui converſus ad aſtantes, ait, *Orate fratres ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile fiat*, & poſtea, *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum & omnium circumſtantium ..... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* Igitur Eccleſia & populi ſuo quodam modo offerunt Deo Sacrificium, non equidem tanquam Miniſtri, neque enim proprie ſacrificant, ſed conſentiendo & cooperando Sacerdoti ſacrificanti, ipſi ſeſe intimo affectu uniunt vel etiam inſerviendo, & curando ut fiat Sacrificium.

Tertio, Sacerdos eſt Miniſter proprie dictus Sacrificii Miſſæ, offert Sacrificium ut Miniſter Chriſti, cujus perſonam ſuſtinet, ſacrificat etiam ut Miniſter Eccleſiæ, quatenus ejus vota Deo Patri offert per Chriſtum, actum Sacerdotalem exercendo vi ſui caracteris.

Objicit ſibi S. Thomas 3. p. q. 82. Art. 7. ad 3. ſaltem Sacerdotes, hæreticos, ſchiſmaticos & excommunicatos conſecrare non poſſe, quia id agere non poſſunt nomine Eccleſiæ a qua præciſi ſunt. Sacerdos tamen Euchariſtiam conſecrans agit in perſona totius Eccleſiæ, omnes rationes proponit in perſona Eccleſiæ: igitur.

Sic autem reſpondet S. Doctor, *Dicendum*, inquit, *quod Sacerdos in Miſſa in orationibus quidem loquitur in perſona Eccleſiæ, in cujus unitate conſiſtit, ſed in conſecratione Sacramenti loquitur in perſona Chriſti, cujus vicem in hoc gerit per Ordinis poteſtatem, & ideo ſi Sacerdos ab unitate Eccleſiæ præciſus Miſſam celebret, quia poteſtatem Ordinis non amittit, conſecrat verum Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed quia eſt ab unitate Eccleſiæ ſeparatus, orationes ejus efficaciam non habent.* In illa ſcilicet hypotheſi, ſi fiant a Sacerdote excommunicato.

Hic porro non abs re erit nonnullas proponere quæſtiones quæ ſpectant ad exercitium Miniſterii Sacerdotium in celebratione Miſſarum.

Quæres 1. utrum Sacerdotes tene-

Digitized by Google

neantur Miſſam celebrare & quando.

Reſpondeo inter Sacerdotes alios eſſe, quibus incumbit animarum cura, quales ſunt Parochi ſeu Curati, quorum curæ commiſſi ſunt ſinguli fideles alicujus Parochiæ. Alii vero ſunt qui ab illa cura & ſollicitudine immunes ſunt. De Curatis hoc ſanxit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. *De refor. Præcepto divino*, inquit, *mandatum eſt omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini Prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, &c.*

Quoad ſpectat alios Sacerdotes qui nullius Parochiæ curam & adminiſtrationem habent, major eſt difficultas. Mentem ſuam ea in re ſic explicuit S. Thomas adverſus quoſdam qui contendebant Sacerdotes illos, utpote liberos, non teneri Miſſam celebrare, 3. p. q. 82. Art. 10. *Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unuſquiſque tenetur uti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum. Opportunitas Sacrificium offerendi, non ſolum attenditur per comparationem ad fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, etiamſi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione ceſſare, ſed ſaltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis feſtis, & maxime in illis diebus in quibus fideles communicare conſueverunt.*

Quod ſi quæras quoties in anno Miſſam celebrare teneantur.

Reſp. non unam eandemque ſemper fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam, teſtatur S. Cyprianus presbyteros quotidie Miſſam celebraſſe Epiſt. 54. ad Cornelium ſic loquitur. *Epiſcopatus noſtri honor grandis & gloria eſt pacem dediſſe Martyribus, ut Sacerdotes qui Sacrificia Dei quotidie celebramus Hoſtias Deo & victimas præparemus.* Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. quod generale eſt, inſurgit in quoſdam Sacerdotes qui vix quater in anno celebrabant. Concilium Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 14. *Curet Epiſcopus*, inquit, *ut ii* (Sacerdotes) *ſaltem diebus Dominicis & Feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.* Ea res non ad fidem, ſed ad diſciplinam attinet.

Quæres quo jure Sacerdotes pro celebratione Miſſarum aliquod ſtipendium, & ut vocant, honorarium, percipiant.

Reſpondeo id agnoſci ut licitum & approbari, eo quod Eccleſia tenetur Sacerdotum ſuſtentationem procurare, aut ſaltem permittere ut illud honorarium percipiant per modum Eleemoſynæ. Id fundatur in his S. Lucæ verbis, *Dignus eſt operarius mercede ſua*, & in iſtis Apoſtoli I. Corinth. 9. *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant.*

In rei veritate, cum eximium ac recte fundatum ſit hoc ratiocinium, inde manifeſte ſequitur Sacerdotes qui nullo indigent ſubſidio ad honeſte vivendum, eo quod vel paterna bona, vel pingue aliquod Beneficium Eccleſiaſticum poſſident, legitime non poſſe pro Miſſa quam celebrant, ullum percipere ſtipendium; uſus tamen invaluit, ut iſta agendi ratio ab omnibus non improbetur, quia, ut ajunt nonnulli Caſuiſtæ, Sacerdoti qui ſuum dat miniſterium quodammodo debetur alimentum, per accidens eſt autem quod aliunde vivere poſſet, & honeſte ſuſtentari.

Quod ſi quæras, quodnam ſtipendium pro celebratione unius Miſſæ poſſit Sacerdos juſte ac legitime repetere, Reſpondeo hoc diverſum eſſe pro diverſitate temporum & locorum, uſus invaluit ut id ſit prudentiæ Epiſcoporum reſervatum, nec debet unicujuſque Sacerdotis arbitrio determinari. Ità enim ſanxit Concilium Tridentinum Seſſ. 25. de reform. cap. 4. quemdam abuſum emendare volens, qui occurrit in quibuſdam Eccle-

cleſiis propter nimium Miſſarum numerum ex variis Defunctorum relictis impoſitum, quibus ſatisfieri nequit, ſic loquitur Concilium, *Sancta Synodus cupiens hæc ad pios uſus relicta, quo plenius & utilius poteſt impleri, facultatem dat Epiſcopis, ut in Synodo Diœceſana, itemque Abbatibus & Generalibus ordinum ut in ſuis Capitulis generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc quicquid magis ad Dei honorem & cultum atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire.* Caput hoc, ut habetur in Congregatione, intelligendum eſt de Miſſis tantum, non de aliis ſuffragiis.

Porro cum in varios abuſus præ avaritia quandoque incidiſſent nonnulli Sacerdotes, in illos identidem inſurrexerunt ſummi Pontifices, nam, v. g. Alexander VII. an. 1665. eorum opinionem proſcripſit, qui putabant Sacerdotem poſſe licite accipere pro eadem Miſſa duplicatum ſtipendium, in hiſce nimirum propoſitionibus, quarum prima hæc eſt, *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.* Altera propoſitio hæc eſt, *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere & Sacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiam ſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Item Urbanus VIII. & Alexander VII. hanc propoſitionem damnarunt. *Poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Et ratio eſt quia Sacerdos in illo caſu partem ſtipendii ob Miſſæ celebrationem dati, aperte furatur.

Idem ſummus Pontifex improbat Sacerdotes, qui cum teneantur titulo beneficii incertis diebus Miſſam celebrare; pro eadem tamen Miſſa ſtipendium accipiunt, *Sacerdotes*, inquit, *quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficii ſeu capellæ legati aut ſalarii, eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſunt eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.*

Quæres an Sacerdos licite poſſit Miſſam ſine Miniſtro celebrare.

Reſp. id licite non poſſe, ut præſcribunt Concilia Gallicana quæ poſt Concilium Tridentinum habita ſunt, Remenſe an. 1588. Toloſanum an. 1590. & Narbonenſe an. 1609.

Item nec in caſu neceſſitatis licitum eſſe mulieri miniſtrare Sacerdoti Miſſam celebranti, habetur ex cap. 1. *De cohabitatione clericorum*, his verbis: *Nulla fœmina præſumat ad altare accedere vel presbytero miniſtrare.*

Quæres an Sacerdos alicujus peccati mortalis conſcius, cum deeſt illi copia Confeſſarii, poſſit tuta conſcientia Miſſam celebrare, ſaltem ſi ipſi ex officio celebrare incumbat, quales ſunt Curati reſpectu illorum Parochiæ.

Reſp. cum Patribus Tridentinis ſeſſ. 13. de Euchariſtia cap. 7. ubi ſic loquuntur: *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum (probet ſe ipſum homo) Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramenti confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat; quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Neque hæc ultima verba merum exhibere conſilium ſed præceptum declaravit Clerus Gallicanus an. 1700. cum iſtam Propoſitionem, *Mandatum Concilii Tridentini factum Sa-*

Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium non præceptum... Illa particula quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*, damnavit tanquam falſam, perniciofam, & quæ apertum Concilii Tridentini Decretum intervertit.

Quæres denique an liceat Sacerdoti Miſſam celebrare in Eccleſia violata.

Eccleſia autem violata cenſetur, vel ſi quis in ea homicidium committat voluntarium vel ſi in ea fiat magna ſanguinis effuſio ex gravi percuſſione. Cenſetur quoque violata ſeu polluta ex culpabili ſeminis humani effuſione quando publice cognita eſt. Item quando igne vel alio caſu parietes Eccleſiæ abſumuntur. Denique per ſepulturam alicujus hæretici aut nominatim ac publice excommunicati denuntiati.

Reſp. non licere Sacerdoti Miſſam celebrare in Eccleſia ſi aliquo ex iſtis modis violata ſit, decet enim ſacrum facere in loco Sancto, ita enim fert laudabilis Eccleſiæ conſuetudo. Quamobrem, ſi forte, dum Sacerdos Miſſam celebrat, Eccleſia in qua celebrat, violaretur ante incœptum canonem, Sacerdos Sacrificans recedere debet ab altari, ſecus ſi polluatur ſeu violetur Eccleſia poſt incœptum canonem, tunc enim abſolvenda eſt Miſſa quia inchoatum cenſetur Sacrificium. Plura non dicemus de hac materia quæ ad jus canonicum potius ſpectat quam ad Theologiam.

CAPUT XXXIV.

De præcepto quo tenentur Fideles Miſſam audire.

POſtquam fuſe ſatis diximus de Miniſtro Sacrificii Miſſæ ejuſque officiis ac debitis, ſequitur, ut de præcepto fidelibus impoſito Miſſam audiendi quædam addamus, ſi enim Sacerdotes pro ſuo inſtituto ſacrificare tenentur, populi autem, ut diximus, ſuo quoque modo Sacrificium offerunt Sacerdoti ſacrificanti cooperantes, dubio procul Sacrificio intereſſe debent.

Obligatio hæc populis impoſita fundatur in perpetua Eccleſiarum conſuetudine & datis identidem præceptis, ut colligitur ex S. Juſtino Apologia 2. ubi fidelium conventus his primis Eccleſiæ temporibus deſcribit, *Solis qui dicitur die*, inquit, *omnium qui in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus ſit... Precibus peractis panis offertur & vinum & aqua: & præpoſitus itidem, quantum pro virili ſua poteſt, preces & gratiarum actiones fundit: & populus fauſte acclamat dicens, Amen; & diſtributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ acta ſunt*. Hæc verba oſtendunt Eccleſiæ praxim.

Id autem diſtricte fuiſſe præceptum colligitur ex Concilio Agatenſi can. 47. ubi ſic habetur, *Miſſas die Dominico a ſæcularibus totas teneri, ſpeciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi non præſumant, qui ſi fecerint ab Epiſcopo confundantur*: ſi vetat Concilium ne populus ante benedictionem Sacerdotis, hoc eſt, ante finem Miſſæ egrediatur, ſequitur manifeſte, eum præcepto de audienda Miſſa non ſatisfacere, qui notabili Liturgiæ parti non intereſt; tum vero nec ſatisfacere qui unam Miſſæ partem ab uno Sacerdote, & alteram ab alio ſimul audit, quod utique ſanxit Clerus Gallicanus in ſua cenſura anni 1700. cum iſtam Propoſitionem, *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro qui duas ejus partes, imo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit*, damnavit, ut abſurdam, ſcandaloſam, illuſoriam, communique Chriſtianorum ſenſui repugnantem.

Atque id præſertim ſtatutum fuit perpetuo & in omnibus Eccleſiis pro Miſſa Parochiali. Concilium Nannetenſe cap. 1. decernit, *ut Dominicis ac feſtis diebus Presbyteri, ante quam Miſſas celebrent, plebem interrogent, ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam velit au-*

audire, quem ſi invenerint, ſtatim ab Eccleſia ejiciant, & ad ſuam Parochiam redire compellant.

Sixtus IV. an. 1478. inſurgit adverſus fratres mendicantes qui fideles ab audiendis Miſſis Parochialialibus avertere conabantur, ſic loquitur Extravagante vice illius, *Fratres Mendicantes*, inquit, *non prædicent populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus feſtis & Dominicis, cum jure ſit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa ab Eccleſia ipſa ſe abſentent ... non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac privilegiis, eiſdem fratribus in genere vel in ſpecie conceſſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

Eandem obligationem ſtatuit & confirmavit Concilium Trident. Seſſ. 24. de reform. cap. 4. his verbis, *Moneat Epiſcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*. Hoc eſt niſi grave occurrat incommodum. Dixerat autem Seſſ. 22. quoad ſpectat legem audiendi Miſſam Parochialem, *Moneant Epiſcopi eundem populum ut frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis & majoribus feſtis accedant.*

Tandem Clerus Gallicanus an. 1700. damnavit tres iſtas Propoſitiones quarum prima hæc eſt, *Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque Doctrinam, quæ ibi in catecheſibus annuntiantur, & docentur*. Secunda, *Talem legem in hac materia nec Epiſcopi nec Concilia Provinciarum nec nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt*. Tertia, *Plebes virtute Conc. Trident. cogi non poteſt cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ut eat ad ſuam Parochiam & diebus Dominicis ad audiendam Miſſam*. Sic autem loquuntur Præſules in cenſura. *Harum propoſitionum Doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, Sacris Canonibus, Concilio Tridentino & Apoſtolicæ traditioni contraria, dicente Apoſtolo, Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam*. Aiunt iſtam Doctrinam fuiſſe jam a Clero Gallicano condemnatam, ſi quidem an. 1655. in Comitiis generalibus, cum quidam impugnaſſent Statutum Epiſcopi Andegavenſis de Miſſa Parochiali, declaraverunt, *Fideles feſtis ac Dominicis aut ſaltem ex tribus Dominicis altera jure teneri ſiſtere ſe præſentes Parochiali Miſſæ, & ad hujus legis obſervationem, adhibitis etiam Eccleſiæ cenſuris ab Epiſcopis compelli poſſe.*

His autem autoritatibus opponi non debent nonnullæ ſummorum Pontificum Bullæ in quibus conceſſum videtur fidelibus in gratiam Regularium, ut apud ipſos Regulares Miſſam licite audiant extra ſuam Parochiam. Si quæ enim privilegia hoc in negotio quandoque a quibuſdam ſummis Pontificibus indulta fuerunt, ea ab aliis eorum Succeſſoribus revocata ſunt, quæ quidem privilegia pariter revocavit Concilium Tridentinum, cujus Decretis potiſſimum fidem ac reverentiam habere debemus.

CAPUT XXXV.

De cæremoniis Miſſæ.

DE cæremoniis quæ adhiberi ſolent a Catholicis tum in Officio Divino, tum in adminiſtratione Sacramentorum, jam ſatis multa diximus pro ratione noſtri inſtituti in fine tractatus de Sacramentis in genere, nonnulla tamen addemus, quæ proprie ad Miſſæ cæremonias pertinent.

Lutherus ejuſque Diſcipuli non omnes omnino cæremonias Miſſæ rejiciunt,

immo quaſdam laudant & approbant quæ fundantur in mandato Divino & ſcripturæ exemplis, ut accipere Panem, benedicere & manducare, rurſus alias non dedignantur quæ, inquiunt, verbo Dei non repugnant, ut vaſa, veſtes & alia ejuſmodi Ornamenta; permittunt quoque lumina & incenſum. Sed aliunde aiunt quaſdam eſſe ſuperſtitioſas & impias, ut oblationem pro vivis & mortuis, invocationem Sanctorum, conſecrationem ſalis, benedictionem aquæ. Lutherum hac in parte ſibi non conſtare, non immerito obſervat Bellarminus, quatenus in lib. de captivitate Babylonica. cap. *De Eucharistia*, ſcribit Miſſam eo magis eſſe chriſtianam quæ eſt ſimplicior & ſimilior Miſſæ Chriſti, in qua nulla fuit veſtium, geſtuum, cantuum, aliarumque cæremoniarum Pompa. Et ibidem addit calumniandam non eſſe Eccleſiam, quod multis ritibus & cæremoniis Miſſam ornavit & ampliavit, quæ duo vix conciliari poſſunt, ſi enim Miſſa magis eſt Chriſtiana ſine cæremoniis, reprehendi merito poteſt, quod tam diverſas adhibeat cæremonias.

Calvinus generatim omnes rejicit cæremonias in lib. 4. inſtit. cap. 17. ubi ait eas natas eſſe ex procacitate humanæ confidentiæ, quæ ſe continere non poteſt, quin in Dei Myſteriis ludat & laſciviat. Quapropter eas fere omnes abrogandas cenſent Calviniſtæ, nec in ſua Cœnæ Domini adminiſtratione illis utuntur.

Nos vero dicimus neutiquam illicitum eſſe varias adoptare cæremonias in celebratione Miſſæ, cum ſcilicet ab Eccleſia probatæ ſunt & frequenti ac laudabili uſu receptæ utpote quæ totidem ſunt pietatis officia, non impietatis irritabula, ut dicere auſus eſt Lutherus. Ita ratiocinatur Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 5. *Ne ſuperſtitioni*, inquit, *locus aliquis detur, Edictis & pœnis propoſitis caveant, ne Sacerdoces aliis quam debitis horis celebrent, neve ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Eccleſia probatæ ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint.*

Can. 7. *Si quis dixerit cæremonias, veſtes & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quam Officia pietatis, anathema ſit.*

Aliud momentum quo probamus adverſus Novatores abrogandas non eſſe cæremonias quæ adhibentur in celebratione Miſſæ, ſumitur ex eo quod antiquiſſimæ ſunt & in primis etiam Eccleſiæ ſæculis, cum fatente Calvino nondum irrepſerant abuſus, frequenter uſurpatæ etenim leguntur tum in Scripturis, tum apud SS. Patres. Ex illis cæremoniis unum aut alterum de ſingulis referemus exemplum poſt Bellarminum qui fuse ſatis illa proſequitur.

Omnes, inquit iſte Cardinalis, ad quædam capita revocari poſſunt; quædam in rebus conſiſtunt & prærequiruntur ad Sacrificium, ut veſtes Sacræ, templa, altaria, vaſa ſacra & aliæ conſiſtunt in actionibus quæ fiunt in Miſſa, ut benedictiones, elevationes manuum, genuum incurvationes, &c. aliæ ſumuntur ex parte temporis, quod videlicet Miſſa celebrari debeat præcipue diebus Dominicis ante omnem cibum, ante meridiem, &c.

Primo, quod ſpectat veſtes ſacras, Concilium Carthaginenſe IV. can. 41. prohibet ne Diaconi utantur alba, niſi in Sacro Miniſterio. S. Chryſoſtomus tum in Homil. 83. in Matth. tum in Liturgia deſcribit Orationes, quæ dicebantur, dum Sacerdotes induebant ſacras veſtes. S. Hieronym. lib. 1. contra Pelagian. ſcribit Epiſcopos & Presbyteros uti candidis veſtibus in adminiſtratione Sacrificii.

Secundo, de templis & aris mentio habetur frequentiſſima apud omnes veteres, in Conciliis & SS. Patribus. Præterquamquod Apoſtolus 1. Corinth. 10.

lo-

loquens de Euchariſtia, altare & menſam Domini commemorat, *Nonne qui edunt Hoſtias, participes ſunt altaris;* & poſtea, *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe*. Tertullian. lib. de Pœnitentia, laudans humilitatem pœnitentium *ait eos presbyteris advolvi, aris Dei adgeniculari*. Erant igitur tunc temporis, hoc eſt, in fine ſecundi ſæculi, altaria, & ad eorum pedes genua flectebant Chriſtiani. Optatus lib. 6. c. Parmenianum. *Quid eſt*, inquit, *tam Sacrilegum quam altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtuliſtis, frangere?*

Tertio, cæremoniam ſacrorum vaſorum antiquiſſimam eſſe multis ſimiliter oſtenditur exemplis. Optatus mox citatus, queritur ibidem de Donatiſtis, quod ſacra & pretioſa vaſa Eccleſiæ, quæ Chriſti Sanguinem continent, diripuerint ac vendiderint. S. Athanaſius Apolog. 2. adverſus Arianos loquitur de Calice Euchariſtiæ ſacro, quem ab eo fractum calumniabantur Ariani. Diſertum eſt S. Auguſtini teſtimonium in Pſal. 113. *Et nos*, inquit, *pleraque inſtrumenta & vaſa ex auro & argento habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio Conſecrata, ſancta dicuntur*.

Quarto, praxis accendendi Cereos in Eccleſia colligitur ex Concilio Carthaginenſi IV. Can. 6. ubi docet Archidiaconum tradere cereum Acolytho in ejus ordinatione, ut diſcat ad ejus miniſterium pertinere, quod lumina accendat in Eccleſia. S. Hieronymus ſcribit in libro contra Vigilantium, Sole rutilante accendi Cereos dum legitur Evangelium.

Quinto, ab ipſis Apoſtolorum temporibus invaluit uſus, ut die Dominica præcipue Sacrificium celebrarent Catholici, ut patet ex cap. 20. Actuum, ubi ſic habetur, *Una autem Sabbathi cum conveniſſent ad frangendum panem*. Per unam Sabbathi intelligitur dies Dominica juxta interpretes, vox enim illa *una* idem eſt ac prima, Sabbathi idem eſt ac Hebdomadæ, quia, ut ait Bellarminus, in phraſi Hebraica unum accipitur pro primo & Sabbathum pro Hebdomada; vel, ut ait S. Thomas in cap. 16. 1. ad Corinthios, per unam Sabbathi intelligitur prima dies poſt Sabbathum ſcilicet dies Dominicus.

Sexto, alteram Catholicorum praxim, qua Miſſam celebrant ante meridiem & omnem cibum valde rident ac contemnunt Novatores, ſic enim loquitur Lutherus libro de abroganda Miſſa par. 2. *Indignum eſt*, inquiunt, *ut in os Chriſtiani aliud intret, priusquam corpus Domini intraverit. Oh feſtiva ratio, forte nec nebulam, nec aerem prius intrare licet os Chriſtiani, quam corpus Domini intraverit, ut Sacerdotibus reſpiratione & vita interdicatur uſque poſt Miſſam & Communionem*. Fundatur aliunde in exemplo Chriſti, qui ſero & poſt cœnam Sacrificium obtulit, verum S. Auguſtinus hoc ſibi propoſito argumento, ſic reſpondet: *Liquide apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli Corpus & Sanguinem Chriſti, non eos accepiſſe jejunos, nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ quod a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi, nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur ..... Et ideo non præcepit* Chriſtus *quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum*. Ex quibus patet hanc praxim, teſte S. Auguſtino, ab Eccleſia ſervatam fuiſſe in toto orbe terrarum.

Et revera Tertullianus loquens de Euchariſtia lib. 2. ad Uxorem ait, *Non ſciet maritus quid ante cibum ſumas*. S. Cyprianus Epiſt. 3. lib. 2. ſcribit nos mane debere offerre, quia reſurrectionem Domini celebramus. Concilium Carthaginenſe III. decrevit Can. 29. *ut Sacramenta altaris non niſi a jejunis hominibus celebrentur*.

Quod

Quod objicit Lutherus Chriſtum id liberum reliquiſſe & ideo id liberum eſſe debere. Reſpondemus cum S. Auguſtino ſupra, multa eſſe quæ diſerte non præcepit Chriſtus, quæ tamen libera jam non ſunt, quia præcepta ſunt ab Apoſtolis aut eorum ſucceſſoribus juxta illud Lucæ 10 *Qui vos audit, me audit*.

Denique variæ actiones quæ in ipſa celebratione Miſſæ adhibentur, quales ſunt elevatio oculorum ad Deum, genuum incurvatio, oſculum altaris, ſignum Crucis, oſtenſio Sacramenti, & alia id genus, nonniſi abſurde ne dicam inepte reprehendi poſſunt a Novatoribus, tum quia aliæ fundantur in exemplo ipſius Chriſti Domini, tum quia antiquiſſimæ ſunt & a SS. Patribus aut ſpecialiter approbatæ, tum quia ipſi rationi maxime conformes ſunt.

1. Elevatio manuum exemplum habet in ſacris ſcripturis, Pſal. 141. ſic loquitur David, *Elevatio manuum mearum Sacrificium veſpertinum*. S. Paulus I. ad Timoth. *cap.* 2. *Viros orare in omni loco levantes puras manus*. Tertullianus in Apologetico cap. 30. docet Chriſtianos cœlum intuentes manibus extenſis, nudo capite orare ſolitos. Demum ipſe Chriſtus pluribus in locis dicitur oculos ad cœlum levaſſe, ut Matth. 15. Marci 6. & Lucæ 7.

2. Genuum incurvatio quæ aliunde ſignum eſt reverentiæ & humilitatis in omnibus precationum generibus maxime familiaris eſt. Act. 21. S. Paulus oravit cum aliis qui ſecum erant flexis genibus. S. Cyprianus ſcribit in ſerm. de oratione Dominica placendum eſſe divinis oculis etiam habitu corporis. In Liturgia S. Chryſoſtomi hæc leguntur. *Sacerdos egreditur ex parvo oſtio, & converſus ad Chriſti imaginem, inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem*.

3. Demum oſtenſio Sacramenti quæ fit ad populum ut illud adorent, habetur expreſſe in Liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi, eamque commemorat S. Baſilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Verba*, inquit, *invocationis, cum oſtenditur panis Euchariſtiæ & poculum Benedictionis quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit*. Plura hic congerere in re tam clara & evidenti plane ſupervacaneum foret.

Quæres quid ſit ſentiendum de illa praxi quæ viget in Eccleſia quædam ſubmiſſa voce pronuntiandi in celebratione Miſſæ.

Reſpondeo laudabilem ac ſequendam eſſe hanc conſuetudinem. Ita ſanxit Concilium Tridentinum Seſſ. 22. cap. 5. his verbis, *Cum natura hominis ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero elatiore in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit*, & Can. 9. ejuſdem Seſſionis, *Si quis dixerit Eccleſiæ Romanæ ritum quo ſubmiſſa voce pars Canonis & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe ..... eo quod ſit contra inſtitutionem, anathema ſit*. Hanc praxim conſonam eſſe SS. Patrum placitis probat Palavicinus, tom. 3. pag. 169. *Certe*, inquit, *ſi hujuſmodi conſuetudo ſenſis veterum Patrum non conſonaret .... non extaret apud Eccleſiam Græcam jam tot ſæcula ſejunctam ab obedientia Romani Pontificis. Præterquam quod expreſſe legitur ea conſuetudo in vetuſtiſſimis Liturgiis S. Baſilii & Chryſoſtomi*.

Dices: In Concilio Baſileenſi Seſſ. 21. cap. 3. ſic legitur: *Abuſum aliquarum Eccleſiarum in quibus ... Miſſa etiam privata ſine Miniſtro*, aut PER SECRETAS ORATIONES *ita ſubmiſſa voce dicitur quod a circumſtantibus audiri non poteſt*, ergo Synodus reprehendit eorum uſum, qui Miſſam ita celebrant ſubmiſſa voce *per ſecretas orationes*, ut a circumſtantibus non audiantur: ergo non eſt tenenda conſuetudo ſubmiſſa voce quæ-

dam

dam pronunciandi in celebratione Miſſæ.

Reſp. mendoſam hanc eſſe lectionem, quæ in plures conciliorum editiones irrepſit; quippe legendum eſt *propter ſecretas orationes*, non autem *per ſecretas orationes*. Ita enim legitur in manuſcriptis codicibus authenticis, quale eſt Sorbonicum, & in veteribus editionibus. Hæc autem genuina Lectio conſuetudinem Eccleſiæ quæ viget, maxime probat.

Quod ſi quis demum objiciat hunc uſum nonniſi ſæculo decimo obtinuiſſe in Eccleſia, aliis contendentibus eum jam viguiſſe octavo ſæculo, aut parum aut nihil refert, quia ſatis per ſe commendatur vetus Eccleſiæ conſuetudo quæ loco legis haberi debet, ut ait S. Auguſtinus Epiſt. 36. *In his rebus*, inquit, *de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt*. Quia, ut habet Epiſt. 54. *Ipſa mutatio conſuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.*

Quæres cur Miſſa non celebretur lingua vulgari.

Reſp. recte in uſu poſitum eſſe ut in lingua vulgari non celebretur Miſſa, ſed Latina apud Latinos, & Græca apud Græcos. Quia id poſtulat dignitas & Majeſtas hujus Sacrificii, ut & aliorum Myſteriorum, quæ procul dubio vileſcerent, ſi lingua vernacula a diverſis populis tractarentur, cum uniformis non ſit lingua, ritus forent variis mutationibus obnoxii, quapropter rem iſtam definivit Concil. Trid. ſeſſ. 22. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere, anathema ſit.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO
EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Caput Primum

Utrum Extrema-unctio ſit verum novæ Legis Sacramentum.

HOc Sacramentum variis nominibus donatur apud Autores Eccleſiaſticos, dicitur Sacramentum ſacræ Unctionis, ſacra Unctio, Unctio Infirmorum, Oleum ſanctum, Sacramentum Exeuntium, &c. nunc vero communiter Extrema-unctio.

Definitur *Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quod per oleum benedictum & orationem confertur Ægrotis ad abſtergendas Peccatorum reliquias, & corporalem etiam morbum, ſi ita expedit, ſanandum.*

Dicitur 1. *Sacramentum a Chriſto inſtitutum*, quæ quidem verba tenent locum generis, quanquam nonnulli veteres Theologi dixerint Extremam-unctionem ab Apoſtolis, non a Chriſto fuiſſe inſtitutam, ſed immerito quidem; quia, ut diximus, eſſentiale eſt cuilibet Sacramento gratiæ ſcilicet divinæ practico, ut ſit ab ipſo Chriſto gratiæ Autore immediate inſtitutum.

Dicitur 2. *Quod per oleum & orationem*, quia, ut mox dicetur, oleum eſt materia hujus Sacramenti, oratio vero ejus forma.

Dicitur 3. *Quod Ægrotis datur*, juxta celebrem S. Jacobi locum, *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & ratio fidei ſalvabit infirmum & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Additur denique *Ad abſtergendas*, &c. quibus verbis deſignatur duplex ſpecificus ejuſdem Sacramenti effectus, videlicet quod Infirmum alleviet, id eſt ejus animo triſtitiam & quemdam torporem excutiat, atque etiam quod morbum corporis quandoque ſanet, ſi ita expedit, ut loquitur Concilium Tridentinum.

Extremam-unctionem eſſe verum novæ legis Sacramentum negant Lutherus, Calvinus, & imprimis Dallæus inſignis Calviniſta: ſic de illo Sacramento loquitur Lutherus lib. de captivit. Babylonica. *Huic unguentorum Infirmorum ritui duas additiones ſeſe dignas addiderunt Theologi noſtri, unam quod Sacramentum appellant, alteram quod extremam faciunt, ſitque nunc Sacramentum Extremæ-unctionis, quæ niſi in extremo vitæ agentibus periculo dari non debeat ... verum habent hic quod in os mihi retundant nimirum quod autoritate Jacobi Apoſtoli hic promiſſio & ſignum ſit, quibus ergo Sacramentum conſtituit hactenus dixit, ego autem dico, ſi uſpiam deliratum eſt, hoc loco præcipue deliratum .... tamen ſi etiam eſſet Apoſtoli Jacobi, dicerent non licere Apoſtolo ſua autoritate Sacramentum inſtituere. Hoc enim ad Chriſtum ſolum pertinebat, nuſquam autem legitur in Evangelio unctionis iſtius extremæ Sacramentum .... vix unus Sacerdotulus nunc mittitur, cum Apoſtolus velit multos adeſſe; non propter unctionem, ſed propter orationem; unde dicit, oratio fidei ſalvabit Infirmum.*

Eadem eſt doctrina Calvini lib. 4. inſtit. c. 19. ſic loquentis, *Fictitium Sacramentum eſt Extrema-unctio, hiſtrionica hypocri-*

pocriſis quæ citra rationem & ſine fructu Apoſtolos referre volunt … cæterum evanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula. Ut igitur maxime demus unctionem Sacramentum fuiſſe earum virtutum, quæ tum per manus Apoſtolorum adminiſtrabantur, nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum adminiſtratio commiſſa non eſt… ita rurſum Spiritui S. ſunt injurii, qui putidum & nullius energiæ oleum faciunt ejus virtutem. His aſtipulantur Chamierus, Dallæus, & alii eorum aſſeclæ, in quos ſit

CONCLUSIO.

Unctio Infirmorum ſeu Extrema-Unctio eſt verum novæ legis Sacramentum.

Probatur 1. ex Scripturis, epiſt. S. Jacobi cap. 5. hæc habentur, *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*, in quo textu clare deſcribitur noſtrum Extremæ-unctionis Sacramentum. Nam ritus externus & ſenſibilis gratiæ ſanctificantis productivus eſt Sacramentum novæ legis: atqui hoc in loco aperte deſcribitur ritus externus & ſenſibilis gratiæ ſanctificantis productivus; videlicet unctio quæ datur Infirmis ex oleo, quod utique fuit ſemper & ab ipſis Apoſtolorum temporibus obſervatum in Eccleſia: igitur clare & efficaciter ex hoc S. Jacobi loco probatur Sacramentum Extremæ-unctionis.

Nec dicas S. Jacobum verba facere de unctione, quæ tanquam medicamentum naturale ſanabat ægrotos, neutiquam vero de aliquo novæ legis Sacramento, quod ſane frivolum eſt; 1. quia loquitur de unctione quæ non operabatur niſi juncta cum oratione fidei, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*. oratio autem fidei a nemine reputabitur medicamentum naturale; 2. debet illa unctio fieri a Presbyteris, *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ*. in curatione autem morbi naturalis nihil neceſſe eſt ut remedium applicetur a Presbyteris; 3. demum oleum quod ibi commendatur, non eſt remedium pro omnibus & ſingulis infirmitatibus.

At inquies cum Dallæo, Extrema-unctio nunc apud Catholicos datur tantum moribundis, & S. Jacobus præcipit eam eſſe conferendam omnibus infirmis, *Infirmatur quis in vobis?* igitur de hodierna Etrema-unctione non agitur hoc in loco S. Jacobi.

Reſpondeo non ſolis moribundis dari Extremam-unctionem quamvis adhibeatur, & juxta Concilium Tridentinum adhibenda ſit iis præſertim qui periculose decumbunt, ſic enim loquuntur Patres Tridentini ſeſſ. 14. de Extrema-unctione, *Declaratur etiam eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur*. Hoc ipſum ſic explicat S. Thomas opuſculo 65. ubi ait ſufficere, ſi ægroti ſint in ea infirmitate conſtituti, ut de eorum morte timeatur. *Prodeſt autem*, inquit, *iſtud Sacramentum ad duo, primo quia citius ſanantur infirmi, ſi ſint convalituri.*

Objicit Dallæus, S. Jacobus induci jubet *plures* Sacerdotes, *Inducat Presbyteros*: ſed in hoc Sacramento fatentur Catholici unicum ſufficere Sacerdotem ad exhibendam Extremam-unctionem: ergo hæc unctio eadem non eſt cum Sacramento Extremæ-unctionis.

Reſpondeo ſatis frequenter uſitatum eſſe hoc genus locutionis, ut pluralis numerus pro ſingulari ponatur, quod quidem obſervat S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 16. ubi explicat illud Matth. 27. *Idipſum & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* dum S. Lucas id ab uno duntaxat factum eſſe ſcribit, *Niſi*, inquit S. Doctor, *intelligamus Matthæum & Marcum breviter perſtringentes hunc locum, pluralem numerum pro ſingulari poſuiſſe …. quid autem uſitatius v. g. quam ut dicat aliquis, Et ruſtici mihi inſultant*, etiamſi

etiamſi unus inſultet? .... cum vero dictum eſt, Latrones, vel qui cum eo crucifixi erant, nec additum eſt ambo, non ſolum ſi ambo feciſſent, poſſet hoc dici, ſed etiam quia unus hoc fecit, potuit uſitato locutionis modo per pluralem numerum ſingularis ſignificari.

Objicit inſuper Dallæus: Aſſeritur in iſta S. Jacobi epiſtola primarium effectum hujus unctionis eſſe reſtaurationem ſanitatis corporeæ, *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, nec niſi ſecundario promititur remiſſio peccatorum, quaſi ſit effectus per accidens adjunctus, *Et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. ſed primarius effectus alicujus Sacramenti in nova lege eſt collatio gratiæ ſanctificantis, & remiſſio peccatorum: igitur eo loci non agnoſcitur Extremæ-unctionis Sacramentum.

Reſpondeo male inferri reſtaurationem ſanitatis corporeæ, primarium eſſe effectum Extremæ-unctionis, ex eo quod in præſenti teſtimonio S. Jacobi primum recenſetur, quando enim v. g. legitur Matth. cap. 19. de eo qui reliquerit patrem aut matrem, *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, non inde ſequitur primarium hujus promiſſionis objectum eſſe mercedem temporalem.

At inquies, Docet experientia unctionem illam de qua S. Jacobus loquitur, non ſalvare infirmos, nec eos alleviare, tum vero nec eorum peccata delere, ſed ad ſummum id fieri *per orationem fidei*: ergo id debetur fidei non ipſi Sacramento.

Reſpondeo gratis & ſine ullo fundamento Adverſarios affirmare, unctionem de qua loquitur S. Jacobus nec ſalvare infirmum nec illum alleviare, uti nec illius peccata: delere id enim aperte pollicetur hic Apoſtolus, quod autem his verbis utitur, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*. inde non ſequitur orationem fidei hunc præſtare effectum independenter ab unctione, habetur enim, *Ungentes eum in nomine Domini*. quatenus unctio & oratio ſunt ipſum Sacramentum quod ſuos habet effectus ſalvando infirmum vel ejus peccata delendo, non propter fidem Miniſtri, ut affirmare ſolent Lutherani, ſed propter ipſum Sacramentum.

Non deſunt inter Theologos qui hoc Extremæ-unctionis Sacramentum dicant indicatum fuiſſe in his S. Marci verbis, ubi c. 6. loquens de Apoſtolis a Chriſto miſſis ſic habet, *Et ungebant oleo multos ægros & ſanabant*. quod itidem confirmatur ex Patribus Tridentinis qui ſeſſ. 14. cap. 1. teſtantur hoc Sacramentum fuiſſe *apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum Fidelibus commendatum & promulgatum*. ubi Patres Tridentini aiunt ſolummodo hoc Sacramentum fuiſſe a Marco Evangeliſta inſinuatum, non autem evectum ad dignitatem Sacramenti, quod ita explicant plerique Theologi, & probant 1. quia unctio illa ſpectare videtur curationem corporum Apoſtolis præceptam a Chriſto, ut habetur Matth. cap. 10. *Dedit illis poteſtatem, ut curarent omnem languorem & omnem infirmitatem ... infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate*, quæ quidem reſpiciunt poteſtatem edendi miracula, nec aperte ſtatuunt inſtitutionem unctionis ſacramentalis; 2. quia non loquitur S. Marcus de unctione quæ conferat gratiam ſanctificantem, uti nec de oratione Sacerdotum, quia revera nondum Apoſtoli erant Sacerdotes; 3. Apoſtoli conſequenter ad illud Chriſti præceptum ungebant ægrotos, claudos, cæcos & alios qui infirmabantur, ſed eatenus non adminiſtrabant aliquod Sacramentum.

Probatur 2. ex traditione, quæ docet perpetuo adhibitam fuiſſe in Eccleſia hanc infirmorum unctionem, quam memoravit S. Jacobus loco citato. Hoc ſibi propoſitum ut aſſequatur Sambovius contra Dallæum diſputans, contendit primo hanc noſtram unctionem fuiſſe in uſu primo & ſecundo ſæculo, quod ſatis ſuperque conſtat eandem ſemper viguiſſe duobus iſtis ſæculis.

Profert deinde teſtimonium Origenis qui Homil. 11. in Leviticum ſic habet, *Eſt adhuc & ſeptima, licet dura & labo-*

rio-

Digitized by Google

rioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum qui ait, Dixi, pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei, in quo impletur & illud quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, &c. quibus verbis nihil expreſſius deſiderari poteſt.

Tum profert decretum Euſebii Papæ, quod extat apud Burchardum & apud Ivonem p. 15. decreti cap. 35. ubi ſic habetur: *Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia habuerit, quod ipſe pœnitentiam petiiſſet, & ipſe per motus aliquos ſuæ voluntatis aliquod ſignum facere poteſt, Sacerdos impleat omnia, ſicut ſupra circa ægrotantem Pœnitentem ſcriptum eſt, id eſt orationes dicat & ungat eum oleo ſancto, & Euchariſtiam ei donet*. quod utique conforme eſt Innocentii I. doctrinæ mox referendæ. Idem docet S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, *Neque enim*, inquit loquens de poteſtate Sacerdotum ad remittenda peccata, *ſolum, cum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent, Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis, accerſat Presbyteros*.

Innocentius I. in epiſt. ad Decentium cap. 8. *Sane*, inquit, *quoniam de hoc ſicuti de cæteris conſulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœleſtinus Diaconus in epiſtola ſua, eſſe a tua dilectione poſitum illud quod in B. Apoſtoli Jacobi epiſtola conſcriptum eſt (Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Presbyteros, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi peccata fecit, remittent ei.) Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo*. ubi videtur his temporibus uſurpatam fuiſſe conſtanter unctionem pro infirmis juxta illud S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis*, &c. quæ a ſolis dabatur Presbyteris, *Quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi debent*.

Addimus hoc aperte legi in ſacramentario S. Gregorii M. feria quinta in Cœna Domini hæc habentur, *Tunc offertur Pontifici oleum & benedicit eum tam ipſe quam omnes Presbyteri ad ungendum infirmum his verbis, Emitte*, &c. *Ut tua benedictione ſit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnem ægritudinem corporis*. & poſtea, *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque ſenſus corporis, id eſt in ſuperciliis oculorum & in auribus deintus, & in narium ſummitate ſive exterius, & in labiis exterius, & in manibus exterius id eſt de foris. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo ſacrato dicentes, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc enim faciant, ut ſi in 5. ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, hac medicina Dei ſanetur*. Quibus alia & quidem ſimillima adjungi poſſent pene infinita, quibus referendis nunc pro ratione noſtri inſtituti ſuperſedemus, ſatis erit ſingulas ea de re Concilii Tridentini ſanctiones commemorare.

Seſſ. 14. hæc docet de Extrema-unctione c. 1. *Inſtituta eſt, hæc unctio infirmorum autem ſacra tanquam vere ac proprie Sacramentum Novi Teſtamenti, a Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum & Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum, Infirmatur, inquit*, &c.

Cap. 3. *Quare nulla ratione audiendi ſunt qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli Jacobi ſententiam docent, hanc unctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum a Patribus acceptum nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem.*

& qui illam jam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gratiam curationum dunt axat in primitiva Eccleſia referenda eſſet.

Et Can. 1. *Si quis dixerit Extremam-unctionem non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.*

Can. 2. *Si quis dixerit ſacram infirmorum unctionem jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema ſit.*

CAPUT II.

De materia Extremæ-unctionis.

Materia remota Extremæ-unctionis eſt Oleum; id enim aperte exprimitur in loco S. Jacobi, *Ungentes eum oleo*, & in Eccleſia ſemper & ubique fuit uſurpatum. Oleum autem illud debet eſſe olivarum ſeu olivis expreſſum, quod ſolum eſt oleum proprie dictum; aliud enim quodcunque ut nucis, non eſt niſi improprie dictum oleum. *Ex Apoſtolica traditione*, inquit Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 1, *per manus accepta, Eccleſia intellexit materiam hujus Sacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum: nam unctio aptiſſime Spiritus S. gratiam qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat.*

Hoc Oleum adhiberi ſolum debet ſine ulla mixtione, ut ſatis indicant verba S. Jacobi, *Ungentes eum oleo*, &c. & colligitur ex Pontificalibus latinis & Græcorum Euchologiis. Revera ab Innocentio I. citata epiſt. ad Decentium appellatur Chriſma quaſi ſupponeret compoſitum eſſe ex oleo & balſamo, ſed Chriſma quandoque deſignat quamlibet unctionem in Eccleſia factam ſeu fiat cum oleo ſimul & balſamo, qualis uſurpatur in Baptiſmo, Confirmatione & Ordinationibus; ſeu fiat cum oleo ſolo quo quidem unguntur infirmi in Sacramento Extremæ-unctionis, & ungebantur olim Catechumeni. Nam loquitur Innocentius ad ſenſum S. Jacobi cujus verba refert.

Oleum hoc debet eſſe benedictum, nam ab antiquis autoribus paſſim vocatur oleum ſanctum, conſecratum, ſanctificatum; & in uſu ſemper fuit in Eccleſia, ut oleum infirmorum ſolemniter benediceretur. In Eccleſia quidem Occidentali ſoli Epiſcopi illud benedicunt, ut teſtantur Innocentius I. in epiſt. ad Decentium; Gregorius M. in Sacramentario; & habetur in Capitularibus Caroli M. lib. 7. cap. 76. in Conc. Cabillonenſi II. can. 48. in Decreto Eugenii, ac demum in Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de Extrema-unctione. Sed in Eccleſia Orientali benedicitur a ſimplicibus Presbyteris, in ipſa hujus Sacramenti adminiſtratione, ut colligitur ex Græcorum Euchologiis in officio olei ſancti.

Quæritur autem utrum ejuſmodi benedictio ſeu conſecratio olei, ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti vel ſolum præcepti.

Reſp. diſſentire hac in parte Theologos, multi enim partem affirmantem tenent; alii vero partem negantem. Placet horum ſententia quia nullo Scripturæ loco, nullo Conciliorum decreto habetur unctionem factam ex oleo minime conſecrato non eſſe validam; cum enim ait S. Jacobus, *Ungentes eum oleo in nomine Domini*. His vocibus *in nomine Domini*, ſignificatur tantum unctionem infirmorum fieri debere autoritate Chriſti, non autem oleo benedicto. Quod autem in Decreto Eugenii, in Concilio Tridentino & in omnibus Ritualibus & Euchologiis præcipiatur adhibendum eſſe oleum benedictum, probat ſolum ejuſmodi conſecrationem olei neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, non aiunt autem illam benedictionem eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti.

Quod ſi quæratur a quo oleum illud infirmorum conſecrari debeat, an a ſimplicibus Presbyteris, vel ab Epiſcopis.

Reſp. in uſu eſſe apud Græcos, ut oleum infirmorum benedicant ſimplices Presbyteri, ut teſtatur Pater Goar in notis.

Digitized by Google

tis ſuis ſuper Euchologio Græcorum. Sed apud nos conſecratio illa ſolis reſervatur Epiſcopis, nec unquam conceſſa fuit Presbyteris.

Quæres quomodo gerere ſe debeant Presbyteri, cum oleum unctioni infirmorum deſtinatum deficere incipit?

Reſp. oleo conſecrato quod ſupereſt aliud oleum eſſe admiſcendum, quia ex cap. *Quod in dubiis* de conſ. Eccleſiæ, *Nec negamus quin oleum non conſecratum conſecrato poſſit oleo commiſceri*. Et ſic totum fit conſecratum non per contactum quidem phyſicum olei cum oleo, ſed ex approbatione Eccleſiæ, quo modo aqua non benedicta aquæ benedictæ ſuperaddita benedictionem acquirere cenſetur.

Materia proxima Extremæ-unctionis, eſt unctio: 1. ex S. Jacobo, *Ungentes eum oleo*; 2. ex Conciliis & Ritualibus quæ præſcribunt unctionem; 3. quia materia proxima eſt applicatio materiæ remotæ, applicatio autem olei alia nulla eſt quam unctio.

Unctio hæc apud Latinos fit in organis quinque ſenſuum, puta ut habet Eugenius in ſuo Decreto. *In oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum*. Addit ſummus Pontifex, *in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*. Quanquam hæc poſtrema renum unctio omitti debeat in fœminis propter verecundiam, ut monent libri Rituales qui eandem præcipiunt pro maſculis.

Apud Græcos, uti judicatur ex recentioribus, unctio fit in fronte, genis, mento & manibus, ut ſcribit Simeon Theſſalonicenſis, lib. de Sacramentis, & teſte Arcudio inungunt etiam nunc pectus & pedes.

Quæres utrum plures neceſſario adhibendæ ſint unctiones, aut unica ſufficiat.

Reſp. neceſſarium eſſe neceſſitate præcepti plures adhibere unctiones, ut patet ex mox adductis autoritatibus, ſed non neceſſitate Sacramenti ad quod perficiendum unica ſufficit, ſiquidem vulgo permittitur in Ritualibus, ut in certo caſu ſi v. g. urgeat mortis periculum, vel ſi moribundus peſte laboret, unica fiat unctio; idque fundatur in eo quod tunc ſatisfit præcepto S. Jacobi dicentis, *Ungentes eum oleo*. Sicut una ablutione impletur præceptum Chriſti, *Baptiſantes eos, &c.* Unctio hæc debet fieri in capite quæ præcipua eſt corporis pars. Ita rem præſcribit Rituale Pariſienſe, *Si non poſſit*, inquit, *ſupra infirmum fieri niſi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud ſenſuum organum, & cæteris precibus prætermiſſis dicatur: Per iſtam ſacri olei unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti per ſenſus*. Quod ſi quis mutilatus ſit inungendus, unctio fiat in parte viciniori, ut habetur in eodem Rituali.

CAPUT III.

De Forma Sacramenti Extremæ-unctionis.

FOrma hujus Sacramenti conſiſtit in oratione quam inungendo pronuntiat Sacerdos juxta illud Jacobi, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*, quod etiam conſtat ex Euchologiis & ritualibus quæ perpetuam utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ doctrinam & uſum exhibent: his verbis concepta eſt apud Latinos. *Per iſtam ſacram unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum*. Hæc forma quam præſcribit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. & quam refert Eugenius IV. in ſuo decreto pro inſtructione Armenorum, ut per ſe patet, eſt deprecatoria.

Sed quæritur utrum ita neceſſe ſit ejuſmodi formam deprecatoriam adhibere, ut forma indicativa non ſufficiat ad validitatem ſcilicet Sacramenti.

Reſp. 1. rem iſtam non ſpectare fidem, quia nullo in loco definitum eſt ſolam formam deprecatoriam eſſe legiti-

timam, ita ut ea ſublata & adhibita indicativa Sacramentum foret nullum. Præterquam quod indicativam eſſe ſufficientem contendunt nonnulli Theologi Paludanus, Ricardus, Navarrus, &c. quæ nimirum forma his v. g. verbis concepta forent, *Ungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. qualem ſe vidiſſe in antiquis Ritualibus teſtantur præfati Theologi.

Reſp. 2. ſequendam nihilominus communem Theologorum ſententiam quæ docet formam indicativam non eſſe uſurpandam; 1. quia hoc potiſſimum S. Jacobi teſtimonio toties citato Extremæ-unctioni aſtruitur ratio Sacramenti, undè ad aſſignandam ejus materiam & formam adhærere potiſſimum debemus huic teſtimonio: ſed S. Jacobus clare deſignat formam hujus Sacramenti eſſe orationem, *Et oratio fidei ſalvabit*, &c. 2. quia forma indicativa nunquam uſurpata eſt in adminiſtratione hujus Sacramenti. Quod enim objicit Paludanus præfatam formam indicativam quam putat eſſe Ambroſianam, reſpondet S. Thomas in ſupplem. q. 29. art. 8. hæc verba non eſſe formam ſed diſpoſitionem ad formam; nam revera poſt hæc verba, *Unge oculos tuos*, &c. in forma Ambroſiana ſequuntur iſta quæ deprecatoria ſunt, *Ut more militis uncti præparatus ad certamen poſſis aereas poteſtates ſuperare*.

Quæres quænam præcise verba ſint huic formæ eſſentialia.

Reſp. hæc communiter videri eſſentialia, *Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus*. alia vero non eſſe propterea omittenda, quia præſcribuntur in Ritualibus, & ad majorem effectuum Sacramenti expreſſionem inſtituta ſunt.

CAPUT IV.

De Miniſtro Extremæ-unctionis.

VOlunt Lutherus & Calvinus Laicos poſſe adminiſtrare unctionem hanc de qua loquitur S. Jacobus, quia, inquiunt, nomen Presbyteri in ejus teſtimonio ætatis eſt non dignitatis, quia id intelligit de ſenioribus e popolo, non de Sacerdotibus ab Epiſcopo ordinatis.

Verum recte definitum eſt a Concilio Trident. ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros hujus Sacramenti, can. ſcilicet 4. ſeſſ. 14. de Extrema unctione his verbis: *Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo Ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit*. His momentis nititur Patrum Tridentinorum ſanctio: 1. quia S. Jacobus expreſſe teſtatur Miniſtros Extremæ-unctionis eſſe Presbyteros, *Inducat Presbyteros*, &c. Notorium eſt autem vocem illam *Presbyter* deſignare Sacerdotem per ordinationem ſacram promotum ubicumque in Scripturis agitur de miniſterio Eccleſiæ, ut patet ex Actibus & Epiſtolis Apoſtolorum. Præterquamquod in hoc Jacobi textu non ſimpliciter Presbyteri dicuntur, *ſed Presbyteri Eccleſiæ*, per quorum orationem & miniſterium *remiſſio peccatorum* promittitur; 2. ex unanimi SS. Patrum & Conciliorum doctrina; ubique enim legitur hanc fuiſſe Sacerdotum functionem, quod etiam colligitur ex Sacramentario S. Gregorii M. ex Euchologiis Græcorum, & omnibus Eccleſiæ Latinæ Ritualibus; 3. quia non ſolet Eccleſia Sacramenta diſpenſare per Laicos ſaltem ex officio excepto Baptiſmo, quem ſolum adminiſtrare poſſunt in caſu neceſſitatis.

Obj. hæc verba Innocent. I. ad Decentium, quibus declarat ſummus Pontifex poſſe omnes Chriſtianos in ſua aut ſuorum neceſſitate adminiſtrare Sacramentum Unctionis, *Quod non eſt dubium*, inquit, *de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate*

tate inungendo. Ubi ait Innocentius licere omnibus Chriſtianis uti hoc oleo, ſcilicet inungendo.

Reſpondeo id unum velle ſummum Pontificem, omnibus Chriſtianis eſſe licitum uti hoc oleo, ut poſſint inungi, non autem ut ipſi ungere poſſint; neque in oppoſitum urgeri debet illud verbum *inungendo*, quod accipi debet paſſive, non enim ait, *inungendo quemquam*, ſed præciſe *inungendo*, ad ſignificationem unctionem paſſivam, hoc eſt ut inungantur.

Reſpondent alii id unum velle Innocentium quod omnes Chriſtiani in caſu neceſſitatis poſſunt uti oleo per Epiſcopum confecto, & ſe vel alios ungere, motivo quodam pietatis erga illud oleum ſanctum & conſecratum, uti quandoque factum fuiſſe multa probant exempla, refertur v. g. de quodam Martio Abbate apud Gregorium Turonenſem in Vitis Patrum cap. 14. *Eum quartanis tertianisve febribus laborantem infuſo benedicti olei liquore uſum fuiſſe ut medelam perciperet:* ſed ejusmodi unctio non erat in eorum mente Sacramentum Extremæ unctionis.

Quæres utrum Sacramentum Extremæ unctionis valide conferatur a quocumque Presbytero, ita ut præter poteſtatem Ordinis non requiratur poteſtas jurisdictionis.

Reſp. affirmative, quoad ſpectat nimirum validitatem Sacramenti, quamvis hoc Sacramentum licite adminiſtrare non poſſit Presbyter, niſi jurisdictionem habeat vel ordinariam ut Parochi, vel delegatam ut alii Presbyteri inferiores; id habetur expreſſe in Clementina I. de privilegiis, ubi prohibetur, ne Regulares Extremam-unctionem ſine licentia Parochorum adminiſtrent, intellige tamen modo non adſit caſus neceſſitatis, in quo quilbet Sacerdos poteſtatem habet adminiſtrandi Sacramenta, ſicut poteſtatem habet abſolvendi a quibusvis peccatis & cenſuris peccatores in articulo mortis poſitos.

Quæres utrum plures requirantur Presbyteri ad conferendum hoc Sacramentum. Ratio dubitandi eſt, quia de Presbyteris in plurali loquitur S. Jacobus, *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*.

Reſp. 1. teſte Simeone Theſſalonicenſi libro de Sacramentis, perpetuam fuiſſe Græcorum conſuetudinem, ſeptem Sacerdotes advocandi ad conferendam unctionem infirmorum; 2. & in Eccleſia Latina plures etiam olim fuiſſe adhibitos colligitur ex Sacramentario S. Gregorii M. & ex S. Thoma lib. 4. contra Gentes cap. 73. unde Waldenſes, ut ſcribit Reynerius, hoc noſtrum Extremæ-unctionis Sacramentum ex eo rejiciebant, quod per unum Sacerdotem miniſtretur, cum plures ad id neceſſario adhibendi ſint; 3. Dico unum Sacerdotem ſufficere, ſiquidem id ex multis in traditione momentis conſtare poteſt, patet ex loco jam citato Innocentii I. Epiſcopum poſſe infirmos ungere nullo alio Presbytero aſcito, ſic enim loquitur, *Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt*; deinde multa exempla probant unctionem miniſtratam fuiſſe ab unico Presbytero, ut patet ex Vita S. Eugendi; ex unctione Hereberti Colonienſis in ejus vita a Ruperto ſcripta, &c. id etiam definivit Alexander III, cap. *Quæſivit, de verb. ſignif.* his verbis: *Sacerdos uno præſente Clerico, & etiam ſolus poteſt infirmum ungere;* demum S. Thomas loco mox citato ait, *Si tamen unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus Miniſter exiſtit, & cujus perſonam gerit.*

Quando autem in loco S. Jacobi legitur *Inducat Presbyteros*, in plurali ſcilicet numero, nemo neſcit id moris poſitum eſſe in Scripturis, ut pluralis numerus ponatur pro ſingulari, quod egregie obſervat S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum c. 16. ut conciliet, quod S. Matthæus dixerat cap. 27. *Idipſum & Latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei*, cum S. Luca ab uno tantum Latrone id factum eſſe referente. *Cum vero*, inquit, *dictum eſt Latrones, vel qui-*

rum

cum eo crucifixi erant, *nec additum eſt ambo*, *non ſolum ſi ambo feciſſent poſſet hoc dici*, *ſed etiam quia unus hoc fecit*, *potuit uſitato locutionis modo per pluralem numerum ſingularis ſignificari*. Hoc pacto ſolemus dicere Peccatores debere ad remiſſionem delictorum conſequendam adire Sacerdotes, confiteri peccata ſua coram Sacerdotibus, quamvis ſufficiat unum adire Sacerdotem.

Cæterum cum diximus legitimum Extremæ-unctionis Miniſtrum eſſe Sacerdotem, intelligimus id eſſe ita proprium Presbyteris, ut hoc idem Sacramentum miniſtrare valeat Epiſcopus, ut patet ex epiſt. Innocentii I. toties citata, ubi ex profeſſo rejicit ſententiam oppoſitam.

CAPUT V.

De Subjecto Sacramenti Extremæ-unctionis.

Apud Græcos Extrema-unctio confertur omnibus ſanis, & benevalentibus, ut teſtantur Arcudius lib. 5. de Extrema-unctione cap. ultimo; & P. Goar in notis ad ſancti olei officium, quod idem teſtatur Allatius lib. 3. de conſenſione Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis, c. 16. *Non tantum*, inquit, *infirmos*, *ſed ſanos quoſque homines Extrema-unctione & ſæpius Græci inungunt*.

Verum in Eccleſia Latina Extrema-unctio non datur niſi infirmis, quæ quidem conſuetudo fundatur in verbis S. Jacobi, *Infirmatur quis in vobis*, *&c.* Unde infertur pro ſolis infirmis a Chriſto inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum. Accedit autoritas Pontificalium, in quibus materia hujus Sacramenti dicitur *Oleum infirmorum*. Item Eugenius IV. ſic loquitur in ſuo Decreto, *Hoc Sacramentum nonniſi infirmo*, *de cujus morte timetur*, *dari debet*. & Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 7. *Declaratur etiam eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam*, *illis vero præſertim qui tam perículoſe decumbunt*, *ut in exitu vitæ conſtituti videantur*. *Unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*.

In errore tamen non verſantur Græci ut quidam volunt, & verum conferunt Sacramentum, quia cum S. Jacobus jubet ungendos infirmos, non excludit ſanos, quomodo & explicari debent Concilia; unde ob id Latini non redarguerunt Græcos in Concilio Florentino. Sed iſta mihi non arridet ſententia, quia S. Jacobus, Eugenius IV. Concil. Trident. tam diſerte deſignant infirmos pro ſubjecto Extremæ-unctionis, ut abunde ſani excludi videantur, cum aliunde id confirmet perpetua Eccleſiæ Latinæ praxis.

Quod autem dicitur apud nos nonniſi infirmis conferendum eſſe hoc Sacramentum, nonnulla veniunt obſervanda.

Primum eſt ſatis eſſe quandoque quod infirmi pericuIoſe decumbant, nec expectandum, donec ſint mox diſceſſuri & omni ſenſu deſtituti. 1. quia S. Jacobus deſignat præciſe ſtatum infirmitatis, *Infirmatur quis in vobis*, non ait, ſi mox ſit deceſſurus; 2. quia ex eodem Jacobo, unus ex effectibus illius unctionis quandoque eſt, ſanitatem corpoream reſtituere; 3. quia patet ex auctoritatibus mox allegatis Eugenii & Concilii Tridentini infirmos eſſe inungendos, ubi addit ſolum hæc Synodus *præſertim qui periculoſe decumbant*, ſed non innuit eos eſſe debere omni judicio deſtitutos; 4. ſic Patrum Tridentinorum mentem explicuerunt nonnulla Galliæ Concilia, Burdigalenſe quidem an. 1583. hoc ſtatuit, *Non eo uſque differendum eſt*, *dum æger omnibus pene ſenſibus deſtitutus ſit*, & Bituricenſe an. 1584. *Adminiſtretur*, inquit, *tempeſtive a Sacerdote Extrema-unctio olei ſancti*, *ita ut Chriſtianus adhuc mente integra Sacramenti efficaciam cognoſcere poſſit*. Adde quod in Rituali Pariſienſi quod emiſit Eminentiſſimus Archipræſul Noallius, hoc præſcribitur, *Ut quoties cum oleo infirmorum Viaticum ad ægrotum defertur*, *antequam æger Viaticum ſumat*, *inungatur a Sacerdote*.

Unde merito revincitur calumnia Lutheri & Calvini dicentium hanc malam eſſe Latinorum conſuetudinem, ut nonniſi

niſi ſemimortuis unctionem miniſtrent.

Secundum, quandoque etiam rite conferri Extremam-unctionem moribundis, tametſi omni ſenſu & cognitione deſtitutis, tum quia ejusmodi homines ſunt de numero infirmorum. Sanctus autem Jacobus docet ungendos eſſe infirmos, tum quia vetus eſt Eccleſiæ Latinæ praxis, Patres quippe hoc Sacramentum appellant unctionem infirmorum, moribundorum, exeuntium; tum denique quia nil impedit quominus Sacramentum in illis fidelibus morti proximis ſuos habeat effectus, vel ſanitatem tribuat corpori, ſi ita animæ expediat, vel peccatorum reliquias abſtergat.

Tertium eſt, quod nonnulli tamen ſunt quibus licet in mortis periculo conſtitutis non ſolet nec debet adminiſtrari unctio, ejusmodi ſunt mulieres in partu laborantes, milites ad pugnam properantes, & rei mox ultimo ſupplicio afficiendi, quod nimirum non ſunt de numero infirmorum. Non ſunt quoque ungendi pueri ratione carentes, qui nempe nondum peccaverunt. Bene vero ſenes quorum ipſa ætas decrepita cenſetur infirmitas.

Item furioſis & amentibus conferri non debet Extrema-unctio, niſi lucida habeant intervalla, quia Sacramentum conferri non debet ubi periculum eſt irreverentiæ, præſertim cum non ſit neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem. Denique adultis omnibus infirmis, tametſi male vixerint, miniſtrari debet unctio, modo non conſtet eos impœnitentiæ ſigna dediſſe, quo inſtanti ſenſibus & judicio deſtituti ſunt.

Ita vero ſe gerendum eſſe in adminiſtratione Extremæ-unctionis præſcribit S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanenſi IV. *Parochus*, inquit, *Extrema-unctionis Sacramentum ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilicet, periculoſe ægrotantibus propeque moribundis, ſenio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris. Ita iſtis ne miniſtret nempe pueris rationis uſu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, bellum proficiſcentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo ſupplicio mulctandi ſunt.*

Quæres utrum ſolis peccatoribus conferri debeat Extrema-unctio.

Reſp. affirmative, ſiquidem ex S. Jacobo deſtinatur ad peccatorum reliquias abſtergendas, & ex SS. Patribus appellatur paſſim medicina, pœnitentia, pœnitentiæ complementum, idque indicant verba formæ, *Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquiſti*. Quapropter pueri, ut mox dictum eſt, antequam peccare poſſe præſumantur, non ſunt ungendi; neque ungendus quoque eſt homo qui baptiſatur in fine vitæ ſtatim a ſuſcepto Baptiſmate, quia non ſunt in eo peccati reliquiæ abſtergendæ.

Neque objici debet S. Jacobum ſupponere aliquod neceſſario eſſe peccatum in eo qui ungitur, quandoquidem loquitur tantum ſub conditione, *Quod ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Nemo enim neſcit particulam, *ſi*, non denotare ſemper rem dubiam, ut cum Deus dicit Malachiæ 1. *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* quaſi dicat, cum ego ſim pater & dominus veſter, cur me non honoratis & timetis?

CAPUT VI.

De Effectibus Sacramenti Extrema-unctionis.

Recenſentur conceptis verbis a S. Jacobo, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Unde apparet tres eſſe effectus Extremæ-unctionis, nempe ſalvat infirmum, hoc eſt ſanitatem corporis procurat, infirmum alleviat, & in eo peccata, ſi quæ ſint, remittit, de quibus ſigillatim paucis dicendum eſt.

Quæres utrum Extrema-unctio ad ſanitatem corporis procurandum inſtituta ſit eamque re ipſa quandoque procuret.

Reſp. affirmative, id enim expreſſe docet S. Jacobus his verbis, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*, in quem ſenſum ea intellexerunt SS. Patres & Concilia, tum vero libri Rituales in quibus funditur oratio eo fine, ut infirmis reſtituatur ſanitas corporis. Addit Eugenius IV. in ſuo decreto hanc corporis ſanationem non procurari, per Extremam-unctionem, niſi quantum expedit, *Effectus eſt mentis ſanatio, in quantum autem expedit etiam corporis*. quod etiam aſſerit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. *Et ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur* infirmus. Ex qua conſideratione ſolvitur objectio quæ in hanc ſententiam proponitur, dicendo Sacramenta ſuum ſemper habere effectum, cum a recte diſpoſitis ſuſcipiuntur, quod falſum eſt in hoc caſu, quia multi cum rectis diſpoſitionibus recipiunt Extremam-unctionem qui tamen corporaliter non ſanantur. Nam dicimus ex hoc Sacramento non ſequi ſemper corporalem ſanationem, ſed ſolum quando id expedit ad ſalutem, ut ait Concilium Tridentinum, *Ubi ſaluti animæ expedierit*. quæ quidem verba hunc effectum nonniſi conditionate produci a Sacramento indicant.

At inquies, Si hoc Sacramentum agit ex opere operato debet reddere ſanitatem omni infirmo recte diſpoſito.

Reſp. ſatis eſſe quod ſanitas corporis aliquando reddatur, quia, ut dicimus, effectus Sacramenti hac ex parte eſt conditionatus: unde Sacramentum quando reſtituit ſanitatem corporis, tunc agit ex opere operato: quibus adde hunc effectum non eſſe primarium hujus Sacramenti effectum.

Neque eſt quod dicatur ſanationem corporis plerumque reſpectu eorum qui periculoſe decumbunt in extremis poſiti, futuram eſſe miraculoſam, cum tamen conſtet Miniſtros Sacramentorum non debere Deum tentare, & miracula intendere. Namque negamus ejuſmodi ſanationem ægrotantium eſſe miraculoſam, ad miraculum enim ſatis non eſt, quod opus ſit ſupra naturæ vires poſitum, alioquin peccatoris juſtificatio foret miraculum, ſed debet eſſe præter ordinem a Deo conſtitutum & raro accidere.

Quæres utrum alleviatio animæ ſit effectus Sacramenti Extremæ-unctionis.

Reſp. affirmative, idque conſtat ex verbis S. Jacobi, *Et alleviabit eum Dominus*, ubi gratia promittitur, qua, ut ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema-unctione, *Ægroti animam alleviat & confirmat magnam in eo Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit*. Egregie id explicat Catechiſmus Concilii Par. II. de Extrema-unctione parag. 28. his verbis: *Nihil ad mortis tanquillitatem magis conducit, quam ſi triſtitiam abjiciamus, & læto animo Domini adventum expectemus .... ut igitur hac ſollicitudine fidelium mentes liberentur, animuſque pio & ſancto gaudio repleatur, Extremæ-unctionis Sacramentum efficit*.

Huc ſpectat quod Theologi dicunt, illud Sacramentum abſtergere peccati reliquias, puta quemdam animi torporem, debilitatem, & ad operandum bonum ineptitudinem, tum vero & reatum pœnæ temporalis, ut ſcribit S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 73. *Quia*, inquit, eo loci, *hoc Sacramentum eſt ultimum & quodam modo conſummativum totius ſpiritualis curationis*.

At, inquies, experientia docet fideles percepta unctione non exui vitioſis ſuis habitibus, & in priſtino manere animi torpore. Item ſi a reatu pœnæ temporalis hoc Sacramento liberarentur, nullum ſacrificium pro illis eſſet offerendum, timendus non eſſet ignis purgatorius; quod utique falſum eſſe probat Eccleſiæ praxis.

Reſp. præfatos effectus produci vi Sacramenti Extremæ-unctionis, ſed ita tamen ut neceſſariæ ſint certæ diſpoſitiones ex parte ſubjecti Sacramentum recipientis, quæ diſpoſitiones cum ignorentur & du-

& dubitetur quoque, an effectus totaliter productus fuerit, alia poſt mortem ſubſidia fidelibus commodat Eccleſia.

Quæres utrum Extrema-unctio remittat peccata.

Reſp. affirmative, nam id expreſſe docet S. Jacobus his verbis: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Tum & forma dudum apud Latinos recepta, *Per iſtam Unctionem indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti per viſum, auditum, guſtum, &c.* Uti etiam teſtantur SS. Patres in locis ſuperius adductis; aiunt enim per Extremam-unctionem dari remiſſionem peccatorum, indulgentiam delictorum, animæ ſanitatem, hoc Sacramentum eſſe animæ medicinam, complementum pœnitentiæ, & alia id genus, quæ nonniſi de peccatis ipſis, non de pœna temporali peccatis debita, aut de peccatorum reliquiis explicari poſſunt. Unde Concilium Tridentinum utrumque diſtincte ponit peccata & peccatorum reliquias. Nec puto loquendum eſſe cum nonnullis Theologis qui dicunt Extremam-unctionem non delere peccata niſi per accidens; id enim competit huic Sacramento ex primaria ſui inſtitutione, ut ferunt verba S. Jacobi, *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Quæ verba ſumi debent in propria ſua ſignificatione, & de veris peccatis & de eorum remiſſione proprie dicta; quomodo etiam ſumi debent SS. Patres, Eugenius IV. Concilium Tridentinum, Rituales Epiſcoporum, ubi declaratur Extremam-unctionem remittere peccata, quod non poteſt intelligi niſi de peccatis quoad culpam.

Quærunt Theologi utrum Extrema-unctio per ſe remittat ſolum peccata venialia, ut multi volunt Theologi, aut remittat etiam mortalia.

Reſp. per Extremam-unctionem remitti quoque peccata mortalia, nam & S. Jacobus & Patres & Concilia loquuntur de peccatis indiſtincte, fideles quidem infirmi ante omnia & priuſquam inungantur, debent confiteri Sacerdotibus peccata ſua & per abſolutionem ſacramentalem peccatorum remiſſionem conſequi, ſed ſi poſtea in aliquod peccatum etiam mortale laberentur, quod utique Sacerdoti confiteri non poſſent, vel ſe commiſiſſe ignorarent, hujus remiſſionem conſequerentur per unctionem, ut ſatis denotant Jacobi verba, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Quo fundamento dicant quidam Theologi hoc non eſſe intelligendum niſi de peccatis venialibus, fateor me ignorare; ubique enim Extrema-unctio dicitur peccata remittere nulla facta diſtinctione mortalium aut venialium. Quin potius S. Thomas in ſupplem. q. 30. art. 1. rem expreſſe declarat, *Si invenit peccatum aliquod*, inquit, *vel mortale, vel veniale, quoad culpam, tollit ipſum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*. eadem quoque fuit ſententia Bellarmini.

At inquies, Duplex tantum Sacramentum mortuorum agnoſcunt Theologi, Baptiſmum & Pœnitentiam; igitur Extrema-unctio non remittit peccata mortalia, alioquin eſſet Sacramentum mortuorum.

Nego conſ. quia Sacramenta mortuorum ea ſolum dicuntur, quæ ex primario fine deſtinata ſunt ad remittenda peccata mortalia; Extrema autem unctio ea tantum remittit in dictis caſibus & ex ſecundaria intentione, unde perſæpe miniſtratur infirmis nullo peccato mortali obſtrictis, quod ſufficit ut non dicatur Sacramentum mortuorum, quod peculiariter competit Baptiſmo & Pœnitentiæ.

Quæres utrum Extrema-unctio imprimat caracterem, & iterari poſſit necne.

Reſp. 1. tametſi nemo contendebat Extremam-unctionem imprimere caracterem, tamen circa ejus iterationem valde diſſenſiſſe inter ſe nonnullos ex veteribus Theologis ſæculi duodecimi: volebant Goſridus Vindocinenſis & Ivo Carnotenſis eam non eſſe iterandam; contra vero Petrus Cluniacenſis & Magiſter ſententiarum; qua in re diverſa quoque fuit nonnullarum Eccleſiarum praxis.

Reſp. 2. non immerito prævaluiſſe ſen-

Digitized by Google

Reſp. affirmative, id enim expreſſe docet S. Jacobus his verbis, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*, in quem ſenſum ea intellexerunt SS. Patres & Concilia, tum vero libri Rituales in quibus funditur oratio eo fine, ut infirmis reſtituatur ſanitas corporis. Addit Eugenius IV. in ſuo decreto hanc corporis ſanationem non procurari, per Extremam-unctionem, niſi quantum expedit, *Effectus eſt mentis ſanatio, in quantum autem expedit etiam corporis*. quod etiam aſſerit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. *Et ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur* infirmus. Ex qua conſideratione ſolvitur objectio quæ in hanc ſententiam proponitur, dicendo Sacramenta ſuum ſemper habere effectum, cum a recte diſpoſitis ſuſcipiuntur, quod falſum eſt in hoc caſu, quia multi cum rectis diſpoſitionibus recipiunt Extremam-unctionem qui tamen corporaliter non ſanantur. Nam dicimus ex hoc Sacramento non ſequi ſemper corporalem ſanationem, ſed ſolum quando id expedit ad ſalutem, ut ait Concilium Tridentinum, *Ubi ſaluti animæ expedierit*. quæ quidem verba hunc effectum nonniſi conditionate produci a Sacramento indicant.

At inquies, Si hoc Sacramentum agit ex opere operato debet reddere ſanitatem omni infirmo recte diſpoſito.

Reſp. ſatis eſſe quod ſanitas corporis aliquando reddatur, quia, ut dicimus, effectus Sacramenti hac ex parte eſt conditionatus: unde Sacramentum quando reſtituit ſanitatem corporis, tunc agit ex opere operato: quibus adde hunc effectum non eſſe primarium hujus Sacramenti effectum.

Neque eſt quod dicatur ſanationem corporis plerumque reſpectu eorum qui periculoſe decumbunt in extremis poſiti, futuram eſſe miraculoſam, cum tamen conſtet Miniſtros Sacramentorum non debere Deum tentare, & miracula intendere. Namque negamus ejuſmodi ſanationem ægrotantium eſſe miraculoſam, ad miraculum enim ſatis non eſt, quod opus ſit ſupra naturæ vires poſitum, alioquin peccatoris juſtificatio foret miraculum, ſed debet eſſe præter ordinem a Deo conſtitutum & raro accidere.

Quæres utrum alleviatio animæ ſit effectus Sacramenti Extremæ-unctionis.

Reſp. affirmative, idque conſtat ex verbis S. Jacobi, *Et alleviabit eum Dominus*, ubi gratia promittitur, qua, ut ait Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema-unctione, *Ægroti animam alleviat & confirmat magnam in eo Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit*. Egregie id explicat Catechiſmus Concilii Par. II. de Extrema-unctione parag. 28. his verbis: *Nihil ad mortis tanquillitatem magis conducit, quam ſi triſtitiam abjiciamus, & læto animo Domini adventum expectemus .... ut igitur hac ſollicitudine fidelium mentes liberentur, animuſque pio & ſancto gaudio repleatur, Extremæ-unctionis Sacramentum efficit*.

Huc ſpectat quod Theologi dicunt, illud Sacramentum abſtergere peccati reliquias, puta quemdam animi torporem, debilitatem, & ad operandum bonum ineptitudinem, tum vero & reatum pœnæ temporalis, ut ſcribit S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 73. *Quia*, inquit, eo loci, *hoc Sacramentum eſt ultimum & quodam modo conſummativum totius ſpiritualis curationis*.

At, inquies, experientia docet fideles percepta unctione non exui vitioſis ſuis habitibus, & in priſtino manere animi torpore. Item ſi a reatu pœnæ temporalis hoc Sacramento liberarentur, nullum ſacrificium pro illis eſſet offerendum, timendus non eſſet ignis purgatorius; quod utique falſum eſſe probat Eccleſiæ praxis.

Reſp. præfatos effectus produci vi Sacramenti Extremæ-unctionis, ſed ita tamen ut neceſſariæ ſint certæ diſpoſitiones ex parte ſubjecti Sacramentum recipientis, quæ diſpoſitiones cum ignorentur & du-

& dubitetur quoque, an effectus totaliter productus fuerit, alia poſt mortem ſubſidia fidelibus commodat Eccleſia.

Quæres utrum Extrema-unctio remittat peccata.

Reſp. affirmative, nam id expreſſe docet S. Jacobus his verbis: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Tum & forma dudum apud Latinos recepta, *Per iſtam Unctionem indulgeat tibi Deus quicquid peccaſti per viſum, auditum, guſtum, &c.* Uti etiam teſtantur SS. Patres in locis ſuperius adductis; aiunt enim per Extremam-unctionem dari remiſſionem peccatorum, indulgentiam delictorum, animæ ſanitatem, hoc Sacramentum eſſe animæ medicinam, complementum pœnitentiæ, & alia id genus, quæ nonniſi de peccatis ipſis, non de pœna temporali peccatis debita, aut de peccatorum reliquiis explicari poſſunt. Unde Concilium Tridentinum utrumque diſtincte ponit peccata & peccatorum reliquias. Nec puto loquendum eſſe cum nonnullis Theologis qui dicunt Extremam-unctionem non delere peccata niſi per accidens; id enim competit huic Sacramento ex primaria ſui inſtitutione, ut ferunt verba S. Jacobi, *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*. Quæ verba ſumi debent in propria ſua ſignificatione, & de veris peccatis & de eorum remiſſione proprie dicta; quomodo etiam ſumi debent SS. Patres, Eugenius IV. Concilium Tridentinum, Rituales Epiſcoporum, ubi declaratur Extremam-unctionem remittere peccata, quod non poteſt intelligi niſi de peccatis quoad culpam.

Quærunt Theologi utrum Extrema-unctio per ſe remittat ſolum peccata venialia, ut multi volunt Theologi, aut remittat etiam mortalia.

Reſp. per Extremam-unctionem remitti quoque peccata mortalia, nam & S. Jacobus & Patres & Concilia loquuntur de peccatis indiſtincte, fideles quidem infirmi ante omnia & priuſquam inungantur, debent confiteri Sacerdotibus peccata ſua & per abſolutionem ſacramentalem peccatorum remiſſionem conſequi, ſed ſi poſtea in aliquod peccatum etiam mortale laberentur, quod utique Sacerdoti confiteri non poſſent, vel ſe commiſiſſe ignorarent, hujus remiſſionem conſequerentur per unctionem, ut ſatis denotant Jacobi verba, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Quo fundamento dicant quidam Theologi hoc non eſſe intelligendum niſi de peccatis venialibus, fateor me ignorare; ubique enim Extrema-unctio dicitur peccata remittere nulla facta diſtinctione mortalium aut venialium. Quin potius S. Thomas in ſupplem. q. 20. art. 1. rem expreſſe declarat, *Si invenit peccatum aliquod*, inquit, *vel mortale, vel veniale, quoad culpam, tollit ipſum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*. eadem quoque fuit ſententia Bellarmini.

At inquies, Duplex tantum Sacramentum mortuorum agnoſcunt Theologi, Baptiſmum & Pœnitentiam; igitur Extrema-unctio non remittit peccata mortalia, alioquin eſſet Sacramentum mortuorum.

Nego conſ. quia Sacramenta mortuorum ea ſolum dicuntur, quæ ex primario fine deſtinata ſunt ad remittenda peccata mortalia; Extrema autem unctio ea tantum remittit in dictis caſibus & ex ſecundaria intentione, unde perſæpe miniſtratur infirmis nullo peccato mortali obſtrictis, quod ſufficit ut non dicatur Sacramentum mortuorum, quod peculiariter competit Baptiſmo & Pœnitentiæ.

Quæres utrum Extrema-unctio imprimat caracterem, & iterari poſſit necne.

Reſp. 1. tametſi nemo contendebat Extremam-unctionem imprimere caracterem, tamen circa ejus iterationem valde diſſenſiſſe inter ſe nonnullos ex veteribus Theologis ſæculi duodecimi: volebant Gofridus Vindocinenſis & Ivo Carnotenſis eam non eſſe iterandam; contra vero Petrus Cluniacenſis & Magiſter ſententiarum; qua in re diverſa quoque fuit nonnullarum Eccleſiarum praxis.

Reſp. 2. non immerito prævaluiſſe ſen-

tentiam eorum qui aſſerunt iterari poſſe Extremam-unctionem ; quia ut aiebat Petrus Cluniacenſis, *Apoſtolus non ait, Infirmatur quis in vobis ſemel, ſed nulla mentione unius, bina vel terna unctionis facta, jubet nullo præfixo numero induci ad ægrum Presbyteros Eccleſiæ*. & ratio eſt quia illud Sacramentum iterari poteſt ſine injuria, quod habet effectum non perpetuum: ſed talis eſt Extrema-unctio cujus effectus eſt ſanitas mentis & corporis, Baptiſmus, v. g. Confirmatio & Ordo non iterantur; ſiquidem effectum habent perpetuum, quia conſecratio ſemper manet, ſic ratiocinatur S. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 73. his verbis, *Hujus Sacramenti inunctio ordinatur ad ſanandum, medicina autem ſanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur*.

Nunc tamen obſervatur in praxi, ut in eodem morbo ſemel tantum adminiſtretur hoc Sacramentum; ita ut tamen ait Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. *Si infirmi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint*.

Caput VII.

De neceſſitate Sacramenti Extremæ-unctionis.

Hoc Sacramentum eſt neceſſarium non neceſſitate quidem medii, ſed neceſſitate præcepti, tum Divini tum Eccleſiaſtici: tres ſunt hujus concluſionis partes.

1. Non eſt neceſſarium neceſſitate medii, quia illud ſolum eſt neceſſarium neceſſitate medii ſine quo ſalus obtineri non poteſt: ſed ſine Extrema-unctione ſalus haberi poteſt; quiſquis enim per abſolutionem Sacerdotis veniam peccatorum ſuorum conſecutus eſt, hoc ipſo ſalvari poteſt: igitur.

2. Neceſſarium eſt neceſſitate præcepti Divini, hæc enim S. Jacobi verba, *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ*, &c. expreſſum continent mandatum, quod merito cenſetur ab Apoſtolo promulgatum ex parte ipſius Chriſti Domini. Certe hic loquendi modus *inducat*, denotat mandatum non conſilium.

3. Neceſſarium eſt neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, ut patet ex continua Eccleſiæ praxi, ex antiquis Ritualibus, & multis etiam Conciliorum decretis. Theodorus Cantuarienſis, in ſuo pœnitentiali ſic loquitur, *Sacra unctione olei inuncti ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum communione Viatici reficiantur*. Con. Cabillonenſe II. c. 48. *Secundum B. Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo quod ab Epiſcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent*. Quamobrem ægrotans graviter peccaret qui ex contemptu hoc Sacramentum recipere nollet, *Nec vero*, inquiunt Patres Tridentini c. 3. *tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere & ipſius Spiritus Sancti injuria eſſe poſſet*.

Caput VIII.

Quo tempore adminiſtrari debeat Sacramentum Extremæ-unctionis, utrum ante vel poſt Viaticum.

Certum eſt, uſitatum olim fuiſſe in Eccleſia, ut ante Viaticum infirmis adminiſtraretur Extrema-unctio. In Sacramentario S. Gregorii M. quod ex Mſſ. Corbeienſi edidit Menardus, legitur pag. 253. poſt recitatas preces unctionis infirmorum, *Deinde communicet cum Corpore & Sanguine Domini*. ſimiliter in Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis tom. 1. pag. 326. poſt preces quæ uſurpabantur in unctione infirmorum ſtatim additur, *Poſt hæc communicetur*. in Concilio Aquiſgranenſi an. 836. legitur Can. 5. *Si quis infirmitate depreſſus fuerit ne confeſſione atque oratione ſacerdotali, necnon unctione ſacrificati olei per ejus negligentiam careat. Denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam Chriſtianam Domino Deo ſuo more ſacerdotali cum acceptio-*

Digitized by Google

ne ſacræ Communionis. De illa praxi dubitari non poſſe probat Sambovius in tract. de Sacramento Extremæ-unctionis, ex eo quod multi Autores qui vitas aliorum deſcripſerunt, cum referunt illos proxime morituros ſanctis Sacramentis fuiſſe munitos, Extremam-unctionem ſemper commemorant ante Viaticum. Idem rurſus confirmat ex ſtatutis Congregationis Cluniacenſis ſub Hugone, ex decretis Lanfranci pro Ordine ſancti Benedicti, & demum ex eo quod eadem praxis etiamnum viget in Ordine Ciſtercienſi.

Dehinc qui plura hujus diſciplinæ monumenta legere voluerit, conſulat librum ea de re typis datum ab eruditiſſimo Joanne Launoio Pariſienſi Magiſtro cui hic titulus eſt, *Explicata vetus Traditio de data infirmis poſt unctionem Euchariſtia*. ubi imprimis multa variarum Eccleſiarum Ritualia recenſet, in quibus, cum deſcribuntur Sacramenta infirmis dari ſolita, Euchariſtiæ ſemper præmittitur unctio. Extant duo Rituales libri Eccleſiæ noſtræ Cenomanenſis quæ ſemper venerandæ antiquitatis fuit amantiſſima, quorum prior eſt anni 1556. poſterior anni 1604. qui eamdem exhibent praxim. Talis diſciplina hoc nitebatur momento quod Extrema-unctio ſit Sacramenti Pœnitentiæ complementum, per quam videlicet delentur peccatorum reliquiæ, quo fit ut infirmum reddat magis diſpoſitum ad ſacram Euchariſtiam digne recipiendam; adeoque deceat maxime, ut Communioni præmittatur.

Verum ad initium poſtremi ſæculi mutata fuit ea in re Eccleſiarum diſciplina, ut teſtatur Bellarminus lib. 2. de arte bene vivendi cap. 7. his verbis, *Noſtro tempore invertitur ordo non ſine juſtiſſima cauſa, ſæpe enim accidit ut Extrema-unctio, ne terreantur ægroti, differatur in longum tempus, & periculum eſt, ne iterum ægrotus vel uſum rationis amittat, vel alia de cauſa reddatur inhabilis ad Euchariſtiam rite percipiendam. Ideo igitur Viaticum noſtro tempore præmittitur, melius eſt enim ut inverſo ordine Sacramenta ita miniſtrentur ægrotis, quam ut altero eoque ſaluberrimo priventur*. qui quidem uſus jam in omnibus fere Eccleſiis obtinet.

Eandem diſciplinam ſtatuit Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum, *Illud*, inquit, *imprimis ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut ſi tempus & infirmi conditio permittat, ante Extremam-unctionem Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta infirmis præbeantur*. & S. Carolus in inſtructionibus: *Idcirco*, inquit, *in eo miniſtrando uſum conſuetudinemque hanc tenebit, ut ſi fieri poteſt, infirmum non ante ungat, quam peccata confeſſus ſit, ac præterea ſacram Euchariſtiam ſumpſerit, aut ſaltem ſit confeſſus, ſi forte non potuerit infirmus ob ſtomachi gutturisve impedimentum ſacram Communionem ſumere*.

Quod ſi quæratur cui tandem ſtandum ſit diſciplinæ, quis uſus ſit retinendus.

Reſpondeo in praxi teneri Sacerdotes obſervare quod in Ritualibus ſuæ Diœceſeos præſcriptum eſt, juxta illud Concilii Tridentini ſeſſ. 7. Can. 13. *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut in novos alios per quemcunque alium Eccleſiæ Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit*. Quapropter nil impedit quominus Epiſcopi vel antiquam Eccleſiarum ſuarum conſuetudinem ſervent, vel obſoletam reſtituant. Prudenter admodum Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles Pariſienſis Archiepiſcopus ſtatuit in ſuo Rituali relinquendum eſſe arbitrio infirmorum ut Extremam-unctionem ante vel poſt Viaticum recipiant: *Secundum*, inquit, *conveniens eſſe, ut cum diverſis temporibus Extrema-unctio & Euchariſtia infirmo præbendæ ſunt, Euchriſtiam ſequatur Extrema-unctio, ne ſi aliter fiat, ægrotus nimis vitæ quaſi deſperatæ timore perculſus, aut omnino animo concidat, aut a recipiendis refugiat Sacramentis. Si tamen devotio infirmi aliud poſtulaverit, id ei concedatur*.

TRA-

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO ORDINIS.

Caput Primum

De Nomine & Definitione Ordinis.

Nomen Ordinis latius patet quam Sacramentum Ordinis, ſeu Ordinationis; ſunt enim in Eccleſia ſeptem Ordines, ut poſtea dicetur, & unicum eſt Sacramentum ſacræ Ordinationis. Scilicet ſi ſpectetur propria verborum ſignificatio, nomen Ordinis hic ſignificat gradum quemdam Eccleſiaſticum. Ordinatio vero ſeu Sacramentum Ordinis eſt cæremonia, qua quis ordinatur ſeu conſecratur Miniſter. Porrò uſitatum eſt in Eccleſia, ut Ordinatio Miniſtrorum dicatur Sacramentum Ordinis. Quin & in primis Eccleſiæ temporibus Miniſtri vocabantur *Ordo*, quo nomine a Laicis diſtinguebantur, ut liquet ex hoc Tertulliani loco, lib. de exhortatione caſtitatis, cap.7. *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ autoritas;* quod non impedit, quominus, ut infra dicemus, Ordo ſeu Miniſtrorum Ordinatio non ſit inſtitutionis Divinæ etiam in mente Tertulliani.

Definitur *Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, quo poteſtas ſpiritualis traditur Ordinatis, & gratia inſuper ad rite obeunda miniſteria Eccleſiaſtica.*

Sacramentum quidem eſt novæ legis, hoc eſt ſignum externum & ſenſibile a Chriſto inſtitutum, ut mox oſtendetur; actio videlicet qua Miniſtri conſecrantur, quæ nuncupatur Ordinatio. *Quo poteſtas ſpiritualis traditur*. In Ordinatione enim Sacerdotum multiplex eis datur poteſtas ac præſertim conficiendi Corpus Chriſti, & remittendi ac retinendi peccata. *Et gratia ad rite obeunda*, &c. Hoc enim peculiare ſibi vindicat hoc Sacramentum, quod non ſit potiſſimum ad propriam ſuſcipientis perfectionem inſtitutum, ſed aliorum in primis ſalutem ſpectet, quatenus in eo datur poteſtas & gratia Sacerdotibus, ut digne & rite alia Sacramenta Fidelibus adminiſtrent.

Hæc porro examinanda ſunt ſigillatim in hoc tractatu: 1. utrum Ordo ſit Sacramentum novæ legis; 2. de materia Ordinis; 3. de ejus forma; 4. de Miniſtro; 5. de ſubjecto; 6. de Ordinis effectibus; 7. de numero Ordinum, & de ſingulis in particulari: quibus adjungemus appendicem de Cœlibatu.

Caput II.

Utrum Ordo ſit Sacramentum novæ legis.

Cum ſeptem vulgo a Theologis diſtinguantur Ordines, neque conſtet apud omnes Catholicos, ſingulos Ordines veram habere rationem Sacramenti, nonnullis affirmantibus ſolam Presbyteratus Ordinationem ſibi veram Sacramenti rationem vindicare; hæc quæſtio non proponitur de ſingulis Ordinibus, qualis agitari ſolet inter Theologos, & quam poſtea examinabimus; ſed de Ordine in genere, ſeu de ſacra Miniſtrorum Ordinatione, quæ quidem controverſia movetur adverſus Hæreticos; an ſcilicet

ali-

aliquis Ordo ſeu Ordinatio ſit Sacramentum novæ legis proprie dictum. Id negant Novatores Lutherani & Calviniſtæ.

Lutherus quidem acriter ea de re diſputat lib. de captivitate Babylonica cap. de Ordine adverſus Catholicos, qui Ordinationem reponunt inter Sacramenta novæ legis, cui aſtipulantur Chemnitius in ſecunda parte examinis, & Illyricus in confeſſione Antuerpienſi c. 11. quid autem hoc in negotio ſenſerit Calvinus non conſentiunt Catholici Theologi, quod nempe ex una parte teſtatur ſe non invitum pati Ordinationem vocari Sacramentum, ex altera vero negat ritum hunc fuiſſe a Chriſto inſtitutum, ut ut ſit, Ordinationem eſſe Sacramentum novæ legis proprie dictum, negant hodie Calviniſtæ, ut patet ex Chamiero inter illos moderno Theologo, volunt enim ex inſtitutione Chriſti nullam eſſe diſtinctionem Clericorum a Laicis, ſed Chriſtianos omnes quatenus Sacerdotes eſſe & Evangelii Miniſtros; his Novatoribus præiverat Wiclefus, ut teſtatur S. Thomas Valdenſis tom. 2. de Sacramentis cap. 7. in quos omnes ſit

Conclusio.

Ordinatio eſt verum novæ legis Sacramentum.

Probatur 1. quia ſignum ſenſibile inſtitutum a Chriſto conferens gratiam & perpetuo retentum in Eccleſia eſt Sacramentum novæ legis proprie dictum; ſed talis eſt Ordinatio ſeu Conſecratio Miniſtrorum.

1. Eſt ſignum externum, ſcilicet impoſitio manuum, ut conſtat ex multis Scripturæ locis, nam Act. cap. 13. legitur Paulum & Barnabam ordinatos fuiſſe Epiſcopos per impoſitionem manuum, *Miniſtrantibus illis Domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos*. I. Timothei 4. *Cum impoſitione manuum Presbyterii*, & II. cap. 1. *Per impoſitionem manuum mearum*. igitur Ordinatio poſita eſt in aliquo ſigno externo & ſenſibili ex Scripturis.

2. Ejuſmodi ſignum fuit a Chriſto inſtitutum; tum quia locus mox citatus id aperte denotat, a ſancto enim Spiritu fertur hoc mandatum Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam*: unde ibidem cap. 20. *In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos*; Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores*. quæ quidem oſtendunt varios a Chriſto inſtitutos fuiſſe Miniſtrorum Ordines, quorum ſcilicet officia diſtincta ſunt, ut etiam declarat I. Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei*. & II. ad Corint. 3. *Idoneos nos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti*. quod & inſuper aperte habetur ad Hebr. cap. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum glorificavit ut Pontifex fieret*. tum quia juxta regulam certam a nobis ſæpius datam, Apoſtoli non auſi fuiſſent propria autoritate & ſine Chriſti mandato inſtituere ſignum quod dixiſſent gratiæ Divinæ collativum: igitur Ordinatio Miniſtrorum fuit a Chriſto inſtituta & mandata.

3. Ordinatio confert gratiam Miniſtris, ut expreſſe habetur in locis jam citatis, & inſuper I. Timot. cap. 4. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, per impoſitionem manuum Presbyterii*. & II. ad eundem c. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. quibus addi poteſt quod Chriſtus ipſe in Apoſtolos inſufflans, dixerat Joan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: igitur Ordinatio Miniſtrorum Eccleſiæ iis confert gratiam ſanctificantem.

4. De-

4. Demum illud ſignum externum fuit perpetuum in Eccleſia; fuerunt enim ſemper Epiſcopi & Sacerdotes ab ipſo Chriſto ad nos uſque, iique poteſtatem obeundi functiones Eccleſiaſticas acceperunt per aliquem ritum externum, qui modo dicitur Ordinatio, modo Conſecratio, ab aliis impoſitio manuum, & qui ſemper habebatur verum novæ legis Sacramentum, uti conſtat ex conſtanti & perpetua traditione: igitur Ordinatio eſt Sacramentum novæ legis proprie dictum.

Probatur 2. ex SS. Patribus, ſcilicet primis Eccleſiæ ſæculis jam compoſita erat hierarchia Eccleſiaſtica, ut patet ex S. Irenæo lib. 4. cap. 43. ex Origene Homil. 2. in Num. & ex Tertulliano lib. de Monogamia, c. 11. ubi ſic loquitur, *Qualis es id matrimonium poſtulans, quod eis a quibus poſtulas non licet habere, ab Epiſcopo monogamo, a Presbyteris & Diaconis ejuſdem Sacramenti*. hanc diſpoſitionem acceperant Eccleſiæ a Chriſto & Apoſtolis. Scilicet volunt illi Patres ſucceſſioni Epiſcoporum junctam eſſe veritatem doctrinæ, unde audiendi non ſunt, nec pro Apoſtolorum ſucceſſoribus agnoſcendi qui illorum doctrinæ & traditionibus adverſantur, juxta illud S. Ignatii epiſt. ad Trallianos, *Neceſſarium eſt ut ſine Epiſcopo nihil agatis, ſed & Presbyterio ſubditi ſitis, ut Apoſtolis Jeſu-Chriſti*.

Item illorum Miniſtrorum Ordinationem Sacramentum diſerte appellant Patres multi; ita S. Auguſtinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. *Ipſi explicent*, inquit, *quomodo Sacramentum baptiſati non poſſit amitti, & Sacramentum Ordinati poſſit amitti. Si enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda eſt*. ubi S. Doctor probat contra Donatiſtas non magis Ordinem iterandum eſſe quam Baptiſmum, quod peræque Sacramentum eſt ac Baptiſmus, & qua de re, inquit, *Nemo dubitat*. idem repetit lib. de Baptiſmo cap. 1. ac ſimiliter S. Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos totus eſt ut oſtendat non minus validas eſſe Ordinationes ab Hæreticis datas quam Baptiſmum. S. Leo epiſt. 1. cap. 3. *Quis ergo diſſimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam*.

Præterea multi ex SS. Patribus dicunt per Ordinationem conferri gratiam, S. Ambroſius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. ſic loquitur, *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit ſupplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera*.

Item S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, *Sacerdotium*, inquit, *in terra peragitur, ſed in rerum cœleſtium claſſem, Ordinemque referendum eſt, quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ejuſmodi Ordinem diſpoſuit .... tum probe intelliget quanto Sacerdotis honore, quanta dignitate, quanta Spiritus ſancti gratia dignata fuerit*. eo loci Sacerdotium a Deo dicitur inſtitutum & gratiam producere.

S. Gregorius M. hæc habet in cap. 16. lib. I. Regum, *In eum cui Ordo datur, Spiritus dirigitur, ut foris ſublimitatem ſuſcipiat Ordinis, & intus robur Spiritus ſancti, foris Ordo committitur. ut quæ Dei ſunt agere debeat, intus dirigitur Spiritus, ut quod injungitur potenter agat*. quam doctrinam unanimi conſenſu amplexi ſunt omnes Theologi nullo refragrante poſt S. Thomam qui lib. 4. in ſent. diſt. 24. q. 1. art. 1. ſic loquitur, *Ordo ab omnibus enumeratur inter ſeptem Sacramenta Eccleſiæ*.

Quocirca hæc merito ſanxit Tridentina Synodus ſeſſ. 23. Can. 3. *Si quis dixerit Ordinem, ſive ſacram Ordinationem, non eſſe vere & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi Miniſtros verbi Dei & Sacramentorum, anathema ſit*. Can. 4. *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſan-*

Digitized by Google

ſanctum . . . . . anathema ſit, & Can. *6. Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam Divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit*.

Objicies, In Scripturis omnes Chriſtiani dicuntur Sacerdotes, ſic in Apocalypſi cap. 5. S. Joannes ait, *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes*, & S. Petrus I. epiſt. c. 2. *Vos genus electum, regale Sacerdotium*, igitur peculiare non eſt Sacerdotium in Clericis.

Reſp. id intelligendum eſſe de Sacerdotio myſtico & metaphorico, quatenus Chriſtiani offerunt Deo preces, bona opera, & ſpirituales hoſtias, & ita quodam modo dici poſſunt Sacerdotes, *Offerte*, ait ibidem S. Petrus, *ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Chriſtum*, quo ſenſu tribuitur Fidelibus regnum, *Vos genus electum, regale Sacerdotium*, quod profecto intelligi non poteſt de regno proprie dicto, ſed de regno metaphorico.

Objicies: In Ordinatione nihil eſt ſenſibile, nihil materiale: ſed omne Sacramentum continet aliquid ſenſibile, aliquid materiale juxta illud S. Auguſtini, *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum:* ergo Ordinatio non eſt Sacramentum.

Reſp. impoſitionem manuum eſſe ſignum externum & ſenſibile, licet non ſit aliquid materiale ſtricte loquendo, ut diximus in tractatu de Sacramentis in genere. Neque litteraliter in rigore accipi debet hoc S. Auguſtini effatum; aliter Euchariſtia non eſſet Sacramentum; panis & vinum non ſunt elementa.

Obj. Nequaquam impoſitio manuum deſignat Sacramentum Ordinationis, quia mos erat antiquitus, ut in omnibus fere ritibus uſurparetur, ſcilicet manus imponebantur pueris, ægrotis, pœnitentibus, in creatione Magiſtratuum, &c. igitur.

Reſp. hoc argumento probari duntaxat impoſitionem manuum eſſe loco materiæ in Sacramento Ordinis, quod ultro fatemur; eſt enim cæremonia externa & ſenſibilis quæ ut ad materiam pertinet, communis eſt alteri Sacramento nimirum Confirmationi, aliiſque etiam ritibus tum politicis tum Eccleſiaſticis. Et hoc pacto ſolvitur quod dicunt Calviniſtæ, manus plerumque impoſitas fuiſſe Apoſtolis ad apoſtolatum, qui apud nos non habetur Sacramentum.

Inſtabis: Ex adductis Scripturæ locis quæ mentionem faciunt impoſitionis manuum, colligi ſolum poteſt impoſitionem manuum tunc temporis uſurpatam fuiſſe, ſeu admittendos Apoſtolos, ſeu ab Apoſtolis admittendos diſcipulos qui Chriſti Evangelium annuntiarent: ſed gratis aſſeritur hanc manuum impoſitionem fuiſſe inſtitutam in ratione Sacramenti, uſurpare enim non eſt inſtituere: igitur.

Reſp. in pleriſque Scripturæ locis ſuperius adductis haberi non ſolum impoſitionem manuum fuiſſe uſurpatam, ſed & eandem a Chriſto inſtitutam & demandatam, Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam*, & cap. 20. *In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos*. Ergo ordinati ſunt a Deo Epiſcopi, & quidem ut per Eccleſias conſtituerent Presbyteros, adeoque hæc impoſitio manuum fuerat a Chriſto præcepta & demandata, præſertim cum per eam danda promitteretur Dei gratia, ut diximus ſupra.

Objicies: Si Ordinatio fuiſſet a Chriſto inſtituta, Sacerdotes a Laicis differrent jure divino: ſed contrarium docet Tertullianus lib. de exhort. caſtit. c. 7. *Differentiam*, inquit, *inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas*. Scilicet probat Tertullianus Laicis non licere ſecundas nuptias, quia non licent Sacerdotibus, & aliunde Laici omnes ſunt Sacerdotes, *Nonne*, inquit, *& Laici Sacerdotes ſumus? ſcriptum eſt: Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & patri ſuo fecit:* igitur.

Reſp. 1. Tertullianum ſatis aperte indicare ibidem differentiam Sacerdotum a Laicis utroque jure divino & humano ſtabi-

Digitized by Google

ſtabiliri; addit enim poſt citata verba, *Et honor per Ordinis conceſſum ſanctificatus a Deo*. Quibus verbis agnoſcit Tertullianus poteſtatem Ordinis eſſe a Deo conſtitutam.

Reſp. 2. Tertullianum loqui de Sacerdotio late & improprie dicto, cum ait Laicos eſſe Sacerdotes, quia Laici, cum ſunt Chriſtiani, nonnulla obeunt munia, baptizant, offerunt, &c. ac proinde in ſenſu figurato & improprie dicto ſunt Sacerdotes.

Obj. Gratia quæ in locis Scripturæ allatis data dicitur per impoſitionem manuum, non eſt gratia ſanctificans, ait enim Apoſtolus I. Timot. cap. 4. ejuſmodi gratiam fuiſſe datam per Prophetiam hoc eſt ad Prophetiam, ad prædicandum Evangelium non autem ad ſanctificandum Timotheum, quod tamen neceſſe foret, ut illa manuum impoſitio indicaret Sacramentum; omne enim Sacramentum ex ratione Sacramenti debet efficere gratiam ſanctificantem. Id confirmatur ex eo quod vox illa græca, qua utitur Apoſtolus Χάρισμα, ſignificat gratiam gratis datam, quam vocem multi Patres explicant de poteſtate evangelizandi: igitur præfata Scripturæ loca non probant Ordinationem eſſe Sacramentum.

Nego conſ. tametſi enim concedatur hanc vocem *Chariſma* indicare gratiam gratis datam, & revera tunc per impoſitionem manuum datum fuiſſe Timotheo prophetiæ donum, tamen minus bene colligitur eidem datam non fuiſſe gratiam ſanctificantem; etſi enim Apoſtoli in die Pentecoſtes acceperint dona Spiritus ſancti, dona linguarum, prophetiæ, miraculorum, &c. non inde ſequitur eos perinde non accepiſſe gratiam ſanctificantem ſeu charitatem quæ in cordibus Fidelium diffunditur.

Porro per illa verba *per prophetiam* ſignificat Apoſtolus datam fuiſſe gratiam Timotheo per prophetiam præcedentem, quæ nimirum præceſſerat ut ordinaretur Epiſcopus, ut patet ex his verbis ejuſdem epiſtolæ, cap. 1. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, ſecundum præcedentes prophetias, ut milites in illis bonam militiam*.

Quod autem pro gratia græce habeatur Χάρισμα apud Apoſtolum, nihil inde conficitur, quia vox illa græca ſignificat quodlibet donum ſeu gratiæ gratis datæ, ſeu gratiæ gratum facientis, ſed eo loci ſignificare gratiam gratum facientem recte colligitur ex eo quod ſubdit Apoſtolus verſu ſequenti, *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis & dilectionis & ſobrietatis*.

Objicies, Ex Catholico ſyſtemate Apoſtoli fuerunt ordinati Sacerdotes in ultima Chriſti Cœna, nec apparet id præſtitum fuiſſe per impoſitionem manuum: ergo impoſitio manuum nunc facta ab Epiſcopis non eſt Sacramentum novæ legis.

Nego conſ. potuit enim Chriſtus nullo obſervato ritu externo adeoque ſine Sacramento, Apoſtolos ordinare Sacerdotes, & tamen præcipere ut impoſterum non crearentur Miniſtri ſeu Epiſcopi, ſeu Presbyteri aliter quam per impoſitionem manuum, quod ita demandatum fuiſſe a Chriſto, abunde probat Eccleſiæ traditio. Deinde nemo ſcit an manuum impoſitionem tunc non uſurpaverit Chriſtus, adeoque tam confidenter affirmari non debet.

Obj. Sacramenta novæ legis inſtituta ſunt ad propriam ſuſcipientium ſanctificationem: ſed Ordinatio Miniſtrorum inſtituta non eſt ad ſanctificationem ſuſcipientium, bene vero ad functiones eccleſiaſticas rite obeundas: per eam enim creantur Miniſtri, & datur poteſtas ſpiritualis exercendi miniſteria eccleſiaſtica: igitur Ordo non eſt Sacramentum, ſed mera diſputatio, mera cæremonia externa.

Nego min. tametſi enim concederetur Ordinationem primo & per ſe ordinari ad conferendam Miniſtris poteſtatem conficien-

ficiendi aut adminiſtrandi Sacramenta, tamen verum eſt per illam Ordinationem dari gratiam, qua digne fiat talis adminiſtratio, ut clare denotant citata S. Pauli verba, *Noli negligere gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum Presbyterii*.

CAPUT III.

An quilibet Ordo ſit Sacramentum.

NOn ſolum a Theologis ſed & ab Eugenio IV. in ſuo decreto & a Concilio Tridentino ſeſſione mox citata, ſeptem diſtinguuntur Ordines, ſcilicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum & Oſtiariorum. Duos alios adjungunt Canoniſtæ, videlicet Epiſcopatum & Tonſuram, de quibus ſingulis ſigillatim poſtmodum diſſeremus; nunc quæritur an ratio Sacramenti cuilibet horum Ordinum competat, qua de re diſſentiunt inter ſe Theologi.

1. Fatentur omnes Catholici, Ordinem Sacerdotum ſeu Presbyteratum, eſſe proprie dictum Sacramentum; cum enim doceat Catholica fides Ordinem eſſe unum e ſeptem Sacramentis, id intelligi ſaltem debet de Sacerdotio ſeu de Presbyteratu.

2. Circa Diaconatum non una eſt omnium Theologorum opinio; nam Durandus, Cajetanus & Maldonatus contendunt Diaconatum non fuiſſe a Chriſto, ſed ab Apoſtolis inſtitutum, adeoque non eſſe Sacramentum proprie dictum cæteris Theologis communiter oppoſitum tenentibus.

3. Volunt multi Diaconatum eſſe Sacramentum, ſed iſtud negant de Subdiaconatu, de quo ajunt nullum haberi verbum in Scripturis, ita Hugo a S. Victore, Magiſter ſententiarum, Gratianus, Morinus, &c.

4. Alii & Subdiaconatum fatentur eſſe Sacramentum: negant vero id competere ulli e quatuor Minoribus Ordinibus, ita Dominicus Soto, Medina, Vaſquez, & alii quidam.

5. Demum alia eſt Theologorum opinio, qui aſſerunt ſingulos ſeptem Ordines veram habere rationem Sacramenti; ita S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Bellarminus, Iſambertus & alii nonnulli. Quid in tanta opinionum varietate de ſingulis Ordinibus ſentiamus, jam nobis aperiendum eſt.

PRIMA CONCLUSIO.

Presbyteratus eſt Sacramentum proprie dictum.

Probatur ex iis momentis quæ adducta ſunt ſuperius, ut Ordini in communi ſeu Ordinationi aſſereretur ratio Sacramenti; quæcunque enim probant Ordinem eſſe Sacramentum, Presbyteratui maxime competunt. Scilicet Presbyteratus eſt ſignum ſenſibile gratiæ productivum, ut patet ex his Apoſtoli teſtimoniis, *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*. I. ad Timoth. 4. & iterum, *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum*. II. epiſt. cap. 10.

Deinde Presbyteratus fuit a Chriſto Domino inſtitutus; ut enim ſuperius dictum eſt, Chriſtus inſtituit Miniſtros quibus conceſſit poteſtatem conficiendi Corporis Chriſti Luc. 22. & remittendi peccata Joan. 20. ii autem Miniſtri ſunt Sacerdotes. Cætera traditionis & SS. Patrum Oracula, non referimus in re minime neceſſaria, qui enim ſentiunt Ordinem in communi eſſe Sacramentum novæ legis, fatentur id merito dici de Presbyteratu, quod utique ſupra oſtendimus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Diaconatus ſeu Diaconorum Ordinatio veri nominis Sacramentum eſt.

Probatur quia Diaconatui competunt

 omnia

Digitized by Google

omnia quæ ad Sacramentum proprie dictum requiruntur.

1. Eſt ſignum ſenſibile, conſiſtit enim in oratione juncta cum manuum impoſitione per quam ordinantur Diaconi & ordinati fuere ab Apoſtolis Act. 6. cum electi fuiſſent ſeptem primi Diaconi, *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.*

2. Signum illud producit gratiam; fruſtra enim impoſitioni manuum oratio jungeretur, niſi perſuaſum eſſet per illam dari Spiritum ſanctum, oratio quippe eſt gratiæ invocatio. Unde in Ordinatione Diaconorum Epiſcopus pronuntiat, *Accipe Spiritum ſanctum.*

3. Diaconatus merito cenſetur a Chriſto inſtitutus, quia tam inſigne miniſterium, cui annexum erat ad altare Sacerdotibus miniſtrare, verbum Dei annuntiare, in abſentia Sacerdotum baptizare, &c. debet proinde conferre gratiam, cujus beneficio rite ac digne ejusmodi munia impleantur. Certe Apoſtoli Diaconatum, cui annexam promiſiſſent gratiam, inſtituere proprio motu ac conferre non auſi eſſent, niſi id ipſis fuiſſet a Chriſto demandatum. Unde Concilium Trident. videtur ad inſtitutionem Divinam revocare Diaconatum, cum ait ſeſſ. 23. Can. 6. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris, anathema ſit*, hoc enim vocabulo *Miniſtris*, intelliguntur ii qui ſubſunt Presbyteris in hierarchia eccleſiaſtica, quos inter primas tenent Diaconi, qui ſimpliciter per excellentiam dicuntur *Miniſtri* apud SS. Patres & Concilia.

Deinde de Chriſti mandato inſtitutos fuiſſe Diaconos aperte profitentur veteres, unum in hac ſynopſi, qui loco erit cæterorum, appellabo S. Ignatium qui epiſt. ad Trallianos num. 3. ſic loquitur, *Cuncti revereantur Diaconos, ut mandatum Jeſu Chriſti*, & in epiſt. ad Magneſianos loquens de Diaconis, *Quibus*, inquit, *commiſſum eſt miniſterium Jeſu-Chriſti*. Unde ſic eos alloquitur Pontifex, cum ordinatur, *Provehendi filii chariſſimi, ad Leviticum Ordinem cogitate magnopere ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis, Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare & prædicare.*

Objicitur autoritas S. Cypriani qui expreſſe teſtatur Diaconos nonniſi ab Apoſtolis fuiſſe electos epiſt. 65. ad Rogatianum, *Meminiſſe*, inquit, *Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos ac Præpoſitos Dominus elegit. Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cœlos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros*, ubi S. Cyprianus Diaconorum electionem electioni Epiſcoporum opponit, in eo quod iſti ſint a Chriſto, illi vero ab Apoſtolis conſtituti: igitur.

Reſp. hoc ſenſu recte explicari poſſe S. Cypriani contextum, quod Chriſtus per ſeipſum non ordinaverit Diaconos, ſicut elegerat Apoſtolos, ſed inde non ſequitur quod non inſtituerit Diaconatum, quod non præceperit Apoſtolis, ut Diaconos deinceps ordinarent in Miniſtros Sacerdotum; neque enim ignorabat S. Cyprianus quæ de Diaconis mox retulimus. Præterquam quod eo loci cujusdam Diaconi ſuperbiam vult retundere; quod idem reſpondetur objectioni quæ petitur ex S. Hieronymo qui, epiſt. ad Evangelium, non habet Diaconos, niſi ut menſarum, & curæ viduarum Miniſtros, id referens ad ſecundarium illorum officium, & minime negans eos ad aliud longe præſtantius ac ſublimius eſſe deſtinatos; nam ibidem comparat Diaconos veteribus Levitis, & dialogo adverſus Luciferianos docet multos eſſe gradus in Eccleſia, *Ad ultimum*, inquit, *Diaconis Presbyteris & Epiſcopis finitur*, exiſtimans proinde Diaconos fuiſſe a Chriſto inſtitutos perinde ac Epiſcopos & Presbyteros.

Obj. De fide eſt ſeptem tantum eſſe Sacramenta novæ legis nec plura nec pauciora, ut definivit Concilium Tridentinum.

num: ſed ſi Diaconatus eſſet Sacramentum, jam plura quam ſeptem eſſent Sacramenta; neque enim dici poſſet Diaconatum eſſe idem Sacramentum Ordinis cum Presbyteratu, tum quia differunt natura & ſpecie, quatenus diverſam habent materiam, diverſam formam, & diverſum effectum, non poſſunt dici unum & idem eſſe ſignum, una eademque actio, cum diverſis temporibus conferantur, tum quia licet dicerentur ad idem genus Sacramenti Ordinis aliquo modo referri, non inde cenſeri deberent ad idem Sacramentum pertinere, quia Baptiſmus & Confirmatio ſunt ſub eodem Sacramenti genere, & tamen duo ſunt ſpecie Sacramenta: igitur Diaconatus non eſt de ſe Sacramentum, niſi dicantur eſſe octo Sacramenta, quatenus Ordo aliud erit Sacramentum a Sacerdotio. Quæ quidem objectio æque militat adverſus ſententiam quæ aſſerit Epiſcopatum eſſe Sacramentum.

Reſp. non multiplicari numerum Sacramentorum, eo quod Diaconatus dicatur Sacramentum uti & Sacerdotium, quia differunt quidem differentia Ordinis habentes diverſa munia in miniſterio Eccleſiaſtico, ſed non differunt differentia Sacramenti, eo quod ad idem Ordinis Sacramentum pertinent, quatenus eundem finem puta confectionem & adminiſtrationem Corporis Chriſti in Euchariſtia ſpectant quanquam diverſimode, unde ſunt diſtincti Ordines, unum tamen Sacramentum.

Reſp. alii diſtinguendo, plura erunt Sacramenta quam ſeptem generatim, C. ſpeciatim, N. cum enim, inquiunt, ſeptem dicuntur eſſe Sacramenta, id dicitur generatim, quia etſi Diaconatus, Presbyteratus & Epiſcopatus ſpeciatim ſint Sacramenta, ſunt tamen ſub uno & eodem genere Sacramenti Ordinis, quemadmodum ſeptem Ordines ſunt ſub eodem genere Ordinis: juxta hunc loquendi modum, habet Ordo plura ſub ſe Sacramenta ſpecialia, ſed generice unum eſt Sacramentum.

Objectionem quæ ducitur ex eo quod miniſterium Diaconorum fuit mere prophanum, quatenus creati fuere Diaconi tanquam menſarum & viduarum Miniſtri, nec Scriptura ullius functionis ſpiritalis meminit, cum ſeptem priorum Diaconorum ab Apoſtolis electorum inſtitutionem deſcribit citato c. *6.* Actuum Apoſtolor. hanc, inquam, objectionem dilutam habes infra, cum de Diaconatu agetur.

Quæres an de fide ſit Diaconatum eſſe Sacramentum.

Gonetus affirmat hanc aſſertionem, qua Diaconatus dicitur verum Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ita videri certam, ut oppoſita ad minus temeraria ſit: verum meo quidem judicio fallitur iſte Theologus.

Ratio eſt, quia non defuere Theologi & quidem clariſſimi, qui hanc tenuerunt opinionem, qua aſſeritur Diaconatum non eſſe Sacramentum, videlicet Durandus diſt. 24. qu. 2. Cajetanus in addit. ad 3. Maldonatus diſputatione de Ordine, eam cenſet probabilem uti & Franciſcus a Victoria. Aliunde vero cæteri Theologi præter Gonetum declarant hanc quæſtionem eſſe problematicam, *De Diaconis*, inquit Bellarminus de Sacramento Ordinis c. *6. valde probabile eſt eorum Ordinationem eſſe Sacramentum, licet id non ſit certum ex fide; quod non ſit certum ex fide patet, quia id non poteſt evidenter deduci ex verbo Dei ſcripto vel tradito, neque extat ulla Eccleſiæ de hac re expreſſa determinatio.*

Neque peremptorium eſt argumentum quod petitur ex Can. *6.* ſeſſ. 23. Concilii Tridentini, ubi ſic habetur, *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam Divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris, anathema ſit*, quaſi definiatur eo loci, Diaconos qui nomine Miniſtrorum deſignantur, fuiſſe a Chriſto inſtitutos. Namque & ſi ſupponeretur definitum a Patribus Tridentinis Diaconatum fuiſſe

a Chri-

a Chriſto immediate inſtitutum, quod utique certum non eſt, tamen inde non ſequeretur Diaconatum eſſe Sacramentum; nam Apoſtolatus fuit a Chriſto immediate inſtitutus, nec tamen Sacramentum eſt; & ſimiliter Epiſcopatus non recenſetur ab omnibus inter Sacramenta, qui tamen fuit a Chriſto inſtitutus. Præterquam quod Concilium Tridentinum definit quidem Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris fuiſſe a Deo inſtitutam, ſed non aſſerit quodlibet ex illis tribus eſſe Sacramentum proprie dictum, aut ſaltem iſtud non definit tanquam certum de fide.

Tertia Conclusio.

Subdiaconatus non eſt Sacramentum proprie dictum.

Prob. quia manifeſtum eſt Subdiaconatum non fuiſſe a Chriſto inſtitutum, ſed ab Eccleſia.

1. Quia de Subdiaconatu nullum habetur verbum in Scripturis, cum econtra in iis mentio fiat de Epiſcopis, de Presbyteris, & Diaconis, quorum Ordinatio per manuum impoſitionem & orationem facta commemoratur.

2. Quia nullus ex antiquis Patribus aſſerit Subdiaconatum eſſe ab origine Eccleſiæ & jure Divino inſtitutum. Quinimo multi Scriptores Eccleſiaſtici diſerte teſtantur, Subdiaconatum fuiſſe ab Eccleſia inſtitutum. Habetur ex Concilio Carthaginenſi IV. an. 398. Can. 5. Subdiaconum, cum ordinatur, manus impoſitionem non accipere. Unde Pontifex apud Latinos non dicit in Subdiaconi Ordinatione, *Accipe Spiritum Sanctum*. Urbanus II. v. g. loquens in Concilio Beneventano apud Ivonem decreti pag. 5. c. 72. de Ordinibus, *Sacros Ordines*, inquit, *dicimus Diaconatum & Presbyteratum, hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia. Super his ſolis præceptum Apoſtolicum habemus. Subdiaconos vero quia & ipſi altaribus miniſtrant, opportunitate exigente concedimus.* Item Gratianus diſt. 21. *Levitas autem ab Apoſtolis ordinatos legimus, Subdiaconos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.* Quam ſententiam plerique Theologi & veteres & moderni facile amplexi ſunt. Legi poſſunt Amalarius l. 2. de Off. Eccleſ. cap. 6. Magiſter Sent. l. 4. diſt. 24. Hugo a S. Victore; Card. Bona rerum Liturgicarum l. 1. c. 25. & inter recentiores Morinus.

Nec dicas Subdiaconatum recenſeri inter majores & ſacros Ordines, quaſi propterea credatur eſſe verum Sacramentum a Chriſto inſtitutum, ut Presbyteratus ipſe ac Diaconatus. Siquidem & a Græcis nunquam annumeratus eſt inter ſacros ac majores Ordines, & apud Latinos nonniſi duodecimo ſæculo, ut fidem facit Innocentius III. c. *a multis* de ætate & qual. Præfat. his verbis, *Cum hodie Subdiaconatus inter ſacros Ordines computetur, ſicut Urbanus Papa II. ſub his verbis expreſſit, qui in ſacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti.*

Nec plus virium habet argumentum quod eruunt adverſarii, ex eo quod Subdiaconatui annexa eſt lex cœlibatus; ſiquidem facile reſpondetur, apud Græcos Subdiaconatum non habere annexam cœlibatus legem, neque id ſemper habuiſſe in Eccleſia Latina, ut videbimus infra cum de cœlibatu Clericorum agetur. Cum aliunde lex cœlibatus nihil habeat communem cum ratione Sacramenti. Presbyteratus ipſe non minus rationem Sacramenti ſibi vindicaret, tametſi uxores ducerent Presbyteri, nec ideo Sacramentum eſt quod ipſi annexus eſt cœlibatus.

Objiciunt denique Adverſarii, Ordo qui characterem imprimit Sacramentum eſt: ſed Subdiaconatus characterem imprimit, non poteſt enim reiterari: igitur Sacramentum dici debet, ſicuti Presbyteratus & Diaconatus.

Nego

Nego min. certum quidem eſt Ordinem ſeu Ordinis Sacramentum imprimere caracterem, quia definitum eſt a Concilio Tridentino tria eſſe Sacramenta novæ legis quæ imprimant caracterem, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem; ſed illud competere Subdiaconatui uti & aliis majoribus Ordinibus, Presbyteratui & Diconatui non eſt æque certum. Si quidem illi Ordines non ſunt inſtitutionis Divinæ, &, ut ajunt citati Autores, nulli erant in primitiva Eccleſia. Quapropter ex legibus Eccleſiaſticis effectum eſt, quod non debeant reiterari, non autem ex eo quod aliquem imprimunt caracterem, namque nec ipſa Tonſura reiteratur, quæ tamen, fatentibus Adverſariis, nec imprimit caracterem, nec Sacramentum eſt proprie dictum: quod objicitur ex Eugenio IV. & Concil. Trid. mox ſolvetur in ſequenti Concluſione.

Quarta Conclusio.

Quatuor Minores Ordines non ſunt Sacramenta.

Probatur ex iis argumentis quæ modo adduximus, cum oſtenſum eſt Subdiaconatum non eſſe veri nominis Sacramentum; ea quippe utriſque ſunt communia. Scilicet de quatuor Minoribus nulla mentio habetur in Scripturis, nullus ex antiquis perhibet illos a Chriſto fuiſſe inſtitutos. Imo argumentum validiſſimum eruitur, ex eo quod multi Autores teſtantur, Sacerdotium duntaxat & Diaconatum fuiſſe in primitiva Eccleſia, Subdiaconatum vero & alios Ordines inferiores nonniſi ſecutis temporibus inſtitutos. Addunt multi quod horum Ordinum officia poſſunt a Laicis exerceri, & quod poſſint a ſimplicibus Presbyteris & Abbatibus ex ſanctæ Sedis Apoſtolicæ privilegio conferri.

Objicies: Sic de ſeptem Ordinibus loquuntur Eugenius IV. in ſuo decreto pro inſtructione Armenorum, & Conc. Trid. ſeſſ. 23. jam citata, ut ſignificent hos omnes & ſingulos veram habere Sacramenti rationem, & ſub generali Sacramenti Ordinis nomine comprehendi. Eugenius quidem, poſtquam ſtatuit Ordinem eſſe unum e ſeptem Sacramentis, Presbyteratus, Diaconatus & Subdiaconatus, materias & formas aſſignat, ſubditque illico, *Et ſic de aliorum formis, prout in Pontificali Romano continetur*. Concilium vero Tridentinum poſtquam definiit Ordinem eſſe Sacramentum novæ legis, ſeptem recenſet Ordines, nec ullam inter eos apponit diſtinctionem quoad rationem Sacramenti attinet, quod ſane non omiſiſſent Patres, ſi exiſtimaſſent ſolum Presbyteratum cum Diaconatu eſſe Sacramentum, idque non competere Subdiaconatui & quatuor Minoribus. Quin potius ſeſſ. 23. cap. 2. ſtatuit horum Ordinum miniſteria ſemper fuiſſe in uſu in Eccleſia, *Ab ipſo*, inquit, *Eccleſiæ initio horum Ordinum nomina & uniuſcujuſque propria miniſteria fuiſſe cognoſcuntur*: ſed quod fuit ſemper in Eccleſia obſervatum, cenſetur originem duxiſſe ab Apoſtolis qui a Chriſto edocti illud Eccleſiæ ſervandum tradiderunt. Igitur Ordines Minores fuerunt a Chriſto inſtituti.

Neg. ant. & dico neque Eugenium IV. neque Concil. Trident. definire ſingulos ſeptem Ordines habere veram Sacramenti rationem; hoc unum ſtatuunt, Ordinem eſſe unum e ſeptem Sacramentis, an quilibet Ordo ſit Sacramentum necne, minime affirmant.

Eugenius quidem deſcribit materias & formas Ordinum, ſed inde ſolum ſequitur in ejus mente Subdiaconatum & Minores Ordines ſuas habere materias & formas, uti ſuas habet Presbyteratus, eaſque contineri & legendas in Pontificali, ſed idcirco non pertendit Subdiaconatum & alios Ordines inferiores eſſe Sacramenta, ut Presbyteratum.

Neque vero quidquam colligi poteſt ex eo quod Conc. Trid. non diſtinguit, re-

recenſitis ſeptem Ordinibus, inter eos qui Sacramenta ſunt, & alios qui Sacramenta non ſunt; inde enim ſolum ſequitur, quod in aliis locis jam obſervatum eſt, Patres Tridentinos circa illam quæſtionem in varias partes propugnatam a Theologis, & quæ ad Fidem Catholicam non pertinet, nihil definiiſſe, ut in aſſerendis Fidei Catholicæ dogmatibus adverſus Hæreticos unice incumberent.

Deinde licet miniſteria Minorum Ordinum in uſu fuiſſent ab ipſo Eccleſiæ Initio, quod tamen certum non eſt, male propterea inferretur Minores Ordines fuiſſe Sacramenta proprie dicta, quia multæ cæremoniæ, ut exorciſmus in Baptiſmo, uſurpatæ fuerunt in primitiva Eccleſia, nec Sacramenti proprie dicti rationem habuerunt.

Caput IV.

Utrum Epiſcopatus ſit Sacramentum.

Teſte S. Chryſoſtomo Homil. I. in epiſt. ad Philippenſes primis Eccleſiæ temporibus nomen Epiſcopi tribui plerumque ſolebat etiam Presbyteris, *Nomina adhuc erant communia ... procedente vero tempore diſtributum eſt cuique nomen, ut hic quidem Epiſcopus, ille vero Presbyter appellaretur*. Epiſcopus ſcilicet, ut Superintendens in altiori gradu poſitus, ad quem pertineat Eccleſiam regere, ut mox dicetur.

Jam vero cum data occaſione examinamus, quiſnam ex Ordinibus in particulari ſit verum novæ legis Sacramentum, locus eſt etiam opportunus eandem quæſtionem proponendi de Epiſcopatu: licet enim conſentiant omnes Catholici, Epiſcopatum eſſe Presbyteratu ſublimiorem honore & juriſdictione, diſputatur tamen inter Theologos, an Epiſcopalis Ordinatio ſit Ordo & Sacramentum, novumque imprimat characterem a Presbyterali diſtinctum.

Contendunt multi Theologi Magiſter, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus & alii recentiores, Epiſcopatum non eſſe Sacramentum a Sacerdotio diſtinctum, novumque non imprimere caracterem Presbyterali ſuperadditum; ſed meram eſſe Sacerdotii extenſionem, quatenus Sacerdos, cum ordinatur Epiſcopus, jure Divino ad ſuperiora & altiora munia deputatur, & ita caracter Sacerdotalis aliquo modo extenditur. Oppoſitum vero tenent alii multi, Durandus, Cajetanus, Bellarminus, Eſtius, & alii multi quorum ſententiam amplectimur.

Conclusio.

Epiſcopatus eſt Sacramentum proprie dictum natura & charactere diſtinctum a Presbyteratu.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ cum repræſentant Ordinationem velut ſignum externum conferens ex opere operato gratiam, de Ordinatione Epiſcoporum loquuntur, nam I. ad Timotheum c.4. his verbis, quæ adhibere ſolent Theologi, ut maxime efficacia ad aſſerendam Ordini rationem Sacramenti, *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, per impoſitionem manuum Presbyterii*. & II. ad eumdem c. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Indicatur Ordinatio Timothei qui fuit Epiſcopus a Divo Paulo ordinatus; unde, ut ait Bellarminus, ſi Ordinatio Epiſcopalis non eſt Sacramentum, non poſſumus ex Scripturis probare Ordinem eſſe Sacramentum. Et revera hunc locum Synodus Tridentina ſeſſ. 23. c. 3. ut Ordini rationem Sacramenti aſſerat.

2. Quia familiare eſt SS.Patribus, ut, cum de ſacris Ordinationibus loquuntur, Epiſcopatum recenſeant, & Conſecrationem Epiſcoporum commemorent tanquam a Chriſto inſtitutam, quæque juxta mox laudata Apoſtoli teſtimonia confert gra-

Digitized by Google

gratiam. Unde Concil. Carthagin. IV. cui interfuit S. Auguſtinus, cæremoniam ſacrorum Ordinum conferendorum deſcribens, ſingulos Ordines numerat, & primum Ordinationem Epiſcopi, deinde Presbyteri, & poſtea Diaconi, hanc diſtinctionem Epiſcoporum a ſimplicibus Presbyteris, ex eo repetit S. Epiphanius hæreſi 75. quod Epiſcopi poteſtatem habent ordinandi Presbyteros, *Epiſcoporum Ordo*, inquit, *ad gignendos Patres præcipue pertinet. Hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio, alter cum Patres non poſſit, filios regenerationis lotione producit:* quod aperte probat Epiſcopatum ſuo proprio charactere diſtinctum eſſe a Presbyteratu.

3. Epiſcopatum conferre novum characterem a Sacerdotali diſtinctum oſtenditur ex Conc. Trident. quod ſeſſ. 23. c. 4. ſtatuit Epiſcopos Presbyteris ſuperiores eſſe, Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere poſſe, quorum poteſtatem nullam habent reliqui Miniſtri; quæ quidem probant jure Divino ineſſe Epiſcopis poteſtatem quæ non oritur ex Ordine Sacerdotali, utpote ei longe ſuperior, & quæ ſupponit characterem eſſe in Epiſcopis novum & diſtinctum qui non eſt in ſimplicibus Presbyteris. Item Can. 6. definit eſſe in Eccleſia hierarchicum Ordinem divinitus inſtitutum, ad quem pertinent Epiſcopi, *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam Divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, & Presbyteris & Miniſtris, anathema ſit.*

Neque dicant Adverſarii ſatis eſſe, ſi admittatur in Epiſcopis nova extenſio characteris Presbyteralis, opus non eſſe novo charactere. Nam, ut quod res eſt, ſincere fatear, nemo ex Adverſariis clare explicat quid ſit illa extenſio characteris. Certe juxta hunc loquendi modum, quo utuntur Adverſarii, diceretur quoque Presbyteratum non eſſe niſi extenſionem characteris Diaconatus, quod profecto ridiculum eſſet. Et præterea cum character ſignum ſit poteſtatis, & Epiſcopi in ſua Ordinatione novam ac diſtinctam accipiant poteſtatem, dici quoque debet eos accipere novum & diſtinctum characterem.

Objiciunt, Oppoſitæ ſententiæ Patroni, Epiſcopos nullum proprium habere actum circa Euchariſtiam niſi ratione Sacerdotii, adeoque Epiſcopatum non pertinere ad Sacramentum Ordinis; ex vario enim ad Euchariſtiam reſpectu eruitur Ordinum diverſitas.

Negant alii antecedens, ſiquidem Epiſcopi ordinant Sacerdotes, quibus proinde conferunt poteſtatem conficiendi Euchariſtiam; unde meliori titulo Epiſcopatus reſpicit Euchariſtiam quam Minores Ordines.

Ergo, inquies, jam non ſeptem ſed octo erunt Sacramenta.

Huic objectioni reſpondimus ſupra, cum docuimus Diaconatum veram habere rationem Sacramenti. Eandem porro ſolvere tenentur ii omnes Theologi, qui contendunt quemlibet e ſeptem Ordinibus eſſe verum Sacramentum.

At inquiunt, Saltem octo erunt Ordines ſi Epiſcopatus dicatur Ordo diſtinctus a Sacerdotio: atqui tamen videtur ea eſſe Eccleſiæ Latinæ doctrina, ſeptem duntaxat eſſe Ordines recenſitos ſupra, & inter quos minime numeratur Epiſcopatus, ut patet ex decreto Eugenii IV. & Conc. Trid. ſupra laudatis: ergo Epiſcopatus non eſt Ordo diſtinctus a Presbyteratu, ſed ſolam indicat majorem poteſtatem, aliquam ſublimioris poteſtatis extenſionem.

Reſp. revera ſeptem vulgo numerari Ordines, ſed nullo decreto fuiſſe vetitum, ne plures agnoſcerentur; unde Concilium Tridentinum docet verbis expreſſis Epiſcopos ad hierarchicum Ordinem præcipue pertinere. Neque dici debet eadem ratione longe plures agnoſci poſſe Ordines, qui ad Sacramentum Ordinis pertineant, ut Archiepiſcopatum, Pappatum, Archidiaconatum, &c. nam-

namque ejuſmodi dignitates nullum habent reſpectum ad Euchariſtiam, ſi per ſe & ut tales conſiderentur.

Inſtabis, Si Epiſcopatus dicitur Ordo a Presbyteratu diſtinctus, eadem ratione Archiepiſcopatus novus erit Ordo ab Epiſcopatu diſtinctus.

Nego propoſitionem; quia nempe Archiepiſcopus majorem habet poteſtatem quam Epiſcopus, ſed intra eandem ſpeciem; Epiſcopus autem habet ſupra Presbyterum majorem poteſtatem, & alterius ſpeciei, videlicet Ordinis & juriſdictionis, poteſt enim Sacramentum Confirmationis & Ordinis conferre; qua poteſtate caret ſimplex Presbyter.

CAPUT V.

De Materia Sacramenti Ordinis.

MAteria in Sacramentis duplex eſt, eſſentialis & integrans. Eſſentialis eſt ea qua ſublata non fieret nec eſſet Sacramentum; unde dicitur pertinere ad eſſentiam, ad ſubſtantiam Sacramenti, ut aqua reſpectu Baptiſmi. Integrans eſt ea quæ plurimum confert ad integritatem & perfectionem Sacramenti, ſed qua ſublata non deſineret fieri Sacramentum, ut exorciſmus in Baptiſmo, quæſtio hic eſt de materia eſſentiali ſacræ Ordinationis: tres autem videntur potiſſimum eſſe hoc in negotio Theologorum opiniones.

Prima eſt eorum qui materiam Ordinationum reponunt in porrectione inſtrumentorum, v. g. Ordinationem Diaconi in traditione libri Evangeliorum, cum pronuntiat Epiſcopus, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei*. Et Ordinationem Presbyteri in porrectione patenæ cum hoſtia ſuperpoſita & calicis cum vino, quando Epiſcopus ait, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium*, & ſic de cæteris Ordinibus; ita ut manuum impoſitio non ſit de illarum eſſentia, ita Capreolus, Dominicus Soto, Vaſquez, Gonetus & quidam alii.

Secunda eſt eorum qui docent utrumque pertinere ad eſſentiam Ordinationum, videlicet inſtrumentorum porrectionem & manus impoſitionem, ita Bellarminus, qui tanquam ejuſdem ſententiæ Aſſertores, laudat Petrum a Soto, Martinum Ledeſmium, Cardinalem Hoſium, ſed immerito, ſic enim v g. loquitur Petrus a Soto de Sacrament. Ordinis lect. 5. *Nihil eſſe magis conſentaneum Scripturæ & Patribus, quam impoſitionem manuum eſſe de eſſentia, quare magis videtur perfici Sacramentum in illa manuum impoſitione in Superioribus, ſed utcunque ſit, melius eſt hoc ſub dubio relinquere.*

Tertia eſt aliorum qui putant ſolam manuum impoſitionem eſſe materiam eſſentialem eorum ſaltem Ordinum, de quibus mentio habetur in Scripturis, puta Epiſcopatus, Presbyteratus & Diaconatus, quos diximus ſupra habere rationem Sacramenti; quanquam aliunde conſtet ſaltem apud Latinos materiam Subdiaconatus & Minorum Ordinum poſitam eſſe in porrectione inſtrumentorum, ita Durandus, S. Bonaventura, Melchior Canus, Petrus a Soto, Arcudius, Morinus, Becanus & multi alii quorum ſententiæ ſubſcribimus, quin & putat Maldonatus tom. 2. de Ordine, fide Catholica tenendum, impoſitionem manum eſſe partem eſſentialem Sacramenti.

PRIMA CONCLUSIO.

Sola manuum impoſitio eſt materia eſſentialis Sacramenti Ordinis.

Probatur 1. ex Scripturis quæ tradunt Ordinationem Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum fieri per impoſitionem manuum gratiæ collativam, ut de Diaconis patet ex Actorum cap. 6. ubi ſermo eſt de ſeptem Diaconorum Ordinatione; *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*.

Id conſtat de Sacerdotibus ac Epiſcopis ex epiſtolis S. Pauli ad Timotheum.

Nam

Digitized by Google

Nam I. cap. 4. ſic ait, *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii*. Et II. ad eumdem c. I. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Si autem aliud quid in materiam Ordinis inſtituiſſet Chriſtus, aliudque uſurpatum fuiſſet ab Apoſtolis inter ordinandum, dubio procul hoc ipſum commemoraſſent Autores ſacri, cum de Ordinationibus mentionem faciunt. Conſuli poſſunt ea Scripturæ teſtimonia quæ ſupra adduximus, ut probaremus Ordinationem eſſe verum Sacramentum.

Quibus adde futurum, ut veram Sacramenti rationem Ordini aſſerere non poſſimus adverſus Hæreticos, ſi quid aliud ei eſſentiale dicamus, puta porrectionem inſtrumentorum, de qua nullum habetur verbum in Scripturis. Mentem ſuam ſatis expreſſe declaravit unus ex eorum anteſignanis Antonius de Dominis lib. 2. cap. 4. num. 29. his verbis: *Non diffiteor impoſitionem hanc manuum ab Apoſtolis acceptam Eccleſiaſtico præcepto eſſe omnino in Ordinationibus adhibendam, & ſi Ordinatio eſſet verum Sacramentum, certe pro ipſa re materiali & ſenſibili, totoque ritu & cæremoniali eſſet ipſa manuum impoſitio ei aſſignanda, ea enim eſt maxime inſignis, & in Divinis Scripturis ac Conciliorum decretis Patrumque aſſertionibus, eccleſiaſticis quoque hiſtoriis celebrata*.

Scilicet fatentur nobiſcum Novatores, eſſe de eſſentia cujuslibet Sacramenti, quod ſit ritus a Chriſto Domino inſtitutus, ſed in hoc ſyſtemate difficile non eſt probare Ordinationem Miniſtrorum fuiſſe a Chriſto inſtitutam, poſito nempe quod conſiſtat in manuum impoſitione; quam conſtat ab ipſis Apoſtolis fuiſſe uſurpatam, & quæ non ſemel commemoratur in Scripturis; ſecus vero ſi hic ritus dicatur conſiſtere in porrectione inſtrumentorum, quæ & temporibus ipſis Apoſtolorum & multis adhuc poſtea ſæculis ignota fuit in Eccleſia: eam ob rem contendunt illi legitimo cum fundamento porrectionem inſtrumentorum ad ſummum eſſe materiam integrantem hujus Sacramenti, quia omnino ab Eccleſia fuit inſtituta poſterioribus ſæculis apud Latinos, nuſpiam vero uſurpata a Græcis, quorum tamen Ordinationes ſemper approbarunt Latini: igitur non modo veritati ſed & prudentiæ contrarium videtur aſſerere materiam eſſentialem Sacramenti Ordinis poſitam eſſe in porrectione inſtrumentorum: etenim, ut ait Maldonatus, hoc argumentum in eadem cauſa proſequens: *Non eſt neceſſe religionem ſine cauſa prodere Adverſariis*.

2. Probatur ex traditione perpetua utriuſque Eccleſiæ, Græci quidem nullam aliam ad hunc uſque diem materiam in Ordinationibus adhibuerunt, quam manus impoſitionem; neque vero hunc eorum ritum improbarunt unquam Latini quaſi nullum & irritum, ut patet ex Conciliis Lugdunenſi & Florentino, in quibus inter eos fuit inita pax.

Id aperte conſtat ex Conciliis apud Græcos habitis, quæ docent per manuum impoſitionem conferri ſacros Ordines, ita Nicænum I. Can. 9. Neocæſarienſe Can. 9. Antiochenum Can. 10. Anciranum Can. 10. Synodus ſeptima generalis Can. 14. quorum verba refert Arcudius, & quæ hic non exſcribimus tum brevitatis cauſa, tum quia id a nemine controvertitur.

Teſtatur ille Autor qui Græcorum ritus probe noverat, exhiberi quidem apud Græcos inſtrumenta, *Sed quia*, inquit, *exhibentur ſine ullis verbis, peractis jam ſacris Ordinibus, & nulla fit eorum mentio in orationibus conſecratoriis, non videntur de facto eſſe materia .... & quia Diaconi & Presbyteri ſecundum Dionyſium & alios veteres Patres in primitiva Eccleſia manuum impoſitione ordinabantur, cogor defendere apud Græcos præter manus impoſitionem, nullam aliam reperiri materiam*.

Latini autem ſaltem ad decimum uſque ſæ-

ſæculum cum ſola manuum impoſitione ſacras Ordinationes contulerunt, ut conſtat ex Conc. Cathaginenſi IV. Ordinationes Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum deſcribente, Epiſcoporum quidem Can. 2. his verbis, *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant*. Presbyterorum Can. 3. *Presbyter cum ordinatur Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant*. Diaconorum Canon. 4. *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus qui eum benedicit manum ſuper caput illius ponat*. Quibus adde, de porrectione inſtrumentorum mentionem non fieri in antiquis Sacramentariis & Ritualibus Latinis; uti nec apud veteres Divini Officii & rituum Eccleſiaſticorum Conſcriptores, Alcuinum, Amalarium, &c.

Conſentiunt in eandem rem ſummi Pontifices qui non alio nomine quam impoſitionis manuum ſacras Ordinationes appellant, ut colligitur ex Innocentio I. Ep. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ, ex S. Leone Epiſt. I. quæ eſt ad Epiſcopos Africanos, ex Cœleſtino Epiſt. quam ſcripſit ad Concilium Epheſ. ex Urbano II. Epiſt. ad Epiſcopum Piſtorienſem. Eaque loquendi ratio plane fuit eadem apud SS. Patres, ut apparet ex eorum teſtimoniis ſupra laudatis, cum oſtendimus Ordinem eſſe verum novæ legis Sacramentum.

Nec parum favet autoritas Concilii Tridentini quod exponens ſeſſ. 14. quinam Presbyteri ſint Extremæ-unctionis Miniſtri, ſtatuit non alios eſſe quam Sacerdotes ab Epiſcopis *Ordinatos per impoſitionem manuum Presbyterii*: his verbis declarando, Sacerdotum Ordinationem conſiſtere ſaltem quoad partem unam eſſentialem in manuum impoſitione.

Objicitur 1. In hanc ſententiam decretum ſummi Pontificis Eugenii IV. vel, ut ajunt Adverſarii, expreſſam definitionem Conc. Florent. aſſignantis pro materia Ordinis porrectionem inſtrumentorum his verbis, *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem*.

Reſpondetur Eugenium a quo editum eſt hoc decretum, ut jam monuimus pro inſtructione Armenorum ſoluto jam Concil. Florentino, voluiſſe ſolum aſſignare materiam integrantem Ordinationum, ſeu ritum qui obſervari ſolebat in Eccleſia Latina cum adminiſtrabatur hoc Sacramentum, quod quidem ignorabant forte Armeni, aut ſaltem quia hunc eundem ritum ſe obſervaturos promittebant, prætermiſſa aliunde ab Eugenio, qui hoc Scholaſticorum more non diſcuſſit, materia eſſentiali, videlicet impoſitione manuum, de qua nullam debuit habere mentionem, quia in uſu tunc erat apud ipſos Armenos.

Atque ideo diligentius obſervandum eſt, quod, ut video, hoc potiſſimum Eugenii decreto ſuam defendunt ſententiam adverſarii, falſo exiſtimantes rem fuiſſe clare definitam a Concilio Florentino generali. Commentum hoc recte diluit Arcudius jam ſupra laudatus, qui teſtatur Græcos non fuiſſe præſentes Concilio, cum fieret unio Armenorum; ſcilicet decretum Eugenii pro Græcis datum eſt pridie Nonas Julii, pro Armenis vero decimo Calendas Decembris. Certe ſi porrectio inſtrumentorum decreto Synodico & infallibili hic definiretur materia eſſentialis in Sacramento Ordinis, Græci debuiſſent atque etiamnum deberent iterum ordinari, & nunquam fuiſſet Sacerdotium apud Græcos; qua de re Græci nunquam a Latinis accuſati ſunt, qui nec de illorum Ordinatione, ut minus vera & legitima, vel minimam habuere ſuſpicionem.

Obji-

Digitized by Google

Objicies 2. Gregorius IX. cap. *Presbyter* de Sacramentis non iterandis, docet manuum impoſitionem fuiſſe ab Apoſtolis introductam, & loquens de quodam Ordinato ſine manuum impoſitione, reſpondet nihil iterandum eſſe, ſed poſt tres menſes ſupplendum quod defuerat: igitur non putabat impoſitionem manuum eſſe huic Sacramento eſſentialem, Sacramentum enim iterari debet, quando omiſſum fuit aliquid ei eſſentiale.

Nego conſ. ac 1. quod dicit Gregorius impoſitionem manuum primum ab Apoſtolis fuiſſe introductam, id intelligit eo ſenſu quod Apoſtoli eam primi uſurpaverint, non quod illam inſtituerint. 2. cum dicit manus impoſitione omiſſa ſupplendum quod defuerat, non idcirco putabat illam non eſſe eſſentialem; exiſtimavit enim ſatis eſſe, ſi suppleretur quatenus eſſentialis; ita ut neceſſe non foret totum ritum iterare. Huic objectioni aliter reſpondet Maldonatus, *Reſpondeo*, inquit, *non omnia Pontificum reſponſa facere fidem Catholicam, quia frequentiſſime reſpondent tanquam Doctores ſecuti ſuam vel communem opinionem*.

Objicies 3. Chriſtus ordinavit Apoſtolos tradendo inſtrumenta, ſiquidem facti ſunt Sacerdotes in ultima Cœna, cum eis tradidit Panem & Calicem, ut habet Concilium Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 1. ergo & nunc Sacerdotes fiunt per inſtrumentorum porrectionem.

Reſp. 1. negando antecedens, quia Chriſtus ordinavit Apoſtolos dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*, tunc enim ipſis contulit & poteſtatem & mandatum conficiendi ſui corporis, quæ primaria eſt Sacerdotii functio: ſed tunc ordinavit Apoſtolos ſine ulla inſtrumentorum porrectione, prius enim ipſis quidem tradiderit panem & vinum; ſed illa fuit communio, non collatio Sacerdotalis Ordinis quem duntaxat iis dedit addens: *Hoc facite*, &c.

2. Nego conſ. Apoſtoli enim ſcientes Chriſtum Dominum habuiſſe eximiam poteſtatem quam vocant excellentiæ, ſine Sacramentis ſuam conferebat gratiam aliaque plura efficiebat, non juxta exemplum ſed ejus mandatum Sacramenta adminiſtrarunt; unde potuiſſet ipſe ſuos Apoſtolos conſecrare Sacerdotes per inſtrumentorum traditionem, quod utique non ita factum eſt, & tamen ipſis præcipere, ut per impoſitionem manuum ordinarent, quod quidem eis fuiſſe demandatum abunde colligitur ex eo quod revera non aliud quidquam adhibuerunt ordinando & Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos, ut conſtat ex Scripturis & Traditione.

Inſtabis, Ex eo quod ſola impoſitio manuum exprimitur in Scripturis, ſequitur ſolum illam requiri, non autem illam eſſe eſſentialem: igitur.

Nego ant. Quis enim, ut optime arguit Arcudius, credat Scripturam omiſſis eſſentialibus ſemper nominaſſe ritum accidentalem, eadem quippe ratione dici poſſet aquam requiri in Baptiſmate, vinum in Euchariſtia; ſed non eſſe de eſſentia, quod nemo non videt eſſe per abſurdum; quin potius, ex eo quod ubique & in ſacris litteris & apud SS. Patres Ordo deſignatur ſub nomine impoſitionis manuum, peremptorium eruitur argumentum in favorem noſtræ ſententiæ, quia res deſignari ſolent per id quod in illis eſt eſſentiale & magis præcipuum.

Objicies 4. Materia cujusvis Sacramenti debet ei eſſe propria, ut determinate proprium ejus effectum ſignificet: ſed impoſitio manuum non eſt Ordini propria; nam communis eſt Confirmationi, inſervitque reconciliandis Hæreticis & Pœnitentibus: ergo.

Nego ant. quin potius eſt de eſſentia materiæ quod ſit quid commune multis; unde unctio juxta multos Theologos eſt materia Sacramenti Confirmationis ſimul & Extremæ unctionis.

Objicies: Saltem dici poteſt utramque materiam ſub disjunctione, ut ajunt nonnulli Theologi, haberi, ut eſſentialem

ita

ita ut in primitiva Eccleſia manus impoſitio eſſet loco materiæ, & ſecutis temporibus porrectio inſtrumentorum, ut de Confirmatione loquitur Eugenius, *Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio*, igitur non ſola manuum impoſitio eſt materia Sacramenti Ordinis.

Reſp. id gratis affirmari propter momenta a nobis adducta, quibus oſtenſum eſt, traditionem inſtrumentorum haberi ſolum poſſe pro materia accidentali quæ, cum non fuerit in uſu primis Eccleſiæ temporibus, acceſſit poſtea inter cæremonias in adminiſtratione hujus Sacramenti uſurpatas.

Objicies: Tanta quanta eſt diſſenſio Theologorum circa materiam eſſentialem Ordinis, ſatis oſtendit ea in re nihil eſſe certi: ſed materia cujusvis Sacramenti debet eſſe certa & clare cognita, ipſum enim eſt Sacramentum, cujus inſtitutio & determinatio deberet expreſſe contineri in Scripturis, vel ſaltem erui ex traditione: igitur.

Reſpondeo ex illa Theologorum diſſenſione nihil inferri poſſe, quia adverſus Hæreticos conveniunt inter ſe hoc Sacramentum fuiſſe a Chriſto inſtitutum, ſeu ejus materia poſita ſit in manuum impoſitione, ſeu in traditione inſtrumentorum, ſeu in utraque. Nam & circa Baptiſmum, quem Hæretici fatentur veram habere rationem Sacramenti, multæ emergunt etiam quæſtiones; tum circa materiam, an aqua mineralis, an lixivium ſit apta materia. Tum circa formam, an baptiſmari poſſit in ſolo Chriſti nomine nec ne; tum circa inſtitutionem, an facta ſit ante vel poſt Paſſionem Domini; vanum eſt igitur hoc argumentum.

Objicies: Affirmant multi etiam ex antiquis unctionem eſſe materiam hujus Sacramenti, Ivo Carnotenſis ſerm. de ſignif. indumentorum Sacerdotalium ſic habet: *Unguntur manus Presbyteris & Epiſcopis, ut cognoſcant ſe in virtute Spiritus S. hoc Sacramento gratiam conſecrandi accipere*. Hugo de S. Victore lib. 2. p. 3. c. 11. *Unguntur*, inquit, *Presbyteris manus ſicut Epiſcopis, ut cognoſcant ſe hoc Sacramento gratiam conſecrandi accipere*. Innocentius III. lib. 1. myſt. Miſſæ c. 9. idem docet iiſdem verbis: *Unguntur manus Presbyteris ab Epiſcopo, ut cognoſcant hoc Sacramento ſe per Spiritum S. accipere gratiam conſecrandi; unde cum eas ungit Epiſcopus, dicit conſecrari & ſanctificari manus per iſtas unctiones*: igitur.

Reſp. Unctionem quæ adhibetur in conſecratione Sacerdotum, merito recenſeri inter cæremonias accidentales ab Eccleſia introductas, uti & traditionem inſtrumentorum, tum quia de ea nulla fit mentio neque in Scripturis, neque apud antiquos Patres; tum quia, ut teſtatur Arcudius, nequaquam in Eccleſia Græca fuit adhibita illa unctio: materia autem Sacramenti communis eſſe debet iis apud quos commune eſt Sacramentum. Nec obſtat quod laudati Autores, aliique ſimiliter dicant per iſtam unctionem conferri gratiam, familiare eſt enim Scriptoribus, ut Sacramentum aliquod quandoque deſignent per unam ex illius partibus etiam integrantibus, quemadmodum obſervavimus in Tractatu de Sacramento Confirmationis.

Objicies: Recte dici poteſt Chriſtum in Sacramento Ordinis generaliter tantum inſtituiſſe, ut Ordo ſub ſignis ſenſibilibus traderetur, quorum tamen ſignorum determinationem in ſpecie arbitrio Eccleſiæ reliquit. Unde factum eſt revera, ut Eccleſia poſterioribus ſæculis ſtatuerit materiam Ordinis eſſe traditionem inſtrumentorum. Nititur hoc ſyſtema 1. in eo quod quorumdam aliorum Sacramentorum v. g. Matrimonii materiam non legimus in Scripturis determinate præſcriptam a Chriſto. 2. quia in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. habetur tantum quod ſacra Ordinatio verbis & ſignis exterioribus perficitur, quæ autem ſint illa verba & ſigna nuſpiam explicat: igitur.

Nego ant. quia, ut probavimus in tra-

ctatu

ſtatu de Sacramentis in genere, dicendum eſt materiam Sacramentorum fuiſſe a Chriſto in ſpecie determinatam; Chriſtus enim, ut fatentur omnes, inſtituit ſeptem novæ legis Sacramenta, ſed minus bene cenſeretur ea inſtituiſſe, niſi eorum materiam determinate præſcripſiſſet: inſtituere enim Sacramentum, eſt certo & determinato cuidam ſigno conferre virtutem ſignificandi aut producendi gratiam, quod nec Apoſtolis nec deinceps Eccleſiæ competere potuit.

Quod dicunt adverſarii materiam Sacramenti Matrimonii non fuiſſe determinatam a Chriſto, aperte falſum eſt, quia tantum Chriſtus inſtituit Sacramentum Matrimonii, in quantum voluit, ut contractus nubentium inter Chriſtianos foret res ſacra, non amplius contractus pure prophanus, accedente ſcilicet Sacerdotis benedictione, ex quo patet Chriſtum pro materia hujus Sacramenti aſſignaſſe conſenſum nubentium verbis aut alio æquivalenti ſigno expreſſum.

Ad autoritatem Concilii Tridentini reſpondeo loco quidem citato, Patres non definiiſſe quænam determinate ſit materia Ordinis, quia, ut non ſemel obſervavimus, prudenter abſtinuerunt a cenſura opinionum quas tenebant multi Theologi, ſatis eſſe putantes, ſi Hæreticorum errores anathemate percellerent. Deinde ſeſſ. 7. can. 1. definitur Sacramenta fuiſſe a Chriſto inſtituta, *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit*. Idem eſt autem inſtituere Sacramentum, quod certum quoddam ſignum determinare & aſſumere ad producendam gratiam. Licet autem eo loci non addatur vox *immediate*, eam eſſe ſubaudiendam aperte colligitur.

1. Quia in mente Patrum Tridentinorum inſtituere, idem eſt ac inſtituere immediate, nam ſeſſ. 14. c. 1. cum agunt de Sacramento Extremæ-unctionis, definiunt illud eſſe a Chriſto inſtitutum, & a Jacobo Apoſtolo duntaxat promulgatum, *Inſtituta autem eſt ſacra hæc unctio infirmorum tanquam vere & proprie Sacramentum Novi Teſtamenti a Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum*. Fruſtra autem editus & ſic formatus fuiſſet de inſtitutione Extremæ-unctionis a Chriſto facta, niſi intelligeretur de inſtitutione immediata, quam Synodus docet nulli Apoſtolorum conceſſam & ſoli Chriſto reſervatam, diſtinguit enim ſedulo inſtitutionem a promulgatione; nullus enim unquam de mediata inſtitutione dubitavit, hoc eſt, Extremam-unctionem quæ a Jacobo fuit prpmulgata, immediate ſaltem a Chriſto fuiſſe inſtitutam.

2. Quia Canon ille quo definitur ſeptem Sacramenta fuiſſe a Chriſto inſtituta, editus eſt adverſus Hæreticos, qui ex eo ſolum negabant quælibet illa eſſe Sacramenta, quod non fuerint a Chriſto ipſo inſtituta: non dubitabant enim quin ab Apoſtolis aut ab Eccleſia fuerint introducta; unde illa plerumque appellant totidem commenta humana, ſi excipiantur Baptiſmus & Euchariſtia; nihil ergo efficerent Patres Tridentini hoc in Canone, niſi loquerentur de immediata inſtitutione, mediatam omnem non rejiciebant Hæretici.

Objicitur inſuper, Plane ignoratur quænam manuum impoſitio ſit materia eſſentialis Ordinationum etiam apud Aſſertores iſtius ſententiæ; cum enim duplex ſaltem fiat manuum impoſitio in Ordinatione Presbyteri, una ante Communionem, altera vero facta Communione, dubitatur merito quænam conſtituat materiam eſſentialem hujus Sacramenti: igitur rejici debet illa ſententia.

Reſpondetur priorem manuum impoſitionem eſſe eſſentialem Sacramenti materiam, quia videlicet conjungitur cum oratione Epiſcopi, quæ, ut mox dicturi ſumus, eſt forma eſſentialis in hoc Sacramento.

Digitized by Google

At inquies, In Pontificali Romano poſt illam priorem manuum impoſitionem Epiſcopus porrigendo calicem cum patena hæc pronuntiat, *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis:* unde colligitur eum qui ordinatur per illam priorem manuum impoſitionem, non accepiſſe poteſtatem offerendi Sacrificium; adeoque nec materiam & formam Presbyteratus. Unde ibidem *Ordinandi*, non Ordinati dicuntur ii, quibus facta eſt impoſitio manuum ante porrectionem inſtrumentorum.

Reſp. per impoſitionem manuum & orationem ſimul pronuntiatam ab Epiſcopo, quoniam in his conſiſtit eſſentia hujus Sacramenti, conferri initiato Preſbytero poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam & offerendi Sacrificium, adeoque hæc verba Epiſcopi, *Accipe poteſtatem offerre*, &c. reſpicienda eſſe velut explicativa poteſtatis quam mox accepit Sacerdos, & cujus rei velut admonetur ab Epiſcopo. Quod idem dicendum eſt de his verbis Epiſcopi, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. quæ ſolum clarius explicant poteſtatem remittendi peccata quam Sacerdos acceperat, cum ordinatus fuit paulo ante per impoſitionem manuum & orationem Epiſcopi.

Neque magni roboris eſt, quod ante porrectionem inſtrumentorum, & peracta impoſitione manuum qui initiantur, appellentur *Ordinandi* in Pontificali, ratio eſt enim in promptu quod nondum finita tunc ſit cæremonia, & ideo non dicuntur Sacerdotes ordinati, ſed ordinandi.

Secunda Conclusio.

Materia eſſentialis Subdiaconatus & quatuor Ordinum Minorum non alia videtur eſſe quam porrectio inſtrumentorum.

Probatur ex eo quod Concilium Carthaginenſe IV. vetera Sacramentaria, & hodiernum Pontificale Romanum pro materia Subdiaconatus & inferiorum Ordinum nuſquam aſſignarunt manuum impoſitionem, & ſolius meminerunt porrectionis inſtrumentorum, ſic v. g. loquitur Concilium Carthaginenſe IV. Can. 5. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accepit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum*, & ſic poſtea in materiam Minorum Ordinum aſſignat porrectionem inſtrumentorum; quænam ſit illa dicemus infra, cum de ſingulis Ordinibus differetur.

Notandum eſt tamen id habere ſolummodo locum in Eccleſia Latina, quia Græci pro Subdiaconis & Lectoribus non aliam adhibuere materiam quam impoſitionem manuum, ut videre eſt in eorum Euchologiis. Neque vero objici debet abſurdum eſſe diverſam non eandem agnoſci materiam eſſentialem Ordinis in utraque Eccleſia.

Reſpondetur enim hoc ad ſummum verum eſſe pro iis Ordinibus, qui veram Sacramenti rationem habent, quod juxta hujus ſententiæ Defenſores non competit Subdiaconatui & Minoribus Ordinibus.

Caput VI.

De Forma Sacramenti Ordinis.

De Forma ſacrarum Ordinationum ratiocinantur Theologi conſentanee ad præcedentem eorum doctrinam de materia, qui putant materiam eſſentialem Ordinis poſitam eſſe in porrectione inſtrumentorum, dicunt conſequenter verba quæ comitantur ejuſmodi porrectionem inſtrumentorum tenere locum formæ, quia forma cujuslibet Sacramenti in iis verbis conſiſtit quæ proferuntur a Miniſtro in ipſa materiæ applicatione & uſu, ut patet ex facta inductione cujuslibet Sacramenti. In hac ſententia forma Ordinis eſt indicativa, his enim verbis

bis exprimitur, *Accipe poteſtatem*, &c. *Accipe calicem cum patena*, &c.

Qui vero ſentiunt materiam eſſentialem Ordinis poſitam in impoſitione manuum, docent conſequenter formam conſiſtere in oratione. Quapropter, ut plerique cenſent Theologi, forma Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus eſt oratio quam fundit Epiſcopus, cum ſuper initiandum manus imponit.

Hi autem ſuam iſtam ſententiam probant, quoad ſpectat Eccleſiam Latinam, ex eo quod tum in Concilio Carthaginenſi IV. in quo expreſſe aſſignantur ritus Ordinationum, in omnibus Sacramentariis & Pontificalibus uſque ad decimum ſæculum & ultra non alia exhibetur forma quam oratio Epiſcopi. Quod autem attinet Eccleſiam Græcam, patet ex ejus Euchologiis non aliter fieri Ordinationes quam per impoſitionem manuum quæ materia eſt, & orationem quæ loco eſt formæ.

Objicit Spalatenſis impune & ſine reprehenſione dictum fuiſſe a Canoniſtis ſolo verbo poſſe fieri Sacerdotes, ſi dicatur *Sis Sacerdos:* igitur.

Reſpondeo 1. id male tribui Canoniſtis omnibus, cum duos tantum hujus ſententiæ Aſſertores appellet, nimirum Gyam q. 8. de pœnit. & Rebuff. de benef. 2. in iis quæ pertinent ad fidem & dogmata magis deferendum eſt Theologis quam Canoniſtis. Revera Innocentius IV. cap. Presbyter *De Sacramentis non iterandis*, ait ſufficere Ordinatis dicere, *Sis Sacerdos*, ſed in ea loquitur hypotheſi, quod formæ non eſſent præſcriptæ in Ritualibus; oratio itaque eſt vera Ordinis forma.

Quanquam, ut merito obſervant, in praxi retinendus ſit totus & integer ritus, quo ſolet adminiſtrari quilibet Ordo in Eccleſia Latina cum porrectione inſtrumentorum & prolatione verborum quæ illam comitantur; tum quia nondum definitum fuit quænam præciſe materia & forma ſit eſſentialis; tum quia & ſi conſtaret ſolam impoſitionem manuum & orationem conſtituere totam Ordinis eſſentiam, ſupereſſet adhuc porrectionem inſtrumentorum eſſe materiam integrantem, verba vero quæ ipſi correſpondent, eſſe formam acceſſoriam, quæ proinde omittere nefas eſſet.

Quæres quandonam primo introducta fuerit apud Latinos porrectio inſtrumentorum.

Reſpondet Morinus difficile id determinari poſſe, verum *Si*, ut ait de ſacris Ordinibus part. 3. Exerc. 7. c. 1. *conjecturis locus eſt*, *anni ſunt ſeptingenti*, *vel circiter*, *cum initium huic additamento factum eſt*.

CAPUT VII.

De Miniſtro Sacramenti Ordinis.

Supponimus hic ut certum, Chriſtum per ſe Autorem eſſe & Inſtitutorem Sacramenti Ordinis, uti & aliorum Sacramentorum ut clare habetur in Scripturis, nam Jo. 20. dixit Apoſtolis, *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata*, *remittuntur eis*. & S. Paulus id teſtatur expreſſe I. Corint. 12. *Chriſtus*, inquit, *quoſdam poſuit in Eccleſia*, *primum Apoſtolos*, *ſecundo Prophetas*, *tertio Doctores*, &c. unde Concilium Tridentinum rem definiit ſeſſ. 23. Can. 3. his verbis, *Si quis dixerit Ordinem ſeu ſacram Ordinationem non eſſe vere ac proprie dictum Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum*, *anathema ſit*.

Volunt Novatores poteſtatem ordinandi Miniſtros jure Divino non eſſe ſolum in Epiſcopis, ſed & in aliis Fidelibus etiam Laicis, quamvis ad evitandam confuſionem, hæc eadem poteſtas committi ſoleat Paſtoribus; unde inferunt Eccleſiam Romanam veros non habere Miniſtros, quia in eorum vocatione & Ordinatione non apparet conſenſus populi & multitudinis Fidelium qui Chriſti Eccleſiam repræſentant, ita Lutherus in libro de poteſtate Papæ; Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 3. & Kemnitius in examine Concilii Tri-

Digitized by Google

Tridentini ſeſſ. 23. Can. 10. hunc eundem fere errorem docuit olim Aerius, quatenus ſimplices Presbyteros coæquabat Epiſcopis in poteſtate ordinandi Miniſtros, ut teſtatur S. Epiphanius hæreſi 75. contra quos ſit

CONCLUSIO.

Solos Epiſcopus jure Divino poteſtatem habet conferendi Sacramentum Ordinis; ita ut nemo ejuſdem poſſit eſſe Miniſter vel extraordinarius.

Probatur 1. ex Scriptura in qua legimus ab Apoſtolis ſolis, vel al Epiſcopis eorum ſucceſſoribus ordinatos ſemper fuiſſe Miniſtros, nuſquam vero a ſimplicibus Presbyteris, Act. cap. 14. ſoli Paulus & Barnabas per ſingulas Eccleſias conſtituunt Presbyteros, *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent.*

Item ab ipſo Apoſtolo Titus & Timotheus fuerunt ordinati Act. 6. Diaconi dicuntur ab Apoſtolis per manus impoſitionem ordinati. *Hos ſtatuerunt*, inquit S. Lucas, *ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* eſto quod electio ſeptem virorum ad Diaconatum promovendorum credita tunc fuerit plebi, conſtat Ordinationem ſeu Conſecrationem illorum a ſolis Apoſtolis fuiſſe factam. Denique favet maxime hic locus I. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterii.* S. Chryſoſtomus his verbis, intelligendum eſſe numerum aliquem Epiſcoporum, *Non de Presbyteris*, inquit, *hic loquitur, nec enim profecto Presbyteri ipſum Timotheum ordinarunt*, quem in hac parte ſequuntur Theodoretus, Theophilactus & Oecumenius.

Probatur 2. ex Traditione perpetua Eccleſiæ, qua conſtat nulli præter Epiſcopos datum fuiſſe unquam ordinare Sacerdotes, vel Diaconos. In Synodo Alexand. II. anno 319. quidam Presbyter nomine Colluthus, a quo Colluthiani, Schiſmatici, qui ſe Meletianis & Arianis adjunxerunt, damnatus fuit, eo quod multos ordinare tentaſſet, ut habet S. Athanaſius, Apolog. 2.

Sæculo præcedenti, in quo conditos fuiſſe Canones Apoſtolorum putant Eruditi, hoc definitur can. 1. *Epiſcopus a duobus vel tribus Epiſcopis ordinetur. Presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur & Diaconus & reliqui Clerici.* Unde manifeſte colligitur eam fuiſſe fidem & diſciplinam primitivæ Eccleſiæ, quæ hac in parte Apoſtolorum ſequebatur exemplum, & conſequenter Chriſti Domini mandatum.

Cornelius Papa in epiſtola ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 6. Hiſtoriæ cap. 43. ſcribit Novatianum Anti-Papam Epiſcopos acciviſſe ebrios & crapula oppreſſos, quos *vi coegit imaginaria quadam & vana manuum impoſitione Epiſcopatum ei tribuere.* Ratus nempe ſe ab aliis quam ab Epiſcopis inaugurari non poſſe.

S. Epiphanius hæreſi 75. ſcribit adverſus hæreticum Aerium qui parem faciebat poteſtatem Presbyteris ac Epiſcopis. *Eſt autem*, inquit, *illius dogma ſupra hominis captum furioſum & immane, imprimis enim, quanam, inquit, in re Presbytero Epiſcopus antecellit? nullum inter utrumque diſcrimen eſt, eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor ac dignitas, manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter.*

S. Hieronymus teſtatur expreſſe epiſt. 58. ad Evagrium poteſtatem ordinandi propriam eſſe Epiſcopis, *Quid facit*, inquit, *excepta Ordinatione Epiſcopus, quod non faciat Presbyter.* quod idem poſtea docuerunt cæteri Patres unanimi conſenſu. Inſigne eſt ea in re teſtimonium Theodoreti lib. 4. hiſt. cap. 12. hæc ſcribentis de Euſebio Samoſateno, *Cum multas Eccleſias Paſtoribus privatas eſſe comperiret militarem habitum ſumens, & Tiara capiti impoſita Syriam, Phœnicem ac Palæſtinam peragravit, Presbyteros ordinans ad Diaconos, aliosque Ordines Eccleſiæ ſupplens.* Adeo perſuaſum erat omnibus datum eſſe ſolis Epiſcopis conſecrare

crare

crare Sacerdotes & Diaconos; ſi enim idem præſtare potuiſſent Presbyteri, maxime in caſu neceſſitatis, quando videlicet tempore perſecutionis Eccleſiæ erant Paſtoribus orbatæ.

Quapropter merito hæc ſanxit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteres ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis eſſe cum Presbyteris communem . . . anathema ſit*,

Objicies, Ea eſt Eccleſiæ conſuetudo, ut Presbyteri aſtantes Ordinationi, una cum Epiſcopo manus imponant Presbyteris qui ordinantur, & fortaſſis conſentanee ad illud Apoſtoli locum I. ad Timoth. IV. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum Presbyterii*. igitur jus ordinandi commune eſt Presbyteris & Epiſcopis.

Reſp. ejuſmodi impoſitionem manuum a Presbyteris factam, non eſſe partem eſſentialem Sacramenti Ordinis quod tunc adminiſtratur, ſed meram cæremoniam accidentalem; Presbyteri enim non imponunt manus cum autoritate, nec Sacramenti formam proferunt; & ideo eorum miniſterium non eſt abſolute neceſſarium.

Obj. Eugenius IV. in ſuo decreto vocat Epiſcopum Ordinis Miniſtrum *ordinarium*: ergo putabat ſaltem extraordinarie hoc miniſterium committi poſſe alteri quam Epiſcopo; adeoque id non competere ſolis Epiſcopi jure Divino.

Nego conſ. hac enim loquendi ratione uſus eſt ſummus Pontifex, quod noluit quæſtionem dirimere agitatam inter Theologos, utrum alicui committi poſſit tanquam Miniſtro extraordinario jus conferendi Ordines, contentus rem certam definire, relinquens incertam. Scilicet cautum fuit Eugenio ſummo Pontifici, ne videretur aperte negare ſimplices Presbyteros poſſe quandoque ex delegatione ſummorum Pontificum extraordinarie conferre Minores Ordines vel etiam Subdiaconatum, ſed neutiquam ſupponit fieri poſſe, ut ſimplices Presbyteri ad conferendas Ordinationes aſſumi poſſint, ſi ſermo ſit de majoribus Ordinibus, Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu. Certe ſi quid valeret præfata conſequentia, & ſi verba Eugenii ſumerentur in rigore, ſequeretur a Presbytero poſſe ſaltem extraordinarie conſecrari Epiſcopum, quod nemo dixerit.

Obj. Teſte Caſſiano Collat. 4. cap. 1. a Paphnutio Presbytero quidam Daniel *ad Diaconii eſt Prælatus officium*, & poſtea factus Presbyter: igitur.

Nego ant. ibi enim non dicitur Paphnutius ordinaſſe, ſed ad Ordinem provexiſſe Danielem, quomodo Abbates Monachos ſuos ſolent Epiſcopis offerre a quibus ordinentur. Quædam alia ſimilia proferuntur exempla quibus Presbyteri videntur Epiſcopos inſtituiſſe, ordinaſſe, ſed iſtud intelligitur eo ſenſu quod & populi & Presbyteri curaverint aliquando ut Epiſcopi inſtituerentur ſuper Eccleſias & ordinarentur, ſed accedente manus Epiſcopalis impoſitione. Conſule quæ dicuntur ſequenti diſſertatione de Miniſtrorum electione.

Obj. Ferunt Innocentium VIII. conceſſiſſe Abbatibus Ciſtercienſibus poteſtatem ordinandi Diaconos & Subdiaconos, legitur illa conſtitutio in compilatione privilegiorum, privilegio 118. eandem facultatem pro Minoribus Ordinibus, conceſſerunt poſtea Alexander III. cap. *Requiſivit*, tit. 13. de Ordinatis ab Epiſcopo, & Innocentius III. cap. *Cum contingat*, tit. de ætate ordinandorum: igitur jus ordinandi proprium non eſt Epiſcoporum jure Divino.

Reſpondent nonnulli ejuſmodi privilegium revera conceſſum fuiſſe aliquando Abbatibus, ut Subdiaconatum & inferiores Ordines, qui videlicet veram Sacramenti rationem non habent, ſuis Regularibus conferre poſſent, ſed iis veniam nunquam datam fuiſſe ordinandi Presbyteros nec Diaconos. De quorum Ordinatione nunc agitur, cum adverſus Hæreticos propugnatur ſolos poſſe Epiſco-

Digitized by Google

pos ſacras Ordinationes conficere.

Alii dicunt eam fuiſſe Innocentii VIII. mentem, Abbates Ciſtercienſes cuilibet Epiſcopo dare poſſe facultatem ordinandi Regulares ſui Ordinis abſque ordinarii conſenſu. Quapropter nec Diaconos, nec Subdiaconos nominat Concilium Tridentinum in lege quam ea de re ſanxit ſeſſ. 23. de Ref. cap. 10. *Abbatibus*, inquit, *ac aliis quibuſcumque quantumvis exemptis, non liceat impoſterum ... cuiquam qui Regularis ſibi ſubditus non ſit, tonſuram vel Minores Ordines conferre*.

Denique alii cenſent ſuppoſititiam eſſe illam Innocentii Bullam, ita Silvius in 3. p.q. 38. art. 1. idque ex eo conſtare poteſt momento, quod tali privilegio uſi nunquam ſunt Ciſtercienſes ſaltem in Gallia, quod certe fidem omnem ſuperaret, ſi revera conceſſum ipſis fuiſſet. Hoc ipſum obſervat Hallerius ſect. 5. de Miniſtro ſacræ Ordinationis art. 2. parag. 2. ubi ait privilegium iſtud fictum eſſe ac ſuppoſititium quod *nec noſtra ætate, nec Patrum noſtrorum memoria Ciſtercienſes eo privilegio uſi ſunt*. quæ quidem ſententia mihi præ cæteris arridet.

Dehinc ſcribit Morinus lib. de ſacris Ordinibus p. 3. Exerc. 4. cap. 3. quoſdam putaſſe ſimplicem Presbyterum delegari poſſe a Papa ad Presbyteri Ordinationem. Verum hæc ſententia rejici debet tanquam traditioni contraria, ex qua nimirum conſtat hoc ſemper retentum fuiſſe in Eccleſia, ut ſoli Epiſcopi conſecrarent Presbyteros & Diaconos, quod privilegium ipſis jure Divino competit, ac proinde Presbyteris dari non poteſt quocumque in caſu a ſummis Pontificibus, qui jus Divinum mutare non poſſunt. Quanquam de Minoribus aliter judicari poſſit, quia non Divinæ ſed humanæ & Eccleſiaſticæ ſunt inſtitutionis.

Cum igitur dicimus ſolum Epiſcopum eſſe Sacramenti Ordinis Miniſtrum, ita ut a nullo alio etiam extraordinarie & per diſpenſationem conferri poſſit, id intelligimus de Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, propter momenta ſuperius allata, non autem de Minoribus Ordinibus, qui extraordinarie conferri poſſunt a Presbyteris, ut manifeſtum eſt ex Concilio Tridentino mox laudato, quod vetat, ne Abbates Tonſuram vel Minores Ordines cuiquam conferant, qui Regularis ſibi ſubditus non ſit; exceptio illa ſupponit manifeſte, Abbates Regulares conferre poſſe ſuis Religioſis tonſuram & Minores Ordines. Vide Morinum exercit. 4. cap. 3. & Hallerium de ſacris electionibus parte II.

Idem privilegium Abbatibus conceſſerat Synodus Nicæna VII. Can. 14. his verbis, *Lectoris autem manus impoſitionem licentia eſt unicuique Abbati in proprio Monaſterio ſolummodo faciendi ... dum conſtet illum eſſe Presbyterum*. favet etiam quod Eugenius IV. declarat loco mox citato Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium Sacramenti Ordinis. Neque ex illo verbo *Ordinarium*, inferri debet ſimplicem Presbyterum delegari poſſe, ut ſit Miniſter extraordinarius ejuſdem Sacramenti, quia id aliquando factum fuiſſe ex ſpeciali diſpenſatione Eccleſiæ vel ſummi Pontificis nullum extat exemplum.

Quæres an Subdiaconatus poſſit quoque a Presbytero conferri.

Reſp. 1. ea de re duas eſſe & oppoſitas Theologorum opiniones; 2. eam mihi præferendam videri, qua dicitur Subdiaconatum poſſe a Presbytero extraordinarie conferri. Nam Gelaſius Papa epiſt. 9. cap. 6. aperte docet id poſſe Presbyteros ex diſpenſatione ſummorum Pontificum, *Nec ſibi meminerint* Presbyteri, *ulla ratione concedi ſine ſummo Pontifice Subdiaconum aut Acolythum jus habere faciendi*. Deinde jus illud ordinandi Subdiaconos datum fuit plerumque Cor-Epiſcopis, qui non omnes erant Epiſcopi. Favet huic ſententiæ quod Subdiaconatus non eſt Sacramentum, nec niſi poſt ſæculum decimum inter majores Ordines fuit relatus.

CA-

CAPUT VIII.

De Electione Miniſtrorum.

ALter Novatorum error huic præcedenti affinis, eſt, poſtatem eligendi & vocandi Miniſtros ad eccleſiaſticum Miniſterium, eoſque deſtituendi jure Divino reſidere in plebe & ſingulis Fidelibus, ita ut ſine tali electione nulla ſit & irrita Ordinatio Miniſtrorum, qua in re,

Notandum eſt cum Eſtio de modo eligendi Miniſtros Eccleſiæ, nihil a Chriſto vel Apoſtolis fuiſſe præſcriptum, tum vero ex multis hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumentis & variis Conciliorum decretis colligi, non eadem ratione ſemper in Eccleſia electos fuiſſe Eccleſiæ Miniſtros, ſummos Pontifices, Epiſcopos, alioſque Paſtores, qui videlicet electi ſunt vel de conſenſu plurium Epiſcoporum, vel electione Cleri, vel Plebis, vel Principis ſæcularis. Sed quæſtio eſt utrum conſenſus Plebis aut Magiſtratus qui, ut aiunt Hæretici, Plebem repræſentat, neceſſario requiratur, ut valida ſit Miniſtrorum Ordinatio.

CONCLUSIO.

Poteſtas eligendi Miniſtros neceſſario non reſidet in Plebe & Laicis.

1. Id conſtat ex Scripturis, ſcilicet non ipſi multitudini ſed Eccleſiæ Prælatis data eſt juriſdictio, ad quam utique pertinet jus deſignandi Miniſtros, Chriſtus enim dixit Petro, *Tibi dabo claves, &c. Paſce oves meas, &c.* Dixit Apoſtolis, non fidelibus Laicis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Deinde Apoſtoli hanc formam eligendi Miniſtros ſine Plebis conſenſu ſervarunt; Act. 13. Saulus & Barnabas ad Apoſtolicum munus evecti ſunt, non Plebis ſuffragio, ſed ipſo S. Spiritu dirigente, quemadmodum ſolius Chriſti voluntate electi fuerant duodecim Apoſtoli, ac deinde ſeptuaginta Diſcipuli. Sic S. Paulus inconſulta Plebe Timotheum & Titum ordinavit Epiſcopos, & ſimiliter præcipit eidem Timotheo ut Presbyteros inſtituat, I. ad Timoth. 5. *Conſtitue per civitates Presbyteros.* nulla ſcilicet facta mentione conſenſus Populorum.

2. Rem iſtam probant multa Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exempla, habetur enim ex epiſt. 85. S. Hieronymi morem fuiſſe in Eccleſia Alexandrina ab ipſius S. Marci temporibus, ut Epiſcopi a ſolis Presbyteris illius Eccleſiæ eligerentur; ſic antiquitus ſummi Pontifices Epiſcopos ordinabant quos ad varias Mundi partes ad prædicandum Evangelium mittebant, non expectata illius Populi vocatione, cujuſmodi exempla non pauca habentur in epiſtolis S. Gregorii M. a quo S. Auguſtinus Anglorum Epiſcopus ſine ipſorum Anglorum deſignatione miſſus eſt.

3. Et illud expreſſe ſanxerunt identidem Concilia, Laodicenum can. 13. ſic habet, *Non eſt permittendum turbis electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi.* Nicænum II. quod eſt VII. generale can. 3. *Omnis*, inquit, *electio Epiſcopi vel Presbyteri vel Diaconi quæ fit a Magiſtratibus irrita maneat, oportet enim eum qui eſt promovendus ab Epiſcopis eligi.* Quocirca jure hæc definiit Tridentinum ſeſſ. 23. can. 7. *Si quis dixerit Ordines ab Epiſcopis collatos ſine Populi vel Popularis poteſtatis conſenſu aut vocatione irritos eſſe, aut eos qui nec ab Eccleſiaſtica & canonica poteſtate rite ordinati nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi & Sacramentorum Miniſtros, anathema ſit.*

4. Favet etiam ratio, tum ex eo quod Laici de legitimis dotibus ad digne exercendum Miniſterium eccleſiaſticum requiſitis, ſanum ferre non poſſunt judicium; tum quia ſatis docet experientia multa ſæpe accidiſſe mala, ſeditiones, & publicas turbas, ex eo quod Populi quandoque immiſcebant ſe Miniſtrorum electioni.

Obj. Electionem Miniſtrorum Eccleſiæ ad Laicos ſeu Privatos, ſeu Principes neceſ-

neceſſario pertinere probant multa argumenta ex veteri Teſtamento deprompta; 1°. enim Num. 8. conſenſus multitudinis expreſſe requiritur ad conſecrandos Sacerdotes, *Applicabit Levitas convocata omni multitudine filiorum Iſrael*. 2°. 1. Paralip. 23. David Sacerdotibus & Levitis ſua diſtribuit officia; 3°. Salomon 3. Regum cap. 2. Sacerdotem Abiathar repulit a Pontificatu, & in ejus locum ſuffecit Sadoch: igitur electio Miniſtrorum proprie pertinet ad Laicos.

Reſp. Nullius roboris eſſe ejusmodi argumenta, quæ ex veteri Teſtamento eruuntur, quia hic agitur de modo quo fieri debent Miniſtrorum electiones, & quo factæ ſunt in Eccleſia Catholica, utrum neceſſario fieri debeant, ut volunt Hæretici, cum ſuffragio Plebis, cujus defectu ſint nullæ & irritæ; non diffitemur quin aliquando Laici ſuum exhibuerint teſtimonium in electione Miniſtrorum, ſed quæſtio eſt, utrum jus illud neceſſario exercere debeant ex divina inſtitutione, ut volunt Sectarii.

Objicies, Monet Chriſtus Matth. 7. quod ipſi fideles cavere debent a falſis Prophetis, hoc eſt a malis & perverſis Miniſtris: igitur ad ipſos fideles pertinet judicare de Miniſtrorum dotibus eosque vocare, ac eligere.

Reſp. hoc unum moneri fideles eo loci, ut non ſequantur falſas & extraneas doctrinas, cujusmodi aliquam annuntiare poſſint mali Paſtores, de Miniſtrorum vocatione & electione nuſpiam agitur.

Objic. Epiſcopi & alii Prælati, vere dicuntur & ſunt ipſius Eccleſiæ Miniſtri: ergo in ipſis non reſidet poteſtas eligendi Miniſtros, ſed in tota Eccleſia, ac proinde in Plebe.

Reſp. Prælatos non dici Eccleſiæ Miniſtros, quia ſubjiciuntur omnibus fidelibus a quibus eligi, vocari, mitti debeant; ſed quia præcipui ſunt inter fideles, in quibus reſidet autoritas ad regendam Eccleſiam, ita ut a Chriſto miſſi fuerint non a Populo, quemadmodum Miniſtri in Regno miſſi non ſunt a Plebe, ſed a Rege.

Objic. Act. cap. 1. Tota Eccleſia elegit Matthiam & Barnabam, ut ex illis unus præ alio conſtitueretur Apoſtolus. Item Actor. 6. Diaconi electi ſunt ab ipſa Plebe, antequam ab Apoſtolis ordinarentur, quod quidem oſtendit hanc diſciplinam ab ipſo Chriſto fuiſſe præſcriptam.

Reſp. ut ſupra, a nobis minime negari quandoque adhibita fuiſſe Populi ſuffragia antequam Miniſtri Eccleſiæ, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi conſecrarentur, & in Eccleſiis collocarentur, in teſtimonium ſcilicet & probationem eorum vitæ & morum, ſed nuſpiam id obſervatum eſt, & retentum in Eccleſia, quaſi abſolute neceſſarium & jure Divino præſcriptum, ut ſatis colligitur ex momentis ſuperius adductis.

Objic. Teſtatur S. Cyprianus in multis locis jus & poteſtatem eligendi dignos Sacerdotes & indignos repellendi, eſſe maxime penes Populum, ſic v. g. epiſt. 4. lib. 1. *Cum ipſa maxime plebs habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi*; & lib. 2. epiſt. 11. *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio*: igitur jus eligendi Miniſtros reſidet in plebe.

Reſp. hunc S. Cypriani locum, uti & alia quædam ſimilia proferri poſſent, eo ſenſu intelligendum, quod conveniens maxime eſt, ut antequam ordinentur Sacerdotes, bonum de iis habeatur teſtimonium, cujus rei forma etiamnum hodie ſervatur in Eccleſia, cum proclamantur ad Plebem nomina ordinandorum; non autem eo ſenſu, quod defectu talis proclamationis & Populorum ſuffragii, electiones & Ordinationes Miniſtrorum cenſeri debeant nullæ.

CA-

CAPUT IX.

De Effectibus Sacramenti Ordinis.

DUplex eſt Sacramenti Ordinis effectus, gratia nimirum & character. Gratia quidem ſanctificans, primo quia Ordo veri nominis Sacramentum eſt, ut oſtendimus, Sacramenta autem novæ legis gratiam ſanctificantem conferunt. 2. quia id manifeſtum eſt ex locis Scripturæ jam adductis, 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii;* 2. ad eundem cap. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Gravior eſt difficultas de charactere; character eſt nota quædam ſpiritalis, qua fit ut Ordinatio ritu legitimo collata, iterari non poſſit. Et quæritur an ejusmodi character in Ordinatione imprimatur.

Partem negativam tenuerunt olim Donatiſtæ qui putabant improbos Miniſtros valide non ordinare; quos ſecuti poſtea ſunt Waldenſes, Huſſitæ & Wiclephus, quorum errorem damnavit Concilium Conſtantienſe. Dehinc Lutherani & Calviniſtæ negarunt ullum in Sacramentis & conſequenter in ſacra Ordinatione imprimi characterem.

Verum hoc in Sacramento imprimi characterem docet perpetua Eccleſiæ Catholicæ traditio, ut manifeſtum eſt ex SS. Patribus & Conciliis, a quibus ſancitum eſt in quavis ætate iterandas non eſſe Ordinationes ritu legitimo collatas: conſuli poteſt S. Auguſtinus variis in libris quos edidit adverſus Donatiſtas, ubi declarat non magis iterandum eſſe Ordinem quam Baptiſmum, uti & definierunt Concilium Capuanum an. 389. Carthaginenſe III. an. 397. & tandem Tridentinum, cujus hæc ſunt verba, ſeſſ. 7. Can. 9 *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpiritale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

Quæ in hanc doctrinam opponi ſolent, ducta ex variis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ factis, melius intelligentur, ſi quæſtionem pertractemus de Ordinationibus Hæreticorum, Schismaticorum, &c. Quapropter ſit

CAPUT X.

Utrum Ordinationes, factæ ab Hæreticis, Sciſmaticis, Simoniacis, Intruſis, &c. ſint validæ.

CUm de Miniſtro Ordinationum agimus, gravis oritur difficultas, utrum valeant vel irritæ ſint Ordinationes collatæ ab Epiſcopo qui ſit vel Hæreticus, vel Schismaticus, vel Simoniacus, vel Intruſus, vel demum Depoſitus, ſuppoſito tamen, quod ille Epiſcopus omnia adhibuerit eſſentialiter neceſſaria in ejusmodi Ordinatione, hoc eſt, formam debitam & intentionem ſervaverit; etenim certum eſt Ordinatos ab illis, qui non ſervarunt in eſſentialibus Eccleſiæ regulam, non cenſeri valide Ordinatos; ac proinde de ſacra Ordinatione exordinandos eſſe atque ſuperordinandos; ſicuti rebaptiſari debent quos conſtat male baptiſatos, hoc eſt quorum Baptismo aliquid eſſentiale defecit.

Dende quæſtio eſt de validitate ejusmodi Ordinationum, cettum eſt enim illas eſſe illicitas, tum ex parte dantis, tum ex parte accipientis, quisquis enim indignus eſt, quales ſunt Hæretici, Schismatici, Simoniaci, & Intruſi citra peccatum Sacra tractare non poteſt, nec ſimiliter ſine culpa poteſt quis ſcienter ab eo petere & recipere ſacram Ordinationem.

Scribit Motinus de ſacris Ordinationibus, Exerc. 5. priſcam fuiſſe conſuetudinem Eccleſiæ, ut reiterarentur Ordinationes Hæreticorum, Schismaticorum, Simoniacorum, &c. quæ per duodecim priora Eccleſiæ ſæcula habitæ ſunt, ut

nullæ

nullæ & irritæ, in eo autem hallucinatur iſte Theologus, quod confitetur ab annis quadringentis Scholaſticos omnes contrariam tenere doctrinam, de Ordinationibus Hæreticorum, Schiſmaticorum &c. ſecundum Eccleſiæ formam factis, hæc enim Theologorum conſenſio multum roboris affert huic noſtræ ſententiæ, quippe veriſimile non eſt iſtos a Majorum ſuorum placitis defeciſſe.

Conclusio.

Ordinationes factæ ab Hæreticis cenſeri debent validæ adhibitis ſcilicet omnibus eſſentialibus, idque intelligitur & de Hæreticis qui antea ordinati in Eccleſia ab ea poſtmodum defecerunt, & de illis qui ordinati fuerant ab Hæreticis.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ, cum aſſerunt uni Deo tribuendam eſſe gratiæ collationem, quatenus homines ſunt tantum Miniſtri & Diſpenſatores, docent conſequenter perinde eſſe ad validitatem Sacramenti, quod Miniſter ille ſit probus vel malus, ſit Hæreticus, vel Catholicus, modo exequatur quod eſſentiale eſt ac neceſſarium, Iſaiæ 43. ait Deus: *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me*. Joan. 1. ait S. Joannes Baptiſta, *Hic eſt qui baptiſat in Spiritu ſancto*. 1. ad Cor. cap. 1. *Unusquiſque veſtrum*, inquit S. Paulus, *dicit: Ego quidem ſum Sauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti, diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptiſati eſtis?* cap. 1. *Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*; c. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores myſteriorum Dei*.

Probatur 2. quia hæc ſemper conſtans fuit Eccleſiarum conſuetudo, ut Hæretici revertentes ad Eccleſiam ſola manuum impoſitione reconciliatoria reciperentur ſine nova Ordinatione; uti colligitur,

1. Ex celebri controverſia, quæ orta eſt tertio ſæculo S. Cyprianum inter & Stephanum Papam de Baptiſmate collato ab Hæreticis; eadem enim prorſus eſt ratio de Ordinatione ac de Baptiſmate, ut ſæpius inculcat S. Auguſtinus: ſed nunc inconcuſſa remanſit Eccleſiæ conſuetudo & praxis non rebaptizandi baptizatos ab Hæreticis, propter momenta a nobis adducta in tractatu de Sacramentis in genere.

2. Ex Can. VIII. Conc. Nicæni M. in quo definitum eſt, Novatianos ad Catholicam Eccleſiam redeuntes ſola manuum impoſitione recipiendos; ita ut, ſi fuerint ordinati, ſic permaneant in Clero, *De his*, inquit, *qui ſe nominant Catharos, id eſt mundos, ſi aliquando venerit ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in Clero permaneant . . . ubicumque autem ſive in vicis, ſive in civitatibus ipſi ſoli inventi fuerint ordinati qui inveniuntur in Clero, in eodem Ordine permaneant*. Igitur valet in Hæreſi ſuſcepta Ordinatio. Scilicet Novatiani tunc temporis erant Hæretici ſimul & Schiſmatici, de illis autem Concilium Nicænum definit illos redeuntes ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ, recipiendos eſſe, & nihil aliud ab ipſis exigendum, quam *profiteri per Scripturam quod conſentiant Catholica & Apoſtolica dogmata*. Et proinde cenſet in illis, tametſi Hæreticis & Schiſmaticis, remanere verum caracterem.

Inſigne vero ac præclarum eſt hoc momentum, quod proprie loquendo nomine legis factæ ab Eccleſia in generali Concilio congregata donari poteſt. Unde ſecutis temporibus id laudatum fuit in regulam quæ obſervanda erat in poſterum erga Hæreticos & Schiſmaticos ad ſinum Eccleſiæ revertentes, ut conſtat ex dialogo S. Hieronymi adverſus Luciferianos; ex Innocentio primo epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ; ex Taraſio Act. 1. VII. Synodi & aliis qui ex hoc Canone Concilii Nicæni colligunt validas eſſe Ordinationes quæ ab Hæreticis peraguntur.

3. Idem colligitur ex Ordinationibus ſæ-

ſæculo quarto factis a Liberio ſummo Pontifice, qui poſtquam Arianæ formulæ ſubſcripſit, plurimas fecit Ordinationes qu nuſpiam fuerunt repetitæ.

4. Ex S. Baſilio qui prima Epiſtola ad Amphilochium cap. primo ſcribit Zoin & Saturninum qui ab Encratitis reverſi fuerant, in Eccleſiam ſuſceptos fuiſſe, aitquæ cæteris ejuſdem Ordinis idem præſtandum; ne quorum cauſa communis eſt, diſpar ſit judicium: *Scio*, inquit, *quod fratres Zoin & Saturninum qui erant ex illorum Ordine in Epiſcoporum cathedram ſuſcepimus, quare eos qui illorum Ordini conjuncti ſunt, non poſſumus amplius ab Eccleſia ſeparare, utpote tanquam Canone aliquo communionis cum ipſis edito per Epiſcoporum ſuſceptionem*. Hæc S. Baſilii Epiſtola fuit allegata actione prima VII. Synodi.

5. S. Hieronymus dialogo adverſus Luciferianos totus eſt ut probet recipiendos eſſe in his Ordinibus eos qui ad perfidiam Arianam defecerant, idque probat ex Scripturis, ex Concilio Nicæno M. & perpetua Eccleſiæ praxi. *Synodus quoque Nicæna*, inquit, *cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes Hæreticos ſuſcipit exceptis Pauli Samoſateni Diſcipulis, & Epiſcopo Novatianorum Presbyteri gradum ſervat*.

6. Idem docuit ex profeſſo S. Auguſtinus libris integris contra Donatiſtas, ubi ait parem eſſe rationem Ordinationis ac Baptiſmi, & utrumque Sacramentum validum eſſe, tametſi ab Hæreticis collatum, conſuli poſſunt libri de Baptiſmo, liber de unico Baptiſmo contra Petilianum cap. 12. libro primo de Baptiſmo cap. 1. ſic loquitur, *Sicut redeuntes qui priuſquam baptiſati ſunt, non rebaptiſantur; ita redeuntes qui priuſquam recederent, ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur, ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulet; aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum tamen ſuæ Ordinationis gerunt, & ideo eis manus inter Laicos non imponitur*. Item lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 16. ſcribit adverſus Donatiſtas, qui dicebant Baptiſmum quidem non amitti ab eo qui recedit ab Eccleſia, ſed jus illud dandi ab eo amitti. *Illud*, inquit, *multi modis apparet fruſtra & inaniter dici, primo quia nulla oſtenditur cauſa cur ille, qui ipſum Batiſmum amittere non poteſt, jus dandi amittere poſſit. Utrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur illud cum baptiſatur, iſtud cum ordinatur, ideoque in Catholica Eccleſia utrumque non licet iterari.... ſicut autem habent in Baptiſmo, quod per eos dari poſſit, ſic in Ordinatione jus dandi, utrumque quidem ad perniciem ſuam, quandiu charitatem non habent unitatis, ſed tamen aliud eſt non habere, aliud perniciose habere, aliud ſalubriter habere*. Hic porro autoritatem S. Auguſtini adducimus ex libris quos adverſus Donatiſtas ſcripſit, quia certo certius eos habuit pro Hæreticis, quod utique probat ex profeſſo lib. contra Creſconium cap. 7.

7. Innocentius I. epiſt. 23. ad Epiſcopos Toletanæ Synodi, qui nonnullos Epiſcopos Priſcillianiſtas receperant cum ſuis Ordinibus nulla iterata Ordinatione, hocce factum commendat ac defendit Eccleſiæ exemplo quæ idem erga Arianos præſliterat, quod idem repetit epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ loquens de iis qui a Bonoſo fuerant conſecrati, ait id factum eſſe neceſſitate urgente, ſed abſolute rem non improbat, immo declarat Hæreticos illos in ſuis Ordinibus fuiſſe admiſſos citra novam Ordinationem.

8. Synodus Epheſina act. 7. ad finem parte 2. Hæreticorum Ordinationes validas eſſe decernit. *Venientes*, inquit, *ad nos pientiſſimi & religioſiſſimi Epiſcopi Valerianus & Amphilochius propoſuerunt in communi conſiderandum de Meſſalianitis.... & placuit nobis omnibus..... ut omnes qui per univerſam Provinciam Hæretici Meſſaliani vel Enthuſiaſtæ ſunt..... ſive clerici, ſive laici conveniantur, & ſiquidem anathematiſaverint, juxta ea quæ in prædicta Synodo ſcripto pronuntiata ſunt, in ſcriptis; ſi clerici fuerint, maneant*

neant clerici, ſi laici, ad communionem admittantur.

9. S. Leo ſummus Pontifex epiſt. 14. Hæreticos cum gradibus ſuis admitti lubenter probat, ſed ea lege quod ſuos ipſi errores ejuraverint. *Circa quos etiam*, inquit, *illam Canonum conſtitutionem præcipimus cuſtodiri ut in magno habeant beneficio, ſi adempta omni ſpe promotionis, in quo inveniuntur Ordine ſtabilitate perpetua maneant.* Item de quodam Donato qui Novatianus fuerat, ſic loquitur epiſt. 1. c. 6. *Donatum*, inquit, *Salicinenſem ex Novatianis cum ſua plebe converſum, ita Dominico volumus gregi præſidere, ut libellum fidei ſua ad nos meminerit dirigendum, quo & Novatiani dogmatis damnet errorem, & pleniſſime confiteatur catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico licet reprehenſibiliter ordinatum, tametſi jam Donatiſta non eſt, a ſpiritu ſchiſmaticæ privatis alienus, ab Epiſcopali quam quoquomodo adeptus eſt, non repellimus dignitate, ita ut ipſe libello ad nos edito Catholicum ſe eſſe manifeſtet.*

10. S. Gregorius M. lib. 9. ep. 61. jubet ut Neſtoriani in ſuis Ordinibus recipiantur, modo Neſtorium prius ejuſque errores anathematiſaverint. *Neſtorium*, inquit, *cum omnibus ſequacibus ſuis & reliquas hæreſes anathematiſent, venerandaſque Synodos, quas univerſalis Eccleſia recipit, ſe recipere & venerari promittant. Et abſque ulla dubitatione ſanctitas veſtra ſervatis eis propriis Ordinibus in ſuo cœtu recipiat; ut dum & per ſollicitudinem occulta mentis eorum diſcurritis, atque eos per veram ſcientiam recta, quæ tenere debeant, docetis; & per manſuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis ſuis Ordinibus facitis, eos de antiqui hoſtis ore rapiatis.*

11. Eandem doctrinam & diſciplinam ſecuti ſunt Patres Synodi ſextæ erga eos qui ab Epiſcopis Monothelitis ordinati fuerant, uti teſtatur Tharaſius act. 1. Synodi ſeptimæ. *Sane*, inquit, *& plurimi qui in ſexta Synodo conſederunt, a Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro doctoribus, inquam, hæreſeos Monothelitarum fuere creati. Sed & hi viciſſim Conſtantinopoleos thronum ſortiti ſunt, & ab eorum extremo doctore Petro uſque ad ſextam Synodum anni non pauciores quam quindecim interceſſerunt. Qui vero intermediis temporibus fuerunt Thomas & Conſtantinus ab Hæreticis fuere ordinati, verum ea de cauſa non ſunt reprobati. Circiter enim quinquaginta annos hæreſis illa viguit, & tamen in ſexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantum damnarunt, ceteros cum Ordinationibus ſuſceperunt.*

12. Eandem ſanctionem, eandem diſciplinam legimus obſervatam in Concilio generali octavo, in quo laudantur multi qui ab Hæreticis ordinati fuerant, & tamen in ſuis honoribus ſuſcepti, ſcilicet qui acceptis a Photio gradibus frui debere contendebant, ſic loquebantur, *Flavianus, inquiebant, depoſuit Eutychen, Anatolius recepit, quem in quarto tamen Concilio Epiſcopi Symmiſtam habuere, nec damnati ſunt. Petrus quoque Magus a Proterio depoſitus eſt quod quartam Synodum non reciperet, qui tamen Timotheo Patriarchæ ſucceſſit. Nec quiſquam ab eo ordinatus, eſt condemnatus. Acacius item, &c.* leguntur iſta Act. 6. Infinitus eſſem ſi alias vellem hic congerere probationes, aliaque exempla quæ nobis ſuppeditat Hiſtoria eccleſiaſtica, quibus certum atque indubitatum eſt mentem Eccleſiæ ſemper fuiſſe Hæreticos & ab Hæreticis ordinatos citra novam & iteratam Ordinationem in ſuis Ordinibus recipere. Legi poſſunt ſuper ea re Auxilius & Petrus Damiani.

Jam vero quod diximus de Ordinationibus Hæreticorum, eas videlicet nuſpiam fuiſſe damnatas tanquam nullas & invalide factas, quodque oſtendimus ex perpetua & conſtanti omnium Eccleſiarum diſciplina, recte affirmare & quidem a fortiori de iis qui ordinati fuerant a Schiſmaticis, a Simoniacis, ab Intruſis & Degradatis,

Pro Schiſmaticis, id certo colligitur ex Ordinationibus Novatianorum & Dona-

tiſta-

tiſ larum quas nunquam Eccelefia declaravit irritas. Immo ſi ſermo ſit de Novatianis, Cornelius ſummus Pontifex epiſt. 46. ad Cyprianum loquens de Maximo Novatiano ſic habet: *Maximum Presbyterum locum ſuum agnoſcere juſſimus, cæteris cum ingenti populi ſuffragio recepimus.*

Si ſermo ſit de Donatiſtis, conſuli poteſt quod attulimus ex S. Auguſtino.

Deinde id colligitur ex ordinatis a Meletio Sycopoleos Epiſcopo ſchiſmatico; Presbyteri enim ab eo in Schiſmate ordinati dicuntur in Concilio Nicæno Eccleſiaſticæ dignitatis gradum habere modo in Eccleſiis inferiores ſint ordinati ab Alexandro, neque tamen reordinantur, id patet ex Epiſtola Concilii Nicæni ad Alexandrum, *Hac conditione*, inquit, *in Eccleſia Communionem admittantur, nimirum ut eccleſiaſticæ dignitatis & miniſterii gradum habeant illi quidem, ſed tamen omnibus Presbyteris in ſingulis Provinciis & Eccleſiis verſantibus, qui ſunt ab honoratiſſimo viro & Collega noſtro Alexandro ordinati, ſint omnino inferiores:* Sic Ordinationes factæ a Felice durante Liberii exilio validæ fuerant declaratæ ab ipſo Liberio poſt mortem Felicis. Quod quidem ſemper judicium tulit Eccleſia de Ordinatis in Eccleſia, qui ab ea per Schiſma defecerant, & nunquam reordinari ſunt depoſito Schiſmate.

Pro Simoniacis probatur ex ipſis Conciliorum Canonibus, in quibus pœnæ Simoniacis decernuntur, Ordinationes vero ab iis factæ nunquam declarantur irritæ nec reiterandæ. Inſigne eſt exemplum S. Chryſoſtomi qui ſimoniace Ordinatos ab Antonino Epheſino Epiſcopo non reordinavit, uti nec ipſum Antoninum, ut conſtat ex Palladio in vita S. Chryſoſtomi cap. 15. quamvis eos depoſuerit, poſtquam ſcelus ſuum fuiſſent confeſſi. Reordinationem etiam non definiit Concilium Chalcedonenſe Can. 2. ſic loquitur: *Si quis Epiſcopus propter pecunias Ordinationem fecerit, & inæſtimabilem gratiam ſub pretio redegerit, & propter pecunias ordinaverit Epiſcopum vel Presbyteros, vel Diaconos, vel aliquem eorum qui in Clero annumerantur .... ſui gradus periculum habeat, & qui eſt ordinatus nihil ex Ordinatione vel Promotione per quæſtum vel mercaturam facta juvetur.* & ſic cætera deinceps Concilia depoſitionem vel excommunicationem pronuntiant adverſus Simoniacos, non reordinationem, conſentanee ad Canonem tertium Apoſtolorum, ubi ſic habetur, *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipſe Ordinator ejus & a Communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon magus a Petro.*

Atque id intelligendum eſt & de Simoniacis ſimoniace ordinantibus vel ordinatis, & de Simoniacis qui ſimoniace a non Simoniacis ordinati ſunt, ac demum de Simoniacis qui non ſimoniace ordinati ſunt a Simoniacis. qui quidem hoc pacto diſtinguuntur a Concilio Romano ſub Nicolao II.

Poſſent innumera hujuſmodi proferri teſtimonia, tum ex SS. Patribus tum ex Conciliis, quæ manifeſte oſtendunt, mentem Eccleſiæ nunquam fuiſſe Ordinationes a Simoniacis factas repetere; ſatis erit in præſenti loco autoritatem S. Thomæ adducere; ſic habet S. Doctor 2. 2. q. 100. art. 6. in reſp. ad I. *Ille*, inquit, *qui ſimoniace recipit Ordinem, recipit quidem characterem Ordinis propter efficaciam Sacramenti, non tamen recipit gratiam, neque Ordinis executionem, eo quod quaſi furtive ſuſcipit characterem contra principalis Domini voluntatem, & ideo eſt ipſo jure ſuſpenſus & quoad ſe, ut ſcilicet de executione ſui Ordinis ſe non intromittat, & quoad alios, ut ſcilicet nullus ei communicet in Ordinis executione, ſive ſit peccatum ejus publicum, ſive ſit occultum.*

Et in reſponſione ad ſecundum, *Nec propter præceptum ejus* (Epiſcopi) *nec etiam propter excommunicationem debet aliquis recipere Ordinem ab Epiſcopo quem ſcit ſimoniace promotum, & ſi ordinetur, non recipit Ordinis executionem, etiamſi ignoraret eum eſſe Simoniacum, ſed indiget diſ-*

penſatione, quamvis quidam dicant, quod ſi non poteſt probare eum eſſe Simoniacum, debet obedire recipiendo Ordinem, ſed non debet exequi ſine diſpenſatione, ſed hoc abſque ratione dicitur, quia nullus debet obedire alicui ad communicandum ſibi in facto illicito, ille autem qui eſt ipſo jure ſuſpenſus, & quoad ſe & quoad alios illicite confert Ordinem, unde nullus debet ſibi communicare recipiendo ab eo quacumque ex cauſa. Si autem ei non conſtat, non debet credere peccatum alterius, & ita cum bona conſcientia debet ab eo Ordinem recipere. Si autem Epiſcopus ſit Simoniacus alio modo quam per promotionem ſuam ſimoniace factam, poteſt ab eo Ordinem recipere. Si ſit occultum, quia non eſt ſuſpenſus quoad alios, ſed ſolum quoad ſe tantum, quibus verbis nihil illuſtrius deſiderari poteſt hac in materia.

Pro intruſis, & invaſoribus Sedium Epiſcopalium idem patet; Anatolius in Sedem Conſtantinopolitanam intruſus fuit ejecto Flaviano, Vigilius locum Sylverii uſurpavit, &c. & tamen eorum Ordinationes non ſunt reiteratæ. Certe levius eſt crimen eorum qui Eccléſias invadunt, quam Hæreticorum & Schismaticorum: ſed ex dictis Hæretici & Schismatici valide poſſunt ordinari, & alios poſtea ordinare: igitur.

Denique pro Depoſitis, ſeu Degradatis, a quibus ſcilicet ablatus eſt ſuorum Ordinum uſus, nullum afferri poteſt exemplum quo probetur ab illis ordinatos fuiſſe poſtea reordinatos, ut conſtat ex hiſtoriis Photii & Ebbonis, de quibus pauca mox dicemus. Scilicet Character Sacramentalis eſt poteſtas inamiſſibilis, quæ non deletur nec deperditur per Degradationem, per quam ſolum Degradatus indignus redditur qui licite poteſtatem ſuam exerceat.

Objic. Innocentius I. Epiſt. 18. negat Arianorum Clericos cum Sacerdotii aut miniſterii cujuſpiam dignitate ſuſcipi debere, & quod notandum eſt, ibidem eorum Baptisma ratum eſſe confitetur. *Non videtur* inquit, *Clericos eorum cum Sacerdotii aut miniſterii cujuſpiam ſuſcipi debere dignitate, quoniam quibus ſolum Baptisma ratum eſſe permittimus: nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo Baptismate, illiſque myſteriis arbitramur, quoniam cum a Catholica Fide eorum Autores deſciſcerent, perfectionem Spiritus quem acceperant, amiſerunt*. Ubi Innocentius conſentanee ad Canonem octavum Concilii Nicæni docet Hæreticos ſuſcipi non poſſe in Sacerdotio, & in iis ſolum Baptisma ut ratum approbari poſſe: igitur putabat Ordinationes Hæreticorum, quales erant Ariani, eſſe nullas & invalidas.

Hæc objectio, uti & aliæ fere omnes quæ in hanc noſtram doctrinam proponi ſolent, facile ſolvi poteſt, ſi duo diſtinguantur in Epiſcopo hæretico vel ſchismatico, character nempe, ſeu poteſtas alios ordinandi, & uſus atque exercitium illius poteſtatis. Scilicet cum paſſim vel a ſummis Pontificibus, vel a Conciliis Ordinationes improbantur, cum aliquis Epiſcopus dicitur non in ſuo ordine recipiendus, cum legitur eum non fuiſſe ordinatum Epiſcopum, nihil accepiſſe, nihil habere, & alia ſimilia; id intelligi debet de uſu & exercitio poteſtatis Epiſcopalis, quatenus ſi ſit hæreticus, vel ſchismaticus, vel degradatus, hanc poteſtatem ſine crimine exercere non poteſt aliquem ordinando, ſed iſtud intelligi non debet de charactere Epiſcopali, quaſi non putetur vere ordinatus. Modo ſcilicet fuerit ordinatus juxta legitimam Eccleſiæ formam.

Sic vero intelligendum eſſe quod ſcribit Innocentius manifeſte patet, ait enim ſolum Clericos ab Ariana hæreſi redeuntes ſuſcipi non debere *cum Sacerdotii dignitate*, ſed non ſtatuit eos eſſe reordinandos; quo ſenſu dicit Epiſt. 22. ordinatos a Bonoſo *vulneratum habere caput*, quod nempe ordinati in hæreſi non mundantur per gratiam, licet accipiant caracterem, *Illic*, inquit, *Ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus*. Ordinationis honor, eſt functio & miniſterium, non caracter.

At,

Digitized by Google

At, inquies, Innocentius diſtinguit Ordinationes ab Hæreticis collatas a Baptiſmate, atque eorum Baptiſma ratum eſſe & validum, quod ſane intelligi debet de validitate quoad characterem, quia juxta illos ratum non erat quoad gratiam: igitur non putabat eorum Ordinationes eſſe validas quoad caracterem.

Diſt. ant. Ratum eſſe & validum quoad jura & honorem, C. quoad caracterem, N. Vere quidem aliquid reipſa diſcriminis eſt inter Baptiſmum & inter Ordinationem, quia qui baptizatus eſt in hæreſi, ſtatim atque Eccleſiæ reconciliatus eſt, omnibus Chriſtianæ Religionis dotibus & juribus & honoribus & ipſa gratia fruuntur. Qui autem ordinati ſunt apud Hæreticos & in hæreſi, omnibus propterea ſuorum Ordinum juribus atque honoribus non donantur. Quo ſenſu dicit Innocentius ordinatos a Bonoſo *vulneratum habere caput*.

Sic intelligitur quod habetur de Maximo Sedis Conſtantinopolitanæ invaſore in Can. 4. Concilii generalis II. *Placuit Maximum neque Epiſcopum fuiſſe aut eſſe, nec qui ab eo ordinati ſunt, in quocumque gradu Cleri, omnibus iis, quæ ab illo facta ſunt, infirmatis*. Quibus verbis declaratur eum non eſſe Epiſcopum, qui ſua juriſdictione privatur, quia, quod ſummopere notandum eſt, cum nullæ eſſent tunc temporis vagæ Ordinationes, nulli Presbyteri vel Epiſcopi qui alicui Eccleſiæ regendæ non eſſent addicti, quando dejiciebantur a ſuis functionibus, pronunciabatur eos non eſſe Presbyteros vel Epiſcopos.

Sic intelligitur quo ſenſu adverſus Photium, qui a Gregorio Syracuſano Epiſcopo depoſito ordinatus fuerat Epiſcopus, & in ſedem Conſtantinopolitanam ejecto Ignatio intruſus, decretum fuerat in octava Synodo generali, *eum nunquam antea Epiſcopum fuiſſe, neque tunc ulla ratione eſſe, nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu in quem ab eo promoti ſunt, manere*. Quod recte explicatur de uſu & exercitio poteſtatis tantum, non de caractere & ipſa poteſtate, quia nec Photius nec Sacerdotes ab eo ordinati fuerunt unquam reordinati. Idque inſuper ſatis aperte indicant verba Concilii mox laudata, deponuntur enim & ſuo Sacerdotii gradu dejiciuntur, qui a Photio ordinati fuerant, nemo autem deponitur niſi ſupponatur valide ordinatus & habens caracterem.

Sic intelligitur quod adverſus Ebbonem Rhemenſem Archiepiſcopum depoſitum aut qui ſponte dignitatem ſuam abdicaverat, & ab eo ordinatos decrevit Concil. Sueſſionenſe II. ann. 853. Can. 1. his verbis: *Claruit præfatum Ebbonem Epiſcopale officium illicite repetiiſſe, quoſque gradibus Eccleſiaſticis æſtimatus fuerit promoviſſe, damnationi potius obnoxios effeciſſe*. Perſpicuum eſt enim eo tantum ſenſu rejici Ordinationes Ebbonis, quod ſint illicite non autem invalide factæ; ibi enim dicitur Ebbonem officium Epiſcopale *illicite* repetiiſſe. Deinde immerito ſupponebat Concilium Ebbonem non fuiſſe canonice reſtitutum, nimis ſcilicet Hincmaro fidebant Patres hujus Synodi.

At, inquies, cum præfatis in locis improbantur Ordinationes, ibidem approbatur Baptiſma licet datum ab Hæreticis: ſed iſtud non intelligitur de Baptiſmate ſpectato ratione gratiæ, ſed de ejus caractere: ergo improbant Ordinationes quoad caracterem.

Nego min. quia Baptiſmus etiam ab Hæreticis datus in caſu neceſſitatis dat gratiam & jus recipiendi alia Sacramenta, cum baptizatus reconciliatur Eccleſiæ; Clerici autem non habent jus ſuas functiones exercendi, niſi ex peculiari Eccleſiæ indulgentia.

Non eſt etiam quod objiciatur factum Stephani VII. Papæ, qui in Concilio quodam Romano decrevit omnes Ordinationes factas a Formoſo eſſe irritas, & ab eos ordinatos iterum ordinari præcepit. Namque ex Hiſtoricis Decretum illud Stephani odioſum omnibus

viſum

viſum eſt & reprobatum, tum a Theodoro ejuſdem Stephani ſucceſſore, ut conſtat ex Sigeberto, tum a Synodo Romana ſub Joanne IX. Tale etiam fuit illud Concilium in quo inſcitia & crudelitas Stephani eluxerunt, Clerusque Romanus vi ac metu ab ipſo congregatus eſt, ut teſtatur Luitprandus.

Non eſt etiam quod objiciatur exemplum Conſtantini, qui eum invaſiſſet Eccleſiam Romanam poſt obitum Pauli I. anno 767. fuit ipſe paulo poſt exturbatus, & ab eo ordinati propterea reordinati, ut ſcribit Sigebertus ad hunc annum; namque, ut multi reſpondent, Epiſcopi hujus Synodi durius quam par erat ſe geſſerunt erga ordinatos a Conſtantino, iis videlicet ſpretis quæ in Eccleſia ſemper obſervata fuerant, quia timuerunt ne illa prava Eccleſias invadendi conſuetudo obreperet; unde hujus inſoliti exempli nulla penitus haberi debet ratio.

Denique objici non debet quod ſcribit Urbanus II. epiſt. 19. ad Ruſticum Abbatem, merito a ſe reordinatum in Diaconum quemdam Daibertum, utpote antea Diaconum factum a Nezelone Epiſcopo ſimoniaco. Namque hoc Urbani factum merito a multis intelligitur, non de nova Diaconatus Ordinatione, ſed de quadam benedictione, eo quod voluit Daibertum illicite a ſimoniaco Diaconatum repetiiſſe, idque ex eo colligitur quod idem Papa totus eſt epiſt. 17. ut probet validitatem Sacramentorum ab Hæreticis collatorum.

CAPUT XI.

Utrum a quolibet Epiſcopo Catholico licite poſſit quivis ordinari.

QUæritur an liceat vel Laicis nondum Clericatui aſcriptis Tonſuram, vel Clericis poſt acceptam Tonſuram, Ordines a quolibet indiſcriminatim petere; tum vero an liceat cuilibet Epiſcopo quemlibet promiſcue ordinare.

Reſpondeo non eandem hoc in negotio ſemper & ubique fuiſſe Eccleſiæ praxim, nam Concilium Carthaginenſe I. an. 347. definit Can. 5. non licere Epiſcopo, *Laicum uſurpare ſibi de plebe aliena, ut eum ordinet ſine conſcientia ejus Epiſcopi*. Additur in eodem Canone, Gratus Epiſcopus dixit, *Hæc obſervantia pacem cuſtodivit, nam & memini in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi, ſtatutum ut nemo alterius plebis hominem uſurpet*. & revera hæc habentur Can. 19. Concilii Sardicenſis, *& hoc univerſi conſtituimus, ut quicunque ex alia Parochia voluerit alienum Miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi, ipſius & ſine voluntate ordinare, non ſit rata Ordinatio. Quicumque autem hoc uſurpaverit a Fratribus & Coepiſcopis noſtris & admoneri debet & corrigi*. Nihilominus tamen patet ex nonnullis factis ubique non viguiſſe hanc legem, Origenes Alexandriæ natus & Clericus & Presbyter ordinatus eſt a Theocliſto Cæſarienſi & ab Alexandro Jeroſolimitano Epiſcopo. Item S. Hieronymus Stridone natus ab Anticeheno Epiſcopo Paulino conſecratus eſt Presbyter, & S. Auguſtinus item de ſeipſo teſtatur, nempe ſe ab alieno Epiſcopo fuiſſe ordinatum, Epiſt. 126. *Cum Eccleſia Tagaſtenſis*, inquit, *quæ carnalis patria mea eſt, Clericatum mihi non impoſuiſſet, quando potuerunt Hipponenſes, habendum invaſerunt*.

Obſervari hic obiter poteſt deceptum fuiſſe L. Juenim, cum affirmat q. 4. de Miniſtro Ordinis cap. 3. Laicis hominibus olim fuiſſe licitum inconſulto Antiſtite Diœceſano Ordinationem ſacram a quocumque Epiſcopo recipere, quia, ut ait, Canones qui decem prioribus ſæculis vetant, ne Alieni ordinentur abſque proprii Epiſcopi conſenſu, de ſolis Clericis loquuntur non de Laicis. Sed hoc falſum eſſe manifeſte patet ex Canonibus mox adductis Conciliorum Sardicenſis & Carthaginenſis, in quibus expreſſe de Laicis habetur ſermo.

Secutis temporibus lex illa, qua cautum eſt, ne ab alio quam proprio Epiſcopo,

ſcopo ordinarentur Clerici, videtur obtinuiſſe in omnibus Eccleſiis. Sic enim loquuntur Patres Concilii Nicæni primi generalis, can. 16. *Si quis ad alium pertinentem audacter invadere & in ſua Eccleſia ordinare tentaverit, non conſentiente Epiſcopo, a quo diſceſſit is, qui regula mancipatur, Ordinatio hujuſmodi irrita comprobatur*. In quinto ſæculo ſic loquitur Leo M. epiſt. 84. *Alienum Clericum invito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet, niſi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conveniat*. Anno 789. Concilium Aquisgranenſe hæc habet: *In Decretis Leonis Papæ ſancitum eſt, ne Epiſcopus alterius Clericum ad ſe non ſollicitet, nec ordinet*. Et tandem Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de reform. cap. 8. *Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas ac mores ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus*.

Quæritur quis ſit ille proprius Epiſcopus? Nempe Epiſcopus in jure triplex diſtinguitur, originis, beneficii, & domicilii. Epiſcopus originis ille dicitur, in cujus Diœceſi aliquis baptiſatus fuit. Epiſcopus domicilii ille eſt in cujus Diœceſi aliquis commoratur. Epiſcopus beneficii ille dicitur in cujus Diœceſi aliquis beneficium poſſidet. De Epiſcopo originis & beneficii explicuit Clemens IV. in ſexto de temporibus Ordin. *Ne Clericum niſi a nobis ſpecialem licentiam habeat, vel ab Epiſcopo de cujus Diœceſi traxit originem ordinandum, vel in cujus Diœceſi beneficiatus exiſtit*.

Sed Bonifacius VIII. qui ad initium XIV. ſæculi Romæ ſedebat Pontifex maximus proprium Epiſcopum ! inſuper interpretatus eſt de Epiſcopo domicilii, hæc ſunt ejus verba in ſexto de tempore Ordinationis: *Cum nullus Clericum alienæ Parœciæ præter ſuperioris ipſius licentiam debeat ordinare, ſuperior intelligitur Epiſcopus de cujus Diœceſi beneficium obtinet eccleſiaſticum, ſeu habet, licet alibi natus fuerit, domicilii in eadem*. Huic Bonifacii conſtitutioni conſenſerunt Epiſcopi, ut patet ex multis Synodis Gallicanis, ex Lingonenſi an. 1404. ex Senonenſi an. 1528. ex Aquenſi 1585.

Verum quoniam reſpectu Epiſcopi beneficii obrepebat fraus & deluſio, quatenus qui ad Clericalem Tonſuram, vel Ordines recipiendos ut plurimum parum idonei, ut a proprio originis Epiſcopo ejuſque examini ſe ſubducerent, in aliena Diœceſi tenue quoddam beneficium ſibi procurabant. Tum vero fraus reſpectu Epiſcopi domicilii, quatenus ordinandi fingebant ſe velle aut diu aut perpetuo commorari in aliena Diœceſi, vixque dignoſci poſſit quot anni requirantur ad figendum domicilium, ad ſuſcipiendos Ordines requiſitum, propter illas inquam & alias ſimiles fraudes, quibus utebantur ſæpius ad Tonſuram & Ordines promovendi, ſumma cum prudentia convenerunt inter ſe Gallicani Præſules in Comitiis generalibus anni 1657. expeditiſſimum eſſe, ut a ſolo originis Epiſcopo fierent Ordinationes, quod utique nunc ſedulo obſervatur in Regno. Quin & teſtatur ibidem Epiſcopis præfatum Bonifacii decretum de tribus Epiſcopis propriis vix in Galliæ uſu receptum unqum fuiſſe.

Exiſtimant tamen Theologi adhuc vigere in Galliis facultatem, quam conceſſit Tridentinum Concilium Epiſcopis reſpectu familiarium ſuorum in aliena Diœceſi oriundorum; his nempe verbis ſeſſ. 23. de reform. c. 9. *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacunque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat, conſuetudine quacunque etiam immemorabili in contrarium non obſtante*. Monent Triden-

dentini Patres cavendum eſſe, ne per fraudem beneficium vel conferatur vel obtineatur; tunc enim uterque & ordinans & ordinatus juris pœnas incurrerent, ut docet Fagnanus in lib. 4. decret. part. 2. ubi affirmat ita declaratum fuiſſe in Congregatione Concilii Tridentini.

Quæres quis ſit proprius Regularium Epiſcopus, & ratio dubitandi eſt potiſſimum de iis Regularibus qui ſedem fixam non habent in ulla Diœceſi, ſed ad nutum Superiorum ab una ad aliam Diœceſim transferri ſolent.

Reſpondeo eum eſſe, in cujus Diœceſi commorantur, uti ſtatutum videmus a Concilio Burdigalenſi an. 1624. tit. de Ordine cap. 24. his verbis. *Superioribus Monaſteriorum, in quibus Regligioſi fixam & firmam commorandi ſedem habent, prohibemus, ne litteras dimiſſorias Religioſis ſuis, ut a quocunque ordinentur, concedant, ſed a ſuo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos eſſe duntaxat decernimus. Eos vero qui pro inſtituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur cum litteris Provincialium ſuorum de voto Religionis emiſſo fidem facientibus, ab ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus, ab aliis nunquam niſi atteſtatione præhabita a Pontifice loci ſeu Vicario Generali obtenta, qua cur apud ſe nequiverint ordinari perhibeatur.* Revera Pius V. Mendicantibus permiſerat in ſua Bulla, *Et ſi Mendicantium*, ut a quocunque Epiſcopo ordinari poſſent, ſed eam revocavit Gregorius XV. in ſua Conſtitutione *In tanta rerum*, quod itidem confirmatur ex eo quod Clemens VIII. ann. 1596. in generali Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum idem ſancivit, quod in præfato Burdigalenſi Concilio fuerat definitum.

Quæres utrum Epiſcopus poſſit aliquem e ſuis Diœceſanis ordinare in aliena Diœceſi ſine licentia Epiſcopi hujus loci.

Reſp. negative, uti definivit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. de reform. his verbis, *Nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem ordinario ſubjectas tantum, ſi ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione Ordinum ſint ipſo jure ſuſpenſi.*

Quæres utrum Epiſcopus Diœceſanus cogi poſſit in foro exteriori ad conferendam Laico Tonſuram, vel ad conferendos Clericis Ordines, cum nulla eſt recuſationis cauſa.

Reſpondeo juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam Epiſcopos cogi non poſſe in foro exteriori, ut ſanxit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 1. de reform. his verbis: *Cum honeſtius ac tutius ſit ſubjecto debitam præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſervire, quam cum præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui aſcenſus ad ſacros Ordines a ſuo Prælato ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extra judicialiter, fuerit interdictus, aut quia ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus & dignitates, ſive honores reſtitutio ſuffragetur.*

Gravior autem eſt difficultas, an cogi ſaltem poſſit Epiſcopus, ut Ordines conferat iis Clericis qui poſſident beneficium quod adminiſtrare non poſſunt, niſi ad ſuperiorem Ordinem promoveantur. Sed alio in loco nimirum ſeſſ. 21. cap. 2. de reform. videtur etiam ſtatuere Synodus ad id cogi non poſſe Epiſcopum, ſic enim loquitur: *Patrimonium vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum.* Quoniam autem hac ſua autoritate abuti poſſet Epiſcopus Ordines ad nutum conferendo & beneficiatos etiam ſine cauſa repellendo, teſte Fagnano Canoniſta celeberrimo in ca-

Digitized by Google

caput *Ex tenore* ext. de temp. Ordin. *Sacra Congregatio re ad Gregorium XIII. delata edidit deciſionem, quæ poſtea perpetuo obtinuit in dataria, videlicet quotieſcunque Ordinarius recuſaverit quemquam ordinare, committendum eſſe Metropolitano vel viciniori Epiſcopo, ut ab eodem Ordinario prius requirat cur recuſaverit, quo cauſam legitimam non allegante, liceat illi eundem recuſatum ordinare.*

Cæterum licet in foro exteriori non cogatur Epiſcopus ad conferendos Ordines, conſentiunt tamen omnes Theologi, eum ad id teneri in foro conſcientiæ & ſub pœna peccati, quoties ab Ordinibus vel a Tonſura repellit aliquem e ſuis Diœceſanis bonis moribus, ſufficienti doctrina aliiſque dotibus juxta Canones requiſitis præditum; tunc enim ille Epiſcopus ſua autoritate ſibi ad Eccleſiæ utilitatem commiſſa manifeſte abutitur, miniſterium ſuum non implet, quærit quæ ſua ſunt, non quæ ſunt Chriſti & Eccleſiæ.

Quæres utrum poſſit quis ab alieno Epiſcopo recipere Tonſuram clericalem vel Ordines.

Reſp. id poſſe, modo habeat litteras dimiſſorias, quæ ſic vocantur, quod per eas cuipiam datur facultas ab alio Epiſcopo ordinari, & ſic a proprio Epiſcopo dimittitur. Qui enim Canonis ſupra citati vetant, ne a quovis recipiantur Ordines ab alio quam a proprio Epiſcopo, hanc addunt ſemper clauſulam (ſine conſenſu proprii Epiſcopi) conſenſus ille manifeſtatur per litteras dimiſſorias quæ dari ſolent promovendo ad Tonſuram, aut Ordines ſeu Minores ſeu Majores ut alienum adeat Epiſcopum. Qua in re nonnulla diligenter ab Epiſcopis obſervanda præſcribit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de reform. cap. 3. nam ait,

1. Epiſcopum debere per ſemetipſum conferre Ordines, niſi ſit morbo præpeditus, *Epiſcopi per ſemetipſos Ordines conferant.*

2. Priuſquam tradat litteras dimiſſorias, probandos & examinandos qui dimittuntur, *Quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter quam probatos & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos admittant.* Eaſdem conditiones litteris teſtimonialibus aſcribit Concilium III. Mediolanenſe ſub S. Carolo, & alias adjungit hujuſmodi; *Eccleſiaſticum Ordinem*, inquit, *quo eſt proxime initiatus*, qui ad alienum Epiſcopum dimittitur, *tum præterea natalis, aut diſpenſationem, ſi quam ſuper illis obtinuerit; ſi vero majori Ordini aſcribendus eſt, ætatem item & titulum ſufficientemque cenſum beneficii, vel penſionis, vel patrimonii quod ille habet.* Quæ ſi conditiones deſint in litteris dimiſſoriis, ſtatuit Synodus eas eſſe plane irritas. *Quicunque Clericus non hujuſmodi litteras attulerit, quibus ea omnia aſcripta, teſtatave ſiant, ne aſcribatur perinde ac ſi nullas Epiſcopi ſui litteras dimiſſorias impetrarit.*

3. Concilium Narbonenſe an. 1609. cap. 21. decernit non eſſe concedendas litteras dimiſſorias niſi ad unum annum duntaxat valituras, *In litteris dimiſſoriis non detur facultas niſi ad ſolum Ordinem ſacrum ſuſcipiendum intra annum, quo elapſo dictæ litteræ nullius ſint effectus.* Id tamen non accurate obſervatur ab omnibus Epiſcopis.

4. Gallicani Præſules in Comitiis generalibus anni 1657. declararunt, rogandos alios omnes Epiſcopos, ut litteras dimiſſorias non darent niſi ad ſingulos ſigillatim Ordines non ad omnes. Et inſuper ut recens inaugurati Epiſcopi monerentur litteras dimiſſorias, vel a ſuis Prædeceſſoribus, vel a capitulis conceſſas revocare.

Denique notandum litteras dimiſſorias non ſolum ab Epiſcopo, ſed etiam ab ejus Vicario generali dari poſſe, modo expreſſam ad id facultatem ab Epiſcopo acceperit. Litteræ illæ dimiſſoriæ non extinguuntur per mortem Epiſcopi qui illas conceſſit ex capite, *Si gratioſe in ſexto.* Capitulum Eccleſiæ Cathedralis non poteſt ſede vacante ejuſmo-

modi litteras dimiſſorias concedere , niſi anno elapſo poſt obitum Epiſcopi .

Caput XII.

De Subjecto Sacramenti Ordinis.

QUæritur hic quinam ſint capaces percipiendæ Ordinationis , quinam vere incapaces , ſcilicet plurimæ requiruntur in ordinandis diſpoſitiones : ita ut quarumdam defectu Ordinatio nulla eſſet & invalida ; quædam vero aliæ requiruntur ſolum ut Ordinatio licite conferatur ; non abs re erit id paucis oſtendere .

Prima Conditio.

Sexus Maſculinus.

Primo quidem ab Ordinibus arcentur Mulieres , ita ut validæ non eſſent earum Ordinationes : eſt contra Montaniſtas & alios veteres Hæreticos , qui fœminis munia ſacerdotalia demandare auſi ſunt . Oppoſitum autem expreſſe docet Apoſtolus I. ad Corinth. 14. *Mulieres* , inquit , *in Eccleſiis taceant* , *non enim permittitur eis loqui* , *ſed ſubjectas eſſe* , *ſicut & Lex dicit* . *Si quid autem volunt diſcere* , *domi viros ſuos interrogent* , *turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia* . I. ad Timot. 2. *Docere autem Mulieri non permitto* , *neque dominari in virum* , *ſed eſſe in ſilentio* . Ubi nomine doctrinæ alia etiam miniſteria Eccleſiaſtica comprehendit , ut abunde probavit perpetua Eccleſiæ praxis . Legi poſſunt quæ ſcribit Tertullianus lib. de præſcript. cap. 41. *Ipſæ Mulieres* , inquit , *tam hæreticæ* , *quam procaces quæ audeant docere* , *contendere* , *exorciſmos agere* , *curationes repromittere* , *forſitan & tingere* ; item quæ ſcribunt S. Auguſtin. lib. de hæreſ. c. 27. & S. Epiphanius hæreſi 79. quæ eſt Collyridianorum , apud quos Mulieres ſacrificium offerebant , ſic loquitur , *Apud vera Religionis Cultores nulla unquam mulier Sacerdotio functa eſt* .

Neque in hanc doctrinam opponi debet , extitiſſe olim in Eccleſia Diaconiſſas : dicemus enim poſtea , ubi de Diaconiſſis , ejuſmodi Mulieres merum habuiſſe miniſterium quod obibant in Eccleſia ſine vera & proprie dicta Ordinatione .

Secunda Conditio.

Præſupponitur Baptiſmus.

Secundo ut aliquis ad ſacros promoveatur Ordines , debet eſſe baptizatus , Baptiſmus enim eſt janua Sacramentorum . Unde in Conc. Compendienſi hoc ſtatuitur , *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum* , *baptizetur* , *& iterum ordinetur* : habetur ea lex in decretalibus , *de Presbytero non baptizato* . & iſtud intelligitur eo ſenſu quod valida non eſſet Ordinatio , ſed prorſus nulla & irrita , ſi conferretur non baptizato . Quæſtione iſta in deliberationem miſſa , ſic reſpondet Innocent. III. *Nos in hoc dubitabili caſu quod tutius eſt* , *ſequentes mandamus* , *quatenus ipſum per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures & permittas eum in Sacerdotio miniſtrare* , *quia non intelligitur iteratum quod ambigitur eſſe factum* . *Nec male de Sacramento ſentitur* , *cum illud non Religionis contemptus* , *ſed articulus neceſſitatis excludit* . Item Eugenius IV. in ſuo decreto definit Baptiſmum *primum omnium Sacramentorum locum tenere* , *quod per ipſum de corpore efficimur Eccleſiæ* .

Quæres an ſimiliter Ordinationi præmitti debeat Confirmatio .

Reſp. Id neceſſarium eſſe , ut ſanxit Concil. Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 4. quia per ſacramentum Confirmationis homo fit perfectus Chriſtianus , quales eſſe debent qui ad ſacros Ordines accedunt .

Putant tamen Theologi validam fore Ordinationem , etſi peccaret qui minime confirmatus ordinaretur , vel etiam Tonſuram acciperet .

Ter-

Tertia Conditio.

Ætas competens.

Tertio certa quædam ætas requiritur ad ſuſcipiendos Ordines, ut ſapienter monet Apoſtolus his verbis, *Nemini cito manus impoſueris*. Quod ſic explicat S. Leo epiſt. 1. *Quid eſt autem cito manus imponere niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ.* Rem ita ſanxit Concil. Tridentinum ſeſſ. 23. de reſ. cap. 12. *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur.* In uſu eſt autem, ut ſatis ſit hoſce annos eſſe inceptos. Pro Tonſura & Minoribus Ordinibus nihil definiunt Patres, hoc tantum habent cap. 6. *Nullus prima Tonſura initiatus aut etiam in Minoribus conſtitutus ante 14. annum beneficium poſſit obtinere.* Et cap. 11. *Minores Ordines iis qui ſaltem latinam linguam intelligant per temporum interſtitia conferantur.* Unde jam ſatis in uſu eſt, ut Epiſcopi Tonſuram non conferant ante annum 14. Obſervandum eſt tamen eam conditionem, qua certa requiritur ætas, talem non eſſe, ut ejus defectu Ordinatio foret nulla & invalida, quandoquidem, ut mox dicetur, ipſi infantes valide ordinari poſſunt.

Quarta Conditio.

Carentia impedimentorum.

Quarto ab Ordinibus arcentur Amentes, Furioſi, Homicidæ etiam involuntarii, ſpurii ſeu illegitimi Nati, Mutilati aut inſigniter deformes, ac demum Infantes nondum rationis uſum habentes, non quod illi ita ſacræ Ordinationis ſint incapaces, ut eorum Ordinatio foret abſolute nulla & irrita; iique omnes eſſent reordinandi; ſed quia nonnulla habent quæ vel dignitatem Ordinis dedeceant, vel ejus adminiſtrationi præſtent impedimentum. Idem ſentiendum eſt de Bigamis, ut hic docet Eſtius, *Qui lege Apoſtolica*, inquit, *Epiſcopis & Diaconis ordinandis præſcripta, per hoc quod dicitur*, unius uxoris virum, 1. Timoth. *prohibentur initiari, vel ob incontinentiæ ſuſpicionem, ut quidam volunt, vel ut alii rectius, certi Myſterii in Chriſto & Eccleſia ſignificandi cauſa*, de illis impedimentis fuſius differemus infra, cum de irregularitate dicetur.

Nunc proponitur difficultas de Infantibus qui cum omni rationis uſu careant, vix intelliguntur Ordinationis Capaces, an ſcilicet Ordinatio iis collata foret valida.

Durandus in IV. diſt. 25. qu. 2. dubitat, num Pueri uſu rationis carentes, poſſint poteſtatem Ordinis recipere, & proceſſu temporis actum ejus exercere; 1. quia, inquit, ſatis videtur abſurdum quod parvulus poſſit Sacerdos fieri, vel Epiſcopus ordinari; 2. quia ad ſuſceptionem cujuslibet Sacramenti requiritur propria intentio ſuſcipiendi, ſi ſit adultus, vel interpretativa ſi ſit parvulus; ſed in parvulo, ſi ordinetur de facto, non poteſt eſſe propria voluntas ſuſcipiendi Ordinem, cum non habeat uſum rationis, nec interpretativa, quia licet voluntas parentum poſſit eſſe interpretativa voluntas parvulorum, quantum ad ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, v. g. Baptiſmi, voluntas tamen parentum non videtur ſufficere, ut parvuli ſuſcipiant Sacramentum Ordinis, quod non eſt de neceſſitate ſalutis.

Verum oppoſitam ſententiam tenent S. Thomas, S. Bonaventura, Richardus, Paludanus & alii referente Eſtio, qui & huic eidem ſententiæ ipſe aſtipulatur dicens, eos omnes, qui, licet uſu rationis, vel ob ætatem, vel morbum ſunt deſtituti, verum Ordinis Sacramentum ſuſcipere, ſi facto ipſo ordinari eos contingat.

 Et

Et ratio eſt, quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, nullum requirunt actum rationis in ſuſcipiente, ut per ea character conferatur, quemadmodum patet de Baptiſmo & Confirmatione. Deinde id conſtat ex capite *Unicum* de Clerico per ſaltum promoto, ubi Innocentius III. approbare videtur Ordines Presbyterio inferiores ante annos diſcretionis ſuſceptos; tum vero ex Canone Concilii Toletani IV. quem citat Gratianus diſt. 77. cap. *In veteri Lege*, ubi dicitur, quod quidam infantes ordinabant Diaconos, quæ quidem Ordinatio non declaratur nulla & irrita, ibi factum dumtaxat reprehenditur, & ne ulterius fiat, prohibetur.

Jam vero quod dicit Durandus, ad validam ſuſceptionem cujuslibet Sacramenti requiri intentionem ſuſcipientis ſaltem interpretativam, verum non eſſe liquet ex Baptiſmo qui aliquando datus pueris valet, nulla præſuppoſita eorumdem intentione, immo & renitentibus parentibus. Siquidem ejusmodi Sacramenta, quæ characterem imprimunt, effectum ſuum producunt, quando contrarium obicem non inveniunt in ſubjecto.

Infans tamen ſic ordinatus ante rationis uſum ad cœlibatum non teneretur, qui hunc ſtatum non fuiſſet libere amplexus hocque ſibi onus libere non impoſuiſſet, cui ſententiæ favet Canon nonus Ancyranæ Synodi, quæ a cœlibatu eximit Diaconos qui in ipſa ſua Ordinatione proteſtati ſunt, *Diaconi*, inquit, *quicumque ordinantur, ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt, hi, ſi poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio maneant.*

Quod ſi quis objiciat infantes qui ante rationis uſum fuere baptizati, debere tamen Chriſtianæ Religionis leges omnes obſervare. Reſpondeo parem non eſſe rationem de Ordine ac de Baptiſmo, infantes enim tenentur, cum ſemel uſum rationis attigerunt, lexque Evangelica ipſis ſufficienter innotuit, ratum habere Baptiſmum & omnes Chriſtianiſmi leges obſervare.

Quinta Conditio.

Scientia.

Quinto requiritur Scientia in iis qui ſacris Ordinationibus promovendi ſunt, idque colligitur primo ex Scripturis tum veteris tum novi Teſtamenti. Oſeæ c. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent.* Matth. 3. Phariſæos ſic alloquitur Chriſtus, *Væ vobis duces cœci.* Quod quidem ſpectat omnes Sacerdotes minime doctos, ſunt enim cœci populorum duces. Idem confirmat Apoſtolus, cum ait 1. ad Titum, *Oportet Epiſcopum doctorem eſſe, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.* Nomine Epiſcopi utitur S. Paulus, ſed & intelligit etiam Presbyteros, quibus in Eccleſiaſtica Hierarchia munus incumbit populos exhortari & arguere.

2. Hanc ſcientiæ neceſſitatem in iis qui ſacris Ordinibus initiantur, ubique commendant SS. Patres, inſigne vero eſt quod ſcribit S. Chryſoſtomus homil. de eo qui incidit in latrones, *Meminerit Sacerdos*, inquit, *ſe ſpeculatorem eſſe cunctorum, ut ovibus paſcuas ſalubres tribuat, agnis puri fontis undas exhibeat, exterminet ab ovibus lupos, ab agnis nocivas beſtias excludat, vulneratos curet, errantes revocet, ignaros inſtruat, erigat lapſos, generaliter omnes, ſpecialiter ſingulos doceat, ſua vita univerſos provocet exemplo, ſit ejus doctrina duplex, ut ejus verbis facta conveniant, atque doctrinæ reſpondeant.*

S. Ambroſius lib. 3. de Fide cap. 7. vocat Biblia librum Sacerdotalem, quaſi nempe ſit proprius Sacerdotibus qui legem Dei aſſidue legere, ſcire, & alios edocere debent. Hoc enim eorum eſt effi-

officium, ut de Aarone habetur Eccleſiaſtici cap. 45. *Et dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem docere Jacob teſtimonia*. Id eſt leges ſuas quæ continentur in Scripturis. Item S. Hieronymus in cap. 2. Malachiæ ſic loquitur, *Idcirco in Sacerdotis poteſtate rationale eſt, & in rationali doctrina & veritas ponitur, ut diſcamus Sacerdotem doctum eſſe debere & præconem dominicæ veritatis*. Ita haud dubie cæteri Patres nullo plane excepto.

3. Idem clare ſtatuitur in Conciliis, quæ in quavis ætate ſcientiam Scripturarum, Canonum, aliarumque rerum Eccleſiaſticarum ſic neceſſariam eſſe decreverunt, ut illitteratos a ſacris Ordinibus arcendos eſſe tanquam ineptos judicaverint, in jure canonico diſt. 31. cap. *Illitteratos* quod eſt Gelaſii Papæ epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, hæc habentur, *Illiteratos aut aliqua corporis parte vitiatos vel imminutos nullus præſumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia litteris carens ſacris non poteſt eſſe aptus Officiis, & vitioſum nihil Deo prorſus offerri legalia præcepta ſanxerunt*. Et cap. *Ignorantia*, quod eſt Toletani IV. Concilii, *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda eſt qui docendi in Populis officium ſuſceperunt*: & Concilium Cabilonenſe II. *Decernimus juxta ſanctarum Scripturarum doctrinam, ut Epiſcopi & ſimiliter (ſervata proportione) alii Ordines Eccleſiaſtici aſſidui ſint in lectione, & ſcrutentur Myſteria verborum Dei, quibus in Eccleſia doctrinæ fulgore ſplendeant, & verborum Dei alimentis animas ſibi ſubditas ſatiare non ceſſent*. Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de reform. cap. 14. loquens de iis qui ad ſacros Ordines promovendi ſunt, hæc præſcribit. *Hi ſint qui ad Populum docendum, ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſaria, apte Populum inſtruere*.

Dehinc & non ſolum Concilia idem præſcribunt omnibus univerſim initiandis, ſed & quandoque ſingulis ſpeciatim, qui ad eccleſiaſticam Hierarchiam pertinent, puta Epiſcopis, Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, Paſtoribus ſecundi Ordinis. Concilium Romanum ſub Eugenio II. ſic loquitur, *Quanquam admonita Doctorum & ſtatuta Patrum, Sacerdotes indoctos prohibeant conſervari, opportuni temporis moderatione, ſi Epiſcopus inveniatur indoctus a Metropolitano proprio, & deinceps Sacerdotes, Presbyteri, Diaconi, vel etiam Subdiaconi a ſuo Epiſcopo, ut doceri poſſint, admoneantur. Interim ſubjecti Sacerdotes & tales Clerici ad tempus a celebratione Divinæ Hoſtiæ & officii ſuſpendantur, ut docti valeant ad debitum miniſterium advenire*.

De Canonicis Eccleſiarum Cathedralium hæc ſtatuit Concilium Lateranenſe magnum Can. 10. *Præcipimus tam in Cathedralibus quam in Conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint Coadjutores, & Cooperatores habere, non ſolum in Prædicationis officio, verum etiam in audiendis Confeſſionibus & Pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad ſalutem pertinent animarum*. Rem eandem decernit Tridentina Synodus ſeſſ. 24. c. 12. de reform. his verbis, *Dignitates omnes & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſiis & Collegiatis inſignibus conferantur tantum Magiſtris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel ſaltem jure Canonico*.

His autem autoritatibus aperte favet ratio, etenim nemo non intelligit ex iis qui ſacris initiati ſunt Ordinibus, & poſtea Hierachiam eccleſiaſticam componunt nullum poſſe ſui miniſterii functiones debite exercere; niſi competentem habeat rerum prope infinitarum notitiam: nam quomodo alios edocere poterit omnia Religionis myſteria & dogmata, niſi & ipſe univerſam Theologiam accurate didicerit, niſi Scripturas ſacras & Eccleſiæ definitiones in Decretis Conciliorum generalium contentas diligenter perlegerit. Quomodo Epiſcopus Plebem ſibi ſubditam regere poterit, difficiliores quæſtiones quæ in Diœceſibus identidem emergunt juxta SS.

Patrum placita & Conciliorum Canones ſolvere, in Fide errantes arguere, corripere & cenſura notare, aliaque id genus præſtare quæ ſpectant Epiſcopale munus, niſi perfecta & eminenti polleat ſcientia rerum Eccleſiaſticarum.

Quoad alios attinet Prælatos minores ſeu Curatos, vel etiam eorum Vicarios, certum eſt & in iis requiri ſcientiam, videlicet notitiam rerum divinarum & humanarum; cum eorum officium poſtulet, verbum Dei annuntiare, in frequentibus Catechiſmis populos inſtruere, confeſſiones audire, debitas pœnitentias injungere, varioſque caſus difficiles circa uſuras, contractus, ſimoniam, impedimenta Matrimonii caute ac ſcite reſolvere; certum eſt iſta debite præſtari non poſſe ab eo qui non modo legem divinam in Scripturis, & ſanctiones Eccleſiæ in Conciliorum actis perſcrutatus fuerit, ſed & leges etiam civiles ac locorum conſuetudines apprime calleat.

Porro cum dicimus ſcientiam in iis requiri qui ad ſacros Ordines mox promovendi ſunt, id ſolum intelligimus eo ſenſu quod debite ac licite ſine ulla culpa tum Ordinantium tum ipſorum Ordinatorum Clero non aſcriberentur, non autem quaſi defectu ſcientiæ valide non ordinentur.

SEXTA CONDITIO.

Vitæ & morum Probitas.

Non agitur quoque de validitate Ordinationum, certum eſt enim, ut diximus in Tractatu de Sacramentis in genere, rata eſſe Sacramenta ab improbis Miniſtris collata, modo in eorum adminiſtratione omnia eſſentialiter prærequiſita adhibuerint: quod etiam intelligitur de ſuſcipientibus in peccato conſtitutis.

Certum eſt ſimiliter neminem ſine gravi peccato poſſe recipere ſacros Ordines, ſaltem eos qui veram Sacramenti rationem habent, niſi ſit in ſtatu gratiæ conſtitutus; Ordo enim eſt Sacramentum vivorum, non mortuorum, ut Baptiſmus & Pœnitentia.

Hic ſolum declaramus Eccleſiæ mentem eſſe, ut, qui ad ſacrum miniſterium accedunt, vel ſemper ab omni crimine puri ac immunes vixerint, vel ſaltem peccata poſt Baptiſmum admiſſa per veram & condignam pœnitentiam eluerint; idque manifeſtum eſt,

1. Ex Apoſtolo qui epiſt. ad Titum cap. 1. præſcribit quales debeant eſſe Presbyteri per civitates conſtituendi, *Reliqui te Cretæ*, inquit, *ut ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt..... Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum*. Et I. ad Timot. cap. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, non litigioſum, non cupidum..... non Neophitum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli*. Pro Diaconis ibidem hæc ſtatuit, *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura, & hi autem probentur primum & ſic miniſtrent nullum crimen habentes*. Quibus verbis nihil clarius afferri poteſt, ut oſtendatur Eccleſiæ Miniſtros debere ab omni vitæ crimine eſſe immunes; crimen dixit Apoſtolus, ut advertit S. Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 14. non dixit, peccatum, *quia nullus in Eccleſia recte poſſet ordinari Miniſter.... ſed ait: Si quis ſine crimine eſt, ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cætera hujuſmodi*.

2. Mens Eccleſiæ declaratur ex eo quod antiquitus deponebantur quicumque inter lapſos fuerant ordinati, id ſtatuitur can. 10. Conc. Nicæni I. his verbis:

bis: *Quicunque de lapſis ad Ordinem Cleri promoti ſunt per ignorantiam, vel per Ordinantium diſſimulationem, hoc Eccleſiaſticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponuntur.* Idem habet Concilium Toletanum IV. can. 19. *Deinceps*, inquit, *qui non promoveantur ad Sacerdotium ex regulis Canonum neceſſario credimus inſerendum, id eſt qui in aliquo crimine detecti ſunt, qui infamiæ nota aſperſi ſunt, qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt.*

3. Id inſuper fit perſpicuum ex eo quod Neophitos licet recens ab omnì crimine per Baptiſmum purgatos ab Ordinibus tamen arcebat, ut teſtatur Siricius epiſt. I. cap. 14. his verbis: *Sicut pœnitentiam agere cuipiam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipiſci, quia quamvìs ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.* Porro pro peccatis occultis Laici addicebantur pœnitentiæ publicæ, ut docuimus in Tractatu de Pœnitentiæ Sacramento: igitur mens Eccleſiæ fuit, ut ſacris Ordinibus privarentur etiam ii, qui per pœnitentiæ labores peccata etiam occulta caſtigaverant.

4. Mens Eccleſiæ declaratur ex eo quod, cum de priſtina ſua ſeveritate plurimum remiſerit circa undecimum vel duodecimum ſæculum, ita ut peccata occulta non forent impedimentum, quominus Laici ad ſacros Ordines promoverentur, conſtans erat tamen diſciplina, ut ſupponeretur condigna prius peracta ſcelerum pœnitentia, ut manifeſtum eſt ex Gratiano qui diſt. 50. Decreti poſtquam in utramque partem ventilavit hanc quæſtionem, utrum reus quiſpiam ſceleris vel occulti vel publici poſt expletam pœnitentiam rejici debeat necne a ſacris Ordinibus, plurimaſque ac velut oppoſitas SS. Patrum ea de re ſententias retulit, ſic eas conciliat, *Poſſunt & aliter diſtingui præmiſſæ autoritates, quorum enim crimina manifeſta ſunt, ante vel poſt Ordinationem a ſacris Ordinibus dejiciendi ſunt. Quorum autem peccata occulta ſunt, & ſatisfactione ſecreta ſecundum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Ordinibus remanere poſſunt.*

Quapropter cum hodie non ferat Eccleſiæ diſciplina, ut qui poſt Baptiſmum in occulta crimina prolapſi ſunt, a ſacris Ordinibus arceantur; cumque Epiſcopi Ordinantes diſcernere non poſſint quinam ex illis peccatoribus veram ac ſinceram egerint pœnitentiam, adeoque ſacro Miniſterio ſint digni nec ne, jam tota res devolvitur ad Confeſſarios. Quapropter e re ipſorum eſt ſedulo ac diligenter inveſtigare, num iis qui Clericatum vel ſuperiores Ordines adipiſci volunt, ſufficientem & condignam egerint pœnitentiam pro iis criminibus quæ mox in tribunali confeſſionis declararunt, aliter non cenſent Theologi melioris notæ ejuſmodi Confeſſarios tuta conſcientia & ſine gravi peccato poſſe illis abſolutionem concedere, quia per illud beneficium, ſi tamen in illo caſu beneficium eſt, via ipſis tametſi indignis aut non ſufficienter diſpoſitis ſternitur ad ſacrum Miniſterium.

At inquies, Si hæc obſervaretur diſciplina, ac ſeveritas, intra paucos annos ſufficiens deeſſet Eccleſiæ Miniſtrorum copia, quod ſummopere vitandum eſt.

Huic objectiunculæ ſic reſpondet S. Thomas in Supplemento quæſt. 36. art. 3. *Deus*, inquit, *nunquam ita deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur idonei Miniſtri ſufficientes ad neceſſitatem plebis, ſi digni promoverentur & indigni repellerentur. Si non poſſent tot Miniſtri inveniri quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos Miniſtros bonos quam multos malos.*

Quæres an liceat Epiſcopo quemquam ordinare propter urgentem aliquam Eccleſiæ neceſſitatem, tametſi eum noverit indignum?

Reſp. id præſtare non poſſe Epiſco-

copum ſine gravi peccato, quia nempe ejuſmodi Ordinatio de ſe mala eſt, quæ proinde nulla causa nulloque prætextu excuſari poteſt; falſum etenim ſupponitur in quæſtione, cum ſupponitur talem Ordinationem fieri propter urgentem Eccleſiæ neceſſitatem, quia indignus non poteſt eſſe neceſſarius Eccleſiæ.

SEPTIMA CONDITIO.

Servare interſtitia.

Alia conditio in Ordinationibus eſt, quod ſervari debent interſtitia inter diverſos Ordines ſuſcipiendos, ut aperte præſcribit Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 11. *Minores Ordines*, inquit, *per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conſerantur... hi vero nonniſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus Minorum Ordinum, ad ſacros Ordines promoveantur, niſi neceſſitas aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat.* Pro Subdiaconis cap. 13. hæc ſtatuit, *Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur.* Et pro Diaconis cap. 14. *Non modo in Diaconatu ad minus annum integrum niſi ob Eccleſiæ utilitatem ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur, miniſtraverint.* Ex quibus tria conſtant: 1. quantum fieri poteſt non niſi ſervatis interſtitiis conferendos eſſe Ordines; 2. poſſe tamen Epiſcopum ſuos Diœceſanos ab illis interſtitiis diſpenſare; 3. non debere Epiſcopos uti hac diſpenſandi poteſtate ad libitum, ſed ſolum cum id Eccleſiæ utilitas expoſcit.

Dixi *ſuos Diœceſanos*, cum enim alienus Epiſcopus non habeat juriſdictionem in Clericum extraneum ab alio Epiſcopo dimiſſum, non poteſt illum diſpenſare: unde ſequitur quod hunc dimiſſum nec ordinare debeat, niſi talis diſpenſatio data ſit per Litteras dimiſſorias a proprio Epiſcopo. Quanquam ſolus Papa permittere poſſit, ut duo majores Ordines eadem die conferantur; ſic enim ſtatuit eadem Synodus Tridentina laudato cap. 13. his verbis, *Duo ſacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur privilegiis ac indultis quibuſve, non obſtantibus quibuſcunque.* Ubi cum Synodus duos majores Ordines excipit Diaconatum ſcilicet & Presbyteratum, abunde ſignificat penes Epiſcopos eſſe conferre uno die quatuor Minores ſimul cum Subdiaconatu, uti ſatis nunc uſitatum eſt in plurimis Diœceſibus.

Hæc porro diſciplina, qua inter Ordines ſervari ſolent interſtitia, fuit etiam antiquitus obſervata, pro Epiſcopatu adipiſcendo hæc ſtatuit quarto ſæculo Concilium Sardicenſe Can. 10. *Oſius Epiſcopus dixit, Hoc quoque neceſſarium exiſtimo, ut cum omni cura & diligentia, examinetur, ut ſi quis ex foro ſive dives ſcholaſticus, Epiſcopus fieri dignus habeatur, non prius conſtituatur quam Lectoris & Diaconi & Presbyteri miniſterium peregerit, ut in unoquoque gradu, ſi dignus exiſtimatus fuerit, ad Epiſcopatus faſtigium per progreſſionem poſſit aſcendere.*

Siricius Papa epiſt. ad Himerium idem docet his verbis cap. 10. *Qui vero jam ætate grandævus melioris propoſiti converſatione provocatus, ex Laico ad ſacram militiam pervenire feſtinat, deſiderii ſui fructum non aliter obtinebit, niſi eo quo baptiſatur tempore, ſtatim Lectorum aut Exorciſtarum numero ſocietur ..... qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat, & ſic ad Diaconatum (ſi per hæc tempora dignus judicatus fuerit) provehatur. Exinde jam acceſſu temporum Presbyterium, vel Epiſcopatum, ſi eum Cleri vel plebis evocarit electio, non immerito ſortiretur.*

Et nono ſæculo Concilium Conſtantinopolitanum, quod eſt octavum generale præſcribit Can. 5. *Ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, Diaconi*

tres,

nes, Sacerdotis quatuor annos expleat], quiſque ad Epiſcopatum promoveri debet.

Cur vero Eccleſia voluerit ut ſerventur interſtitia facile intelligitur: id aperte declarant Patres in Concilio Sardicenſi loco mox citato, *Habet autem*, inquiunt, *uniuſcujuſque Ordinis gradus non minimi ſcilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & conſtantia, & moderatio poſſit cognoſci, & ipſe Divino Sacerdotio dignus exiſtimatus maximum honorem aſſequatur*. Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de reform. cap. 11. ait inſtituta fuiſſe inter Ordines interſtitia, *Ut accuratius, quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, poſſint edoceri*, initiandi, *ac in unoquoque munere ad præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant, idque in ea cui aſcripti erunt Eccleſia*.

Dehinc circa illa interſtitia diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut manifeſte colligitur ex laudatis ſupra capitibus ſeſſ. 23. Concilii Trident. quod tamen non permittit Synodus, niſi quando cauſa occurrit legitima, *Niſi neceſſitas aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat*.

Quæres utrum irregularitatem aut ſuſpenſionem incurrat, qui non ſervatis interſtitiis ordinatur ſine diſpenſatione.

Reſp. negative, ratione eſt quia nulla pœna decernitur in jure novo adverſus eos qui ſine interſtitiis ordinantur: revera Sixtus V. eos declaraverat ſuſpenſos in ſua Bulla *Sanctum*, ſed Clemens VIII. in Bulla quæ incipit *Summum*, cenſuit ſtandum eſſe diſpoſitioni Concilii Tridentini, quod pœnam decernendam relinquit Epiſcopo.

Octava Conditio.

Ordinatio non fiat per ſaltum.

Intelligitur Ordinationem fieri per ſaltum, quando quis aliquo inferiori Ordine prætermiſſo accipit Superiorem, ut ſi quis Subdiaconus omiſſo Diaconatu ad Sacerdotium promoveretur, ita loquitur Concilium Sueſſionenſe II. an. 853. *Judicatum eſt*, inquit, *eum qui ſaltu ſine gradu Diaconi ad Sacerdotium proſilierit, in degradationem debitam reſilire debere*.

Dicimus autem licitum non eſſe ordinari per ſaltum, quanquam ejuſmodi Ordinationes non cenſerentur invalidæ.

Hujus concluſionis prior pars conſtat; 1. ex definitione Concilii Sueſſionenſis mox laudati; 2. ex Alexandro Papa II. apud Gratianum diſt. 52. qui conſultus de Ordinationibus per ſaltum factis, de aliquo nempe qui poſtpoſito Subdiaconatus Ordine ad Diaconatum & Presbyteratum aſcenderat, ſic reſpondet, *Mandamus, ut ab officio ſacerdotali eum prohibeas, donec proximo Quatuor Temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ſibi imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas*.

3. Id conſtat ex Innocentio III. cap. *Tuæ litteræ* lib. 5. tit. 29. *de Clerico per ſaltum promoto*, ubi ſic habetur, *Mandamus quatenus condignam pœnitentiam pro hujuſmodi negligentia injungas eidem, qua peracta ipſum in Diaconum ordinare procures, & ſic de miſericordia miniſtrare permittas in Ordine Sacerdotii*. Conſultus fuerat a Bononienſi Epiſcopo de quodam qui Diaconatu prætermiſſo ad Sacerdotium fuerat promotus.

De promotis per ſaltum loquitur etiam Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 14. *Cum promotis per ſaltum*, inquit, *ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare*. Ex quibus conſtat 1. eum qui fuit per ſaltum ordinatus, ſuſpenſionem incurriſſe, alioquin opus non haberet diſpenſatione; 2. ab Epiſcopo hunc Ordinatum abſolvi poſſe, eique Ordinem prætermiſſum conferri, ſi nimirum non miniſtraverit in hoc Ordine; ſin autem miniſtraverit, cum eo diſpenſare poſſe ſolum Papam, quia eatenus irre-

Digitized by Google

irregularis factus eſt, Epiſcopi autem abſolvere non poſſunt ab irregularitate niſi ſit occulta, ut patet ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6.

Poſterior concluſionis pars, videlicet Ordinationem factam per ſaltum non eſſe invalidam, probatur ex eo quod in allatis autoritatibus Alexandri & Innocentii ſummorum Pontificum nuſpiam decernitur, Ordinem ſuſceptum inferiori prætermiſſo iterandum eſſe quaſi invalide datum, definiunt ſolummodo Ordinem omiſſum eſſe conferendum; idem colligitur ex laudato Concilii Tridentini teſtimonio; 2. Jueninus diſſert. 8. de Sacram. Ordinis cap. 4. multis exemplis ex Hiſtoria eccleſiaſtica petitis, probat non raro in Eccleſia collatos fuiſſe ſuperiores Ordines, omiſſis inferioribus: unum inter multa referam, *Poſſidius*, inquit, *ubi deſcribit Auguſtini Ordinationem in Presbyterum de eo loquitur quaſi tunc mere Laicus fuiſſet. Inferioribus igitur Ordinibus inſignitus non fuit laudatus Præſul.*

Et ratio eſt quia inferior poteſtas continetur in ſuperiori, poteſtas Diaconorum in Sacerdotio, ita ratiocinatur S. Thomas in Supplem. quæſt. 35. art. 5. in corpore. *Etiam*, inquit, *in primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores Ordines non ſuſceperant, & tamen poterant omnia quæ inferiores Ordines poſſunt, quia inferior poteſtas comprehenditur in ſuperiori virtute, ſicut ſenſus in intellectu, ducatus in regno. Sed poſtea per conſtitutionem Eccleſiæ determinatum eſt, quod ad majores ſe non ingerat qui prius in minoribus officiis ſe non humiliaverit.*

Excipiunt tamen Theologi Epiſcopatum, cenſentque neminem conſecrari poſſe Epiſcopum niſi ſit Presbyter, quia Epiſcopatus tamen ſi Presbyteratu ſuperior & jure quidem divino, ut poſtea docebimus, tamen de ſe in ratione Epiſcopatus non includit præcipuam Sacerdotii poteſtatem, qua nimirum conficitur Corpus Chriſti.

Nona Conditio.

Titulus Clericalis.

Ea fuit Eccleſiæ praxis uſque ad duodecimum ſæculum, ut nullus Clericus ordinaretur ſine aliquo beneficio, & niſi alicui addiceretur Eccleſiæ, alicui Eccleſiaſtico miniſterio, de quo ſuſtentationem & cætera vitæ neceſſaria acciperet, juxta illud effatum Innocentii III. cap. *Cum ſecundum*, titulo *de præbendis & dignitatibus*, ubi ſic habet, *Cum enim ſecundum Apoſtolum qui Altari deſervit vivere debeat de Altari; & qui ad onus dirigitur, repelli non debeat a mercede, patet a ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur.* Unde cum nondum introductæ fuiſſent vagæ Ordinationes, quarum viget nunc uſus in Eccleſia, haud dubie nullus ordinabatur ſine aliquo titulo Eccleſiaſtico, ſed ordinati vi ſuæ Ordinationis vivebant de bonis Eccleſiæ cui mancipati erant, quemadmodum Monachi profeſſi de bonis ſui Monaſterii ſuſtentari debent.

Conſtat illa Eccleſiæ diſciplina ex variis Conciliorum decretis quorum aliqua e multis exſcribemus. Concil. Chalcedonenſe hæc ſtatuit Can. 6. *Nullum abſolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum qui ſunt in Ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monaſterio is qui ordinetur, deſignetur. Eos autem qui abſolute ordinantur, decrevit ſancta Synodus irritam ac invalidam habere ejuſmodi manuum impoſitionem, & nuſquam exercere ac operari poſſe ad ejus qui ordinavit injuriam.*

Concilium Francofordienſe an. 794. ſtatuit Can. 27. *De Clericis, ut nequaquam de Eccleſia ad aliam Eccleſiam tranſmigrent neque recipiantur ſine conſcientia Epiſcopi ..... & non permittat eum vagari alicubi, uſque dum domino ſuo*

reſti-

reſtituatur. Can. 28. *Ut non abſolute ordinentur*. Quibus verbis prohibet expreſſe vagas Ordinationes. Eadem paſſim legimus in Capitularibus Caroli M. in Concilio Placentino an. 1085. ſtatuitur, *Ut ſine titulo facta Ordinatio, irrita habeatur*, ſed iſtud intelligi non debet quaſi nulla & invalida fuiſſet Ordinatio defectu tituli, Concilium quippe Chalcedonenſe mox laudatum pronuntiat quoque eorum qui abſolute ordinarentur, *irritam* & *invalidam* fore Ordinationem, ſed verbis ſequentibus iſtud demum explicat eo ſenſu quod Clerici ſic ordinati ſine titulo exercere non poſſint, eos autem reordinandos non præcipit.

Hæc porro Eccleſiæ diſciplina mutata eſt ad finem duodecimi ſæculi, nam Concil. Lateran. III. quod eſt generale, viam quamdam tenus ſtravit Epiſcopis introducendi vagas Ordinationes, quatenus non pronuntiavit eas fore invalidas, ſed aliquam ſolum pœnam decernit in Epiſcopos ordinantes, *Epiſcopus*, inquit, *ſi aliquem ſine certo titulo de quo neceſſaria vitæ percipiat in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu neceſſaria ei ſubminiſtret, donec in aliqua ei Eccleſia convenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet; niſi forte talis qui ordinatur, extiterit, qui de ſua vel paterna hereditate ſubſidium vitæ poſſit habere*.

Ex illo tempore & veriſimiliter propter illud decretum uſus deinceps invaluit in Eccleſia Clericos ordinandi vel ſub titulo Eccleſiaſtico, vel ſub titulo patrimoniali, quam quidem diſciplinam confirmavit Synodus Tridentina ſeſſ. 21. c. 2. de reform. his verbis, *Statuit ſancta Synodus ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate, ut ad ſacros Ordines non promoveatur, niſi prius legitime conſtet eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere: id vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito quod aliunde commode vivere poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium vero vel penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum*.

Neque objici debet aliud ejuſdem Synodi Tridentinæ decretum ſeſſ. 23. cap. 16. de reform. ubi Patres improbare videntur vagas Ordinationes antiquam Concilii Chalcedonenſis diſciplinam renovando; ſic enim loquuntur, *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, ſancta Synodus veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco pro cujus neceſſitate aut utilitate aſſumitur, non aſcribatur ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur*. Non eſt, inquam, quod hæc Concilii verba objiciantur, quia hæc praxis non uſurpandi vagas Ordinationes, & eos ſolum ordinandi, qui vel propriis Epiſcoporum ordinantium Eccleſiis vel alienis, hoc ipſo mancipentur, haud dubie locum non habet impræſentiarum, ſeu quia hujusmodi decretum non fuit in hoc regno receptum, ſeu quia contraria diſciplina jam a quibusdam ſæculis vim obtinet in Eccleſia.

Addit Concilium loco mox laudato ſeſſ. 21. Clericum ſub titulo ordinatum, non poſſe eum reſignare ſi ſit titulus eccleſiaſticus, nec alienare ſi ſit titulus patrimonialis, *Id vero beneficium reſignare non poſſit niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus .... eo quoque prius reſpecto patrimonium illud vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint; atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium eccle-*

ſtaſticum ſufficiens ſint adepti, *vel aliunde habeant*, *unde vivere poſſint*, *antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando*. Ex quibus tamen patet titulum ſub quo quis fuit ordinatus, reſignari aut alienari poſſe de licentia Epiſcopi, cujus eſt providere juxta præfatam Synodi diſpoſitionem, ut Clericus habeat aliunde aliquod beneficium, aut alium æquivalentem proventum, unde commode vivere poſſit.

Quæres quænam pœna lata ſit in eos qui ſine titulo ordinantur?

Reſpondeo loco mox citato Concilium Tridentinum antiquorum Canonum pœnas innovare in eos qui ſine licentia Epiſcopi alienarent, aut extinguerent ſuum titulum nondum adempto beneficio eccleſiaſtico de quo vivere poſſent; unde infertur manifeſte eaſdem pœnas mereri qui ordinarentur fraudulenter & ſub fictitio titulo, hoc eſt, ſi initiandus proferret beneficium exigui redditus, vel litigioſum, & quod pacifice non poſſideret, aut patrimonium non ſufficientis pariter redditus vel oppignoratum; quapropter Fagnanus inſignis Canoniſta in cap. *Cum ſecundum* titulo *de præb.* teſtatur ſacram Congregationem hoc modo interpretatam fuiſſe præfatum Concilii textum., *Die vigeſima ſeptima Novembris an.* 1610. inquit, *Congregatio Concilii omnium ſententiis cenſuit hoc caſu pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non fuiſſe correctam*, *& hodie a Concilio Tridentino eſſe innovatam*, *& propterea ejuſmodi Clericum*, *qui adhibito dolo*, *confictoque titulo Ordinatorem decepit*, *eſſe ipſo jure ſuſpenſum*, *carereque Ordinum ſuſpenſione*. Revera hujuſmodi decretum Concilii non fuit in regno publicatum, ſed non pugnat adverſus libertates Eccleſiæ Gallicanæ, porum ac ſinceram Eccleſiæ diſciplinam exhibet, rationi ipſi maxime conſentaneum eſt, & tandem ut refert Jueninus, promulgatum fuit in Synodis Galliæ Provincialibus Rhemenſi an. 1564. Rotomangenſi an. 1581 Burdigalenſi an. 1583. Turonenſi eodem anno, quibus conſonant Edicta Regia; Aurelianenſe art. 12. 13. 14. & Bleſenſe art. 7.

Atque id intelligitur de iis qui fraudulenter agunt, & ſuum decipiunt Epiſcopum, qui enim ſine titulo ordinantur de conſenſu Epiſcopi, nullam incurrunt ſuſpenſionis pœnam, ſed tenetur duntaxat Epiſcopus ipſis providere, ut declaravit Innocentius III. cap. *Cum ſecundum*, tit. *de prabendis*, ubi ſic loquitur, *Licet prædeceſſores noſtri Ordinationes eorum qui ſine certo titulo promoverentur*, *in injuriam Ordinantium irritas eſſe voluerint & inanes*, *nos tamen benignius agere cupientes*, *tandiu per Ordinatores vel ſucceſſores eorum provideri volumus Ordinatis*, *donec per eos Eccleſiaſtica beneficia conſequantur*.

Decima Conditio.

Vocatio.

Inter diſpoſitiones ſacris Ordinibus recipiendis prærequiſitas, ultimam proferimus & quaſi coronidis loco divinam vocationem, quia in rei veritate alias omnes aut ipſa continet aut præſupponit. Divinæ vocationis nomine intelligitur electio qua Deus quoſdam homines præ aliis ad ſacras functiones obeundas elegit ac deſtinavit. Ejuſmodi vocationem eſſe neceſſariam adeo manifeſtum eſt ex Scripturis & SS. Patribus, ut a nemine Catholico vocari poſſit in dubium; ſed longe major eſt difficultas quibus ſignis certo innoteſcere poſſit, an quis ſit vere a Deo vocatus nec ne; hoc utrumque paucis expediemus.

Primo igitur divinam vocationem eſſe neceſſariam aperte docent Scripturæ Joan. 10. Chriſtus Dominus furem habet eum qui non intrat per oſtium, hoc eſt per ipſum, ipſo vocante, ait enim ibidem, *Ego ſum oſtium*, *per me ſi quis introierit*, *ſalvabitur*, *& ingredietur*, *& egredietur*, *& paſcua inveniet*. Sic autem loquitur Chriſtus, *Qui non intrat per oſtium.*

ſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro, qui vero intrat per oſtium, paſtor eſt ovium. Unde habetur ſaluti æternæ neceſſariam eſſe Dei vocationem, fures enim non ſalvabuntur, ſed qui per oſtium introierint.

Clarius adhuc loquitur Apoſtolus ad Hebræos cap. 5. his verbis, *Nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu*. Ubi expreſſe vatat Apoſtolus, ne quis ſumat ſibi Sacerdotii honorem, atque neceſſariam eſſe Dei vocationem, quod utique probat ex ipſius Chriſti exemplo, qui non ſuopte deſiderio, ſed ex voluntate Patris ſui creatus eſt Pontifex. Unde idem Apoſtolus ad Epheſios c. 4. ſignificat ſolius Dei eſſe diſtribuere Miniſteria Eccleſiaſtica, *Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii*. Et I. ad Corint. cap. 7. *Unuſquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic*. Ac demum II. Corint. cap. 3. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit Miniſtros novi Teſtamenti*. Per gratiam ſcilicet vocationis, qua deficiente impoſſibile eſt, ut Miniſtri munia ſua recte impleant.

Eadem veritas colligitur ex SS. Patribus e quibus unum aut alterum duntaxat proferemus teſtimonium, certum eſt enim eos omnes teſtari neminem debere ſacro Miniſterio ſe ingerere ac veluti intrudere niſi quantum fieri poteſt appareat Dei vocatio juxta locum Apoſtoli mox laudatum, *Nec ſumit quisquam ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo ſicut Aaron*. Sic v. g. loquitur S. Cyprianus epiſt. 52. ubi de Papa Cornelio, *Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio ..... tum deinde poſt Epiſcopatum non exambitum, nec extortum, ſed de Dei qui Sacerdotes facit, voluntate ſuſceptum*. Si Deus Sacerdotes facit, eos a Deo vocari neceſſe eſt. S. Bernardus tractatu de vita & moribus Clericorum cap. 5. *Videte*, inquit, *vocationem veſtram, ait vocatus Apoſtolus, conſideremus & nos an vocati venerimus, & vocati a Deo cujus nimirum hæc vocatio eſt*. Unde longe antea dixerat S. Leo M. ſerm. I. in die Aſſumptionis ſuæ, *Qui mihi honoris eſt autor, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adjutor*.

Huic doctrinæ favet maxime ratio, videlicet conſtat neminem poſſe curam animarum gerere, variaque miniſterii Eccleſiaſtici ac præſertim paſtoralia officia exequi, niſi in omni virtutum genere ſit exercitatus; unde Apoſtolus ait epiſt. ad Titum cap. I. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, &c.* & I. ad Timot. cap. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, &c.* Sed iſtis Chriſtianis virtutibus fulgere non poteſt, eaſque palam, ut decet atque ad populorum ædificationem exercere, niſi ſpeciales accipiat a Deo gratias, quæ proprie loquendo gratiæ ſunt ſacramentales ſacri Ordinis, poſitæ nimirum in actualibus auxiliis quæ initiatis dantur in tempore ad portanda Miniſterii onera, & Sacerdotii functiones debite obeundas. Quis autem ſperare aut præſumere poterit ſe tales gratias & auxilia a Deo acceptурum, a quo vocatus non fuit ad ejusmodi Miniſterium exercendum, cui ſe proprio ingenio ingeſſit Deo non vocante & ſæpius inconſulto, & conſequenter qui in domum Dei non intravit per oſtium, ſed tanquam fur & latro.

His poſitis principiis quæ a nemine in dubium revocari poſſunt, gravior eſt difficultas quibus ſignis innoteſcere poſſit illa Dei vocatio, Deus enim ordinarie ſuam ea de re voluntatem nullo ſigno manifeſtat.

Nollem pronuntiare cum quibusdam Theo-

Theologis abſolute conſtare aliquem non eſſe a Deo vocatum ad munia Sacerdotalia, quando in eo ſunt defectus corporis qui habentur irregularitates & impedimenta ad Ordines eorumque functiones, ut ſi quis cæcus claudusve fuerit aliisve defectibus laboraverit, qui a Sacerdotio arcebant Judæos; pridem enim tulit Eccleſiæ diſciplina & indulgentia, ut circa pleroſque illos defectus diſpenſent ſummi Pontifices, quod utique non præſtarent, ſi certum atque indubitatum eſſet, eos omnes a Sacerdotio & aliis Eccleſiaſticis miniſteriis a Deo eſſe repulſos qui præfatis defectibus laborant.

Sunt autem alia ſigna longe certiora, ex quibus poſſit quis ſincere ſuam conſcientiam explorans colligere ſe a Deo non fuiſſe ſtatui Sacerdotali deſtinatum. 1. Poterit expendere, num ex recto & laudabili motivo munus hoc ſuſceperit, quisquis enim a Deo vocatus fuerit, rectam habebit intentionem, juxta illud Chriſti effatum Matth. 6. *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit, ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Expendat igitur, num Clericalem profeſſionem amplexus fuerit, ut totum ſe daret muniis Eccleſiaſticis pro ſua & populi ſalute, *Omnis enim ex hominibus aſſumptus*, inquit S. Paulus ad Hebr. cap. 5. *pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*. Et ideo ſe a Deo non fuiſſe vocatum colligere merito poterit, qui hunc ſtatum non ambierit niſi ex motivo implendæ cupiditatis ut vel temporales de Chriſti patrimonio proventus poſſideant, vel ad honorificas Eccleſiæ dignitates aſcendant.

Alterum vere vocationis ſignum eſt, cum aliquis ad Clericatum aſpirans, omnibus ſupra laudatis dotibus vere eſt inſtructus, qui ætatem habeat competentem, ſcientiam exquiſitam, excultam morum probitatem &c. aliter enim ad obeunda Ordinis Eccleſiaſtici munia erit plane ineptus, quod indicio eſt manifeſto eum a Deo non fuiſſe electum. Ne quis autem dubitans, num ſit a Deo vocatus, aut ſcrupulis angatur aut periculoſius erret, conſulere debet virum ſcientia, & pietate conſpicuum, ac præſertim in rebus eccleſiaſticis exercitatum, cui ſua motiva & occultiſſimos ſuæ conſcientiæ receſſus aperiat; ordinandorum vocationem explorare, imprimis debet Epiſcopus ex Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform. *Nullus*, inquit, *debet ordinari qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis*.

At inquies, Si tantæ neceſſitatis eſt Divina vocatio, eaque certo ſint vera vocationis ſigna, inde ſequitur eum qui clericalem Profeſſionem ingreſſus eſt, carens præfatis dotibus, immo ſola honorum & divitiarum mundana cupiditate ductus, defectu vocationis debere de ſua ſalute deſperare, ſi enim ſacris & majoribus Ordinibus ſit initiatus, ad ſæculum redire non poteſt, ut definivit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. Can. 9. ubi anathema pronuntiatur adverſus eos qui dixerint, *Poſſe omnes contrahere matrimonium qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam voverint, habere donum*. Docet tamen fides nemini de ſua ſalute deſperandum eſſe quandiu vivit: igitur.

Reſp. Clericum, qui nec ex laudabili motivo, nec cum prærequiſitis dotibus ſtatum Sacerdotalem amplexus eſt, non debere propterea de ſua ſalute deſperare, quia etſi graviter ille peccaverit, non eſt tamen ullum hoc in ſæculo peccatum irremiſſibile, debet ille ſinceram agere pœnitentiam quod inconſulto & ex vitioſa intentione ſanctiſſimum ſuſceperit munus. Et aliunde, cum multis in Dei Eccleſia officiis exercendis imparem ſe noverit defectu ſcientiæ aut pietatis competentis,

ab.

ab illis prudenter abſtinere debet, ne, ut ait S. Leo, volens conſulere populis, noceat; volens præſtare regimen, augeat diſerimen.

Quæres utrum bonum ſit deſiderare ſacros Ordines juxta illud Apoſtoli I. ad Timot. 3. *Fidelis ſermo, qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.*

Reſponſio eſt facilis, bonum & licitum eſt appetere & poſtulare Epiſcopatum, idemque ſit judicium de aliis Ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis, ſi hoc fiat ex motivo charitatis, malum vero & illicitum ſi ex motivo cupiditatis, id enim docent una voce omnes SS. Patres, *Si quis Epiſcopatum deſiderat*, inquit S. Chryſoſtomus Homil. 10. in I. ad Timot. *non culpo, non improbo, opus quippe regiminis eſt, ſi quis hunc idcirco appetit, non in principatus aut dominationis faſtu, verum cura regiminis & charitatis affectu; non improbo, inquit Paulus, bonum quippe deſiderat opus, ſi quis ita deſideret, deſideret.*

Rem egregie explicat S. Thomas quem in hac parte ſequuntur cæteri Theologi & Scripturæ interpretes, ſic enim loquitur 2. 2. qu. 185. art. 1. *In Epiſcopatu tria poſſunt conſiderari, quorum unum eſt principale & finale, ſcilicet Epiſcopalis operatio, per quam utilitas proximorum intenditur ſecundum illud Joan. ultimo, Paſce oves meas. Aliud autem eſt altitudo gradus, quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur ..... Tertium autem eſt quod conſequenter ſe habet ad iſta, ſcilicet reverentia & honor & ſufficientia temporalium ..... appetere ergo Epiſcopatum ratione hujuſmodi circumſtantium bonorum, manifeſtum eſt quod eſt illicitum & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem ...... quantum autem ad ſecundum, ſcilicet ad celſitudinem gradus, appetere Epiſcopatum eſt præſumptuoſum ....; ſed appetere proximis prodeſſe, eſt ſecundum ſe laudabile & virtuoſum.*

Caput XII.

Quot ſint Ordines.

Plures in Miniſterio Sacerdotii admittendos eſſe Ordines æquum eſſe judicarunt Patres Tridentini, *Quo dignius*, inquiunt, ſeſſ. 29. cap. 2. *& majori cum veneratione exerceri poſſet. Ita vero diverſi illi Miniſtrorum Ordines fuerunt diſtributi, ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent.*

Hoc ipſum fide Divina credendum ſtatuit eadem Synodus Can. 2. *Si quis dixerit*, inquit, *præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & majores & minores ..... anathema ſit*, eſt contra Novatores qui Ordinum numerum ferre non poſſunt.

Septem aſſignantur in Eccleſia Latina, nempe Oſtiarius, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus; iſque numerus commemoratur ab Autoribus priorum ſæculorum, puta a Cornelio Papa in epiſtola ad Fabium Antiochenum, quæ legitur apud Euſebium lib. 6. Hiſt. eccleſiaſt. cap. 43. ubi S. Pontifex teſtatur hocce ſæculo, *Romæ fuiſſe Presbyteros quatuor & quadraginta, ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos & quadraginta, Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos.* Item a Concilio Carthag. IV. quod habitum eſt anno 398. ubi præfati Ordines ſingillatim recenſentur, additis ſingulorum officiis & ritu quo ſolebant in Eccleſia conferri.

Unde & poſt Eugenium IV. in ſuo decreto eundemque quoque numerum recenſet Concilium Trident. loco mox citato, his verbis quibus aſſerit, *Non ſolum de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis apertam fieri mentionem in ſacris Litteris, & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequen-*

Digitized by Google

quentium Ordinum nomina, atque uniuſcujusque eorum propria miniſteria, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris & Oſtiarii, in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus & Conciliis ſacris refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentiſſime legimus.

Sic tamen hoc intelligendum eſt, ut hæc ſancta Synodus eorum ſententiam non damnaverit, qui plures quam ſeptem agnoverint Ordines; agebat enim, ut diximus, contra præſatos Novatores qui tres tantum admittebant Ordines; tum quia Concilium non definit ſeptem tantum eſſe Ordines, tum quia in varias partes hoc in negotio abeunt Theologi, extant enim qui docent Epiſcopatum eſſe Ordinem eccleſiaſticum; alii vero addunt etiam Tonſuram clericalem. Item conſtat apud Græcos a multis ſæculis quatuor duntaxat eſſe admittendos Ordines, ſcilicet Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum & Lectoratum, ut videre eſt in eorum Euchologiis. Dixi a multis ſæculis, nam in Eccleſia Græca plures olim fuiſſe Ordines, manifeſte colligitur ex Concilio Laodiceno, quod Canone 23. meminit Cantorum, & Canon. 24. Exorciſtarum, & Oſtiariorum. Objici poſſet adverſus hunc Ordinum numerum, inde merito colligi plura eſſe quam ſeptem Sacramenta, quia Epiſcopatus eſt etiam Ordo verus, & eſt etiam juxta multos Theologos Sacramentum; unde ſequitur futurum, ut ſint octo Sacramenta, quod manifeſte adverſatur communi Catholicorum Doctrinæ.

Reſpondeo Epiſcopatum & Presbyteratum non duos facere Ordines, ſed unum duntaxat, licet Epiſcopus jure Divino ſuperior ſit Presbytero, quia Ordinum diverſitas repetitur penes ſacrificium in quo uterque par & ſimile exhibet ac ſimiliter ſuum miniſterium, quoad hoc ſunt in eodem Ordine, & ita ſeptem duntaxat ſunt Ordines.

Ex his ſeptem Ordinibus tres ſunt qui dicuntur majores & ſacri, nempe Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, ſic dicti quia propius ſpectant, &, ut ita dicam, accedunt ad Euchariſtiam, quæ primarium eſt Sacramenti Ordinis objectum. Juxta S. Thomam in 3. diſt. 24. q. 2. art. 1. *Ordo dicitur ſacer ratione materiæ, qui habet aliquem actum circa rem aliquam conſecratam, & ſic ſunt tantum tres Ordines ſacri, ſcilicet Sacerdos & Diaconus qui habent actum circa Corpus Chriſti & Sanguinem conſecratum, & Subdiaconus qui habet actum circa vaſa conſecrata.* Quatuor vero alii Ordines appellari ſolent majores propter rationem oppoſitam. De ſingulis ſigillatim eorumque inſtitutionibus & officiis nunc differendum eſt, poſtquam nonnulla dixerimus de Tonſura clericali, quæ ante quemlibet ex laudatis Ordinibus tum majoribus, tum minoribus conferri ſolet.

CAPUT XIII.

De Tonſura.

Tonſura clericalis eſt cæremonia eccleſiaſtica per quam Laicus Clero aſcribitur. *Cæremonia* quidem, nam Tonſura confertur per aliquid externum & ſenſibile, per capillorum tonſionem & humeris impoſito ſuperpelliceo, cum Orationibus quæ funduntur ſimul ab Epiſcopo. Additur *Eccleſiaſtica*, hoc eſt inſtitutionis Eccleſiaſticæ, non Divinæ; quia hujus mentio habetur nulla in primis Eccleſiæ ſæculis. Denique *per quam Laicus Clero aſcribitur*, qui enim tonſuratus eſt, hoc ipſo eſt quodam modo e plebe ſegregatus, fruiturque Clericorum privilegiis, poteſt poſſidere beneficia, ad Ordines promoveri, &c. Sub his tamen conditionibus quas apponit Concilium Trident. ſeſſ. 23.

ſeſſ. 23. cap. 6. de ref. *Is etiam* Clericus, *fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola vel univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur.*

Antiquiſſimam eſſe hanc Clericos tondendi conſuetudinem colligitur ex Concilio Carthag. IV. cap. 44. ubi ſic habet, *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat;* ex Agath. c. 20. *Clerici qui comam nutriunt ab Archidiacono, etiamſi noluerint, inviti detondeantur.* Item apud Gregorium Turonenſem, ut obſervat Morinus, de Laicis qui ſæculari vitæ renuntiant, ſæpius dicitur, tonſuratus eſt, tonſurari ſe fecit, veluti de primo gradu quem figebat vitæ clericalis candidatus. Quod tamen non crediderim ab Apoſtolis derivatum, quicquid dicant nonnulli qui hanc ſententiam amplexi ſunt propter hæc Pontificalis Damaſi in Aniceti vita, *Conſtituit ut Clericus comam non nutriat ſecundum præceptum Apoſtolicum.* Hoc enim decretum ſuppoſitum eſſe, ut & alias epiſtolas decretales, quæ ſummis Pontificibus ante Siricium tribuuntur, jam fatentur omnes Eruditi.

Dehinc & antiquiſſima eſt Tonſuræ figura, quæ olim ut nunc, rotunda fuit per modum coronæ, ut indicat epiſt. 33. olim 147. S. Auguſtini ad Proculejanum Donatiſtam, *Honorant nos veſtri*, inquit, *honorant vos noſtri, per coronam noſtram nos adjurant veſtri, per coronam veſtram vos adjurant noſtri;* qualis & quanta fuerit illa corona deſcribit Concil. Toletanum IV. cap. 40.

Tradit Morinus exercit. 15. cap. 3. Tonſuram clericalem olim non fuiſſe, ut nunc, datam ſeparatim, ſed ſimul cum primo Ordine oſtiariatu, aut lectoratu qui conferebatur, idque ex eo ſuſpicatur quod Antiqui ſcribunt hominem a Laicatu tranſire ad aliquem Ordinem, nulla facta mentione Tonſuræ, quamvis conſtet tonſos fuiſſe Clericos, ut videre eſt apud Siricium epiſt. ad Himerium cap. 9. in Concilio Bracar. c. 38. Carthag. III. cap. 19. quem morem adhuc Græci uſurpant, Tonſuram enim clericalem cum Lectoratu ſemper conjungunt. Unde nonniſi, ab aliquot ſæculis, teſte eodem Morino, Tonſura clericalis ſeparatim ab omni Ordine confertur, illique paulatim plurima annexa ſunt privilegia.

Quæres utrum Tonſura Clericalis ſit Ordo?

Reſp. negative, quia Ordo eſt poteſtas miniſterium Eccleſiaſticum exercendi præſertim circa Euchariſtiam, ſed Tonſura clericalis nullam dat poteſtatem Clericis ad ullum miniſterium Eccleſiaſticum obeundum: igitur Tonſura clericalis non eſt Ordo, & a fortiori non eſt Sacramentum; ſed eſt ſolummodo diſpoſitio ad Ordines, mera ad cultum divinum deputatio. Nec dicas per Tonſuram conferri facultatem poſſidendi beneficia Eccleſiaſtica. Hæc ſiquidem facultas eſt potentia mere paſſiva.

Quæres quænam requirantur ad recipiendam Tonſuram?

Reſp. Has diſpoſitiones præſtituere Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. de ref. ubi ſic habet, *Prima Tonſura non initientur qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut fidelem Deo cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.* Circa ætatem nihil quidem definiit Synodus, ſed Epiſcopi non ſolent cuiquam Tonſuram conferre antequam annum decimumquartum attigerit.

Quoniam vero per Tonſuram clericalem Clerici fiunt, & a plebe ſegregantur initiati, data occaſione nonnihil diſſeremus de Clericorum nomine, & eorum diſtinctione a Laicis.

CAPUT XIV.

De nomine & ſtatu Clericorum.

NOmen Clerici derivatur a verbo græco κλῆρος quod ſignificat ſortem vel hereditatem; unde Miniſtri Eccleſiæ vocantur Clerici, quia cum ſint cultui divino ex ſua conditione deſtinati, Dei ſunt peculiariter ſors & hereditas.

Contra vero nomen Laici derivatur a verbo græco λαὸς, quod ſignificat populum. Unde nata hæc diſtinctio in Eccleſia ab omni ævo uſurpata, qua Paſtores & Miniſtri dicuntur *Clerici*, cæteri vero Chriſtiani dicuntur Laici.

Lutherus & Calvinus eorumque aſſeclæ quoniam Clerum & Hierarchiam Eccleſiaſticam oderunt, & aliunde multitudinis Fidelium benevolentiam captare ſtudent, hanc Clericorum & Laicorum diſtinctionem rejiciunt velut Chriſtianis injurioſam, erroneam & impiam; ſic enim loquuntur Lutherus lib. de abroganda Miſſa privata, & Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 4.

Sed contra nomen Clerici merito tribui Miniſtris Eccleſiæ, per quod videlicet diſtinguatur a Laicis, & ſignificetur peculiaris quidam ſtatus, honor & dignitas, conſtat maxime ex Scripturis, ex SS. Patribus & univerſali Eccleſiæ traditione.

1. Ex Scripturis quæ docent rem ita fuiſſe ab ipſo Chriſto præſcriptam, ut varii ſint Eccleſiæ Miniſtri ſupra populum & Laicos conſtituti, I. Corint. 12. *Quoſdam poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores .... nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores?* Act. 13. *Dixit illis Spiritus S. Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Quibus nihil clarius deſiderari poteſt.

2. Ex SS. Patribus, unum loco cæterorum profero S. Hieronymum hæc ſcribentem in epiſt. 2. ad Nepotianum, *Igitur Clericus qui ſervit Eccleſiæ, interpretetur primo vocabulum ſuum & nominis definitione prolata, nitatur eſſe quod dicitur. Si enim* Cleros *græce*, Sors *latine appellatur, propterea vocantur, Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt.*

3. Ex vulgata Eccleſiæ doctrina, ab initio enim Chriſtianiſmi ad hunc uſque diem, Eccleſiæ Miniſtri appellati ſunt Clerici, velut homines a Laicis ſecreti, ut conſtat ex Origene homil. 7. in Jeremiam, ex multis canonibus Apoſtolorum qui creduntur tertio ſæculo condiri, & plurimis etiam canonibus Concilii Nicæni M. & aliis poſtea Scriptoribus, qui ſemper eandem appellationem tribuerunt Paſtoribus & Miniſtris.

Neque objicias cum Hæreticis, omnes Chriſtianos fideles promiſcue deſignari Chriſti hæreditatem, & ejuſdem eſſe conditionis in Chriſto, Pſal. 2. *Poſtula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* Ad Galatas 3. *Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina, omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* Namque fatemur omnes Fideles eſſe quid unum in Chriſto, quia ſunt membra ejuſdem corporis myſtici, quod eſt Eccleſia; ſed inde non ſequitur Miniſtros non eſſe peculiari titulo nobiliora hujus corporis membra, nec peculiariter ad illam Dei hæreditatem pertinere: quo ſenſu, cum Tonſura initiantur dicere ſolent, *Dominus pars hæreditatis meæ.* Non quod omnium bonorum temporalium poſſeſſioni renunciare teneantur, ut volebat Wiclefus, ob id damnatus in Concilio Conſtantienſi, ſed ut ſignificent animo ſe non eſſe negotiis ſæcularibus implicatos.

At inquies, S. Petrus epiſt. 1. cap. 5. deſignat omnes Fideles ſub nomine Cleri, *neque ut dominantes in Cleris.* Id eſt, in cœtu Fidelium.

Nego ant. quia probabilius per Clerum eo loci intelliguntur Clerici, nam

S. Pe-

S. Petrus monet ſeniores, ut ſupra inferiores dominium ſuum non exerceant; ita S. Hieronymus loco ſupra citato, & alii interpretes.

Quod objicitur ex Tertulliano, qui lib. de exhortatione ad caſtitatem, inſinuare videtur omnes Laicos eſſe Sacerdotes, ſolutum habes, ubi de Miniſtro Euchariſtiæ.

CAPUT XV.

De Oſtiariatu.

PRimus inter Ordines minores incipiendo ab imperfectioribus ſeu minus perfectis, eſt Oſtiariatus a quo Oſtiarii ſeu Janitores appellati ſunt hoc Ordine initiati. Horum officium eſt Eccleſiæ januas aperire & claudere, campanam pulſare, prohibere ne quis Laicus ad ſacrum Altare propius accedat, ab ingreſſu Eccleſiæ arcere infideles & excommunicatos, &c.

De Oſtiariis mentio habetur apud S. Cyprianum epiſt. 34. & S. Auguſtinum ſerm. 46.

Confertur hic Ordo per Clavium traditionem, & hæc Epiſcopi verba, *Sic agite quaſi reddituri Deo rationem pro his rebus quæ his Clavibus recluduntur.* Ubi habetur in Concilio Carthaginenſi IV. Quapropter Oſtiariatus recte definitur, Ordo quo Clericus conſtituitur Templi janitor, ejusque ſacræ ſupellectilis cuſtos. Quæ quidem definitio, uti & aliorum Ordinum, deſumitur ab ejus officio & munere.

CAPUT XVI.

De Lectorum Ordine.

OFficium Lectoris erat olim in Eccleſia publice legere Scripturam ſacram, quam poſtea Epiſcopus populo explicabat. Item fidei rudimenta Catechumenis & Baptizatis exponere.

De Lectoribus ſermo habetur apud Tertullianum lib. de præſcript. Hæreticorum cap. 41. apud S. Cyprianum epiſt. mox laudata in Concil. Carthagin. III. Can. 19. &c.

Confertur hic Ordo per traditionem ſacri Codicis, & hæc verba quæ profert Epiſcopus, *Accipite & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio.* Quapropter Lectoratus recte definitur, Ordo quo Clericis traditur poteſtas legendi publice in Eccleſia Scripturam ſacram.

CAPUT XVII.

De Exorciſtarum Ordine.

OFficium Exorciſtarum eſt, dæmones per nomen Domini adjurare, ut Energumenis minime noceant, aut omnino exeant, quod utique fieri debet per impoſitionem manuum, ut indicat Concilium Carthaginenſe IV. juxta illud Chriſti Domini Lucæ. 18. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper omnem virtutem inimici.*

Exorciſtas memorant S. Firmilianus in epiſt. ad S. Cyprianum, S. Hilarius libro de Synodis, Concilium Carthaginenſe IV. Can. 90. &c.

Confertur hic Ordo per traditionem libri in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, & pronuntiando hæc verba, *Habete poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum ſive Baptiſatum, ſive Catechumenum.* Unde hoc Officium, quod ſpectat Energumenos omnes vel etiam Baptiſatos, differt ab Officio Sacerdotum, qui inter baptiſandum Exorciſmos adhibent ſolum ut Catechumeni præparentur ad Baptiſma. Quapropter Exorciſtatus recte definitur Ordo quo Clericis datur poteſtas ejiciendi dæmones ab omnium Energumenorum corporibus.

Neque objici debet jam nullum eſſe talem Ordinem in Eccleſia, quia nullus revera eſt qui dæmones expellendi poteſta-

ſtatem habeat, namque contendimus hanc eandem poteſtatem adhuc reſidere in his qui hoc Ordine initiati ſunt, licet effectu ſuo careat per accidens aut defectu occaſionum, aut defectu fidei vel Energumenorum vel ipſorum Exorciſtarum; ſiquidem hujus Ordinis & prædictæ poteſtatis meminerunt SS. Patres & Concilia.

Caput XVIII.

De Acolythorum Ordine.

Officium hujus Ordinis eſt præparare vinum & aquam in urceolis, eaque ſubminiſtrare Subdiacono. Item Luminaria Eccleſiæ accendere, & deferre dum Evangelium ſolemniter decantatur, unde Acolythi dicuntur Ceroferarii.

Acolythi occurrunt apud S. Cyprianum epiſt. 28. Innocentium I. epiſt. 4. S. Auguſtinum epiſt. 191. &c.

Confertur hic Ordo per traditionem Urceoli & hæc verba, *Accipite Urceolum ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti*, & tradente eis Epiſcopo Ceroferarium cum Cereo. Quapropter recte definitur, *Ordo quo datur Clerico poteſtas miniſtrandi Subdiacono in celebratione Miſſæ.*

Caput XIX.

De Subdiaconatu.

Subdiconatus non fuit ſemper Ordo ſacer, tres enim tantum Ordines antiquitus recenſebantur, Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus. Ita Urbanus II. in Synodo Beneventana, *Nullus in Epiſcopatum eligatur niſi in ſacris Ordinibus fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum.*

Collocatur Subdiaconatus inter ſacros & majores Ordines, quod videlicet ejus miniſterium propius accedit ad auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium, quod eſt primarium Sacramenti Ordinis objectum. Subdiaconus ſic dicitur, quod ejus officium eſt Diacono ad Altare ſubſervire, ſacra vaſa, indumenta & panem ac vinum præparando. De Subdiaconis nulla videtur facta mentio ante S. Cyprianum epiſt. 22. Dicuntur a Græcis Hyppodiaconi, ut videre eſt in Concilio Laodiceno Can. 21. & 22.

Circa materiam eſſentialem Subdiaconatus diſſentiunt inter ſe Theologi, quoad nempe ſpectat Eccleſiam Latinam; Græci enim materiam Ordinum collocant in impoſitione manuum, & formam in Oratione. Ac 1. conſtat Subdiaconatum non conferri per impoſitionem manuum; 2. hujus materiam aſſignant multi, calicis vacui & patenæ vacuæ traditionem ab Epiſcopo factam; 3. alii addunt tunicam, manipulum & librum epiſtolarum ab Epiſcopo ſimiliter tradita in Ordinatione; 4. nec deſunt qui dicant hujus Ordinis materiam in ſola libri Apoſtolici traditione ſitam. Ego quidem lubens amplecterer eorum ſententiam, qui dicunt ſolius calicis vacui & patenæ vacuæ, traditionem eſſe materiam eſſentialem Subdiaconatus, qui alterius materiæ ab Epiſcopo traditæ mentionem non facit Concilium Carthag. IV. uti nec Eugenius in ſuo decreto, cætera quæ porriguntur, haberi poſſunt pro materia integrante. Quod formam ſpectat, fatentur omnes eam in illis verbis poſitam, quæ pronuntiat Epiſcopus applicando materiam.

Officium Subdiaconi, prout colligitur ex Ponticali, eſt, calicem & patenam ad altare deferre, legere epiſtolam, pallas altaris & corporalis abluere, oblationes ſuſcipere, quod utique fit in Miſſis ſolemnioribus. Subdiaconatus recte definitur, *Ordo ſacer quo datur cuipiam poteſtas ſubſerviendi Diacono in celebratione Miſſæ.*

Obſervat, probatque Morinus exercit. 12. c. 6. Subdiaconatum non fuiſſe apud Latinos majoribus Ordinibus annu-

numeratum proter cœlibatum ipſi annexum, quia poſt legem cœlibatus Subdiaconis præſcriptam, adhuc erat inter minores Ordines, & extra Sanctuarium conferebatur. Siricius in epiſtola ad Himerium non profert regulam cœlibatus pro Clericis ultra Diaconos; ſed videtur lex illa jam univerſum Occidentem pervaſiſſe temporibus S. Gregorii M. hoc eſt in fine ſæculi ſexti; quo qnidem tempore inter minores Ordines adhuc recenſebatur Subdiaconatus. Dixi apud Latinos, nam Græci etiamnum minoribus Ordinibus accenſent Subdiaconatum.

CAPUT XX.

De Diaconatu.

AN Diaconatus ſit veri nominis Sacramentum fuſe ſatis diſcuſſimus initio hujuſce tractatus.

Nomen Diaconi indicat miniſterium, Diaconi enim fuerunt ſemper Epiſcoporum & Presbyterorum Miniſtri, ipſis in functionibus ſacris ſubſervientes, unde *Miniſtri* perſæpe dicuntur ſine addito apud autores ſacros, & Levitæ, quia nunc Sacerdotibus, ſicut in veteri lege Levitæ ſubſerviunt. Eorum functiones plurimæ ſemper fuerunt in Eccleſia, quarum tres præcipuas ipſis aſſignat Epiſcopus in eorum Ordinatione, *Oportet*, inquit, *Diaconum miniſtrare ad Altare*, *baptiſare*, *& prædicare*. Hæ functiones fuſius explicabuntur in ſequenti diſſertatione.

Confertur hic Ordo per manuum impoſitionem & per libri Evangeliorum porrectionem, per quam eis datur poteſtas legendi Evangelii pro vivis & defunctis. Unde nata eſt quæſtio inter Theologos quænam ſit materia huic Ordini eſſentialis, an impoſitio manuum, vel libri Evangeliorum porrectio; ſed & verior & ſecurior longe videtur eorum ſententia, qui dicunt in manuum impoſitione ſitam eſſe materiam eſſentialem Diaconatus, formam vero in ratione; ſeu quia Græci qui verum Diaconatus Ordinem poſſident non aliam habent materiam, nec aliam formam, ſeu quia non alio modo ſeptem primi Diaconi ordinati fuerunt ab Apoſtolis, non autem per Evangeliorum porrectionem, ea quippe nondum erant conſcripta, Actuum 6. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum & orantes impoſuerunt eis manus*. Ex quo loco etiam colligitur formam Ordinationis Diaconorum in oratione poſitam, quippe quæ ab ipſis Apoſtolis adhibita fuit in ſeptem Diaconorum inſtitutione.

Duo hic veniunt examinanda. 1. Utrum ad miniſterium mere prophanum Diaconi fuerint ab Apoſtolis inſtituti; 2. de Diaconiſſis earumque officio.

CAPUT XXI.

Utrum mere prophanum fuerit Miniſterium Diaconorum.

COntendunt Novatores ſeptem Diaconos, quorum mentio habetur Act. 6. non fuiſſe ordinatos ab Apoſtolis, niſi ad prophanum munus, puta ut viduis aliiſque pauperibus eleemoſynas diſtribuerent, & menſarum curæ præficerentur ad tempus, non in perpetuum, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Non mere prohanum, ſed ſacrum fuit miniſterium ſeptem Diaconorum, qui ab Apoſtolis ordinati leguntur, idque conſtat,

1. Ex ipſo cap. 6. Act. ubi non modo Apoſtoli volunt eligendos eſſe viros boni teſtimonii & fideles, quod certe ſufficit ad eleemoſynarum diſtributionem digne faciendam, ſed poſtulant inſuper ut pleni ſint Spiritu Sancto & ſapientia, *Conſiderate viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu Sancto & ſapientia*. hoc eſt in rebus fidei & religionis peritiſſimos, qui pro ſua doctrina & pietate in

in ſacro noſtro miniſterio adjuvare nos poſſint. Quapropter ipſis Apoſtolorum temporibus, hi Diaconi confeſtim ſacra munia obierunt, teſte S. Luca in Actibus Apoſtolorum. Stephanus ſumma cum eruditione fidem Chriſti & myſteria annuntiavit. Philippus Evangelium in Samaria prædicavit & multos baptiſavit, vi ſcilicet ſuæ Ordinationis; agebat enim perſonam Miniſtri Sacramentorum, neque voluit a ſe baptiſatos confirmare.

2. Id conſtat ex eo quod videmus Diaconos in Eccleſiis, ſemper & ubique collocatos fuiſſe inter Eccleſiæ Miniſtros, & ſacra & eccleſiaſtica munia obiiſſe. Inſigne eſt quod ſcribit S. Ignatius epiſt. ad Trallianos, *Oportet*, inquit, *& Diaconos myſteriorum Chriſti Miniſtros omnimodo omnibus placere, non enim ciborum & potuum Miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei Miniſtri*.

S. Cyprianus epiſt. 65. ſacris etiam Eccleſiæ Miniſtris accenſet Diaconos, *Diaconos*, inquit, *poſt aſcenſum Domini in Cælos, Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros*.

Item baptiſabant olim Diaconi ex Tertul. lib. de Bap. cap. 17. *Jus dandi Baptiſmum*, inquit, *ſummus Sacerdos habet, dehinc etiam Presbyteri & Diaconi*.

Deinde Euchariſtiam populo diſpenſabant, ut patet ex S. Juſtino apolog. 2. ex Concil. Nicæn. I. Can. 18. ex Arel. II. Can. 15. ex Carthag. IV. Can. 38. & S. Ambroſ. lib. 1. off. c. 40. Idque ipſis competebat quatenus Miniſtri erant & adjutores officii Sacerdotalis. Ex quibus perſpicuum fit mere prophanum & temporale non fuiſſe Diaconorum miniſterium. Conſuli poſſunt inſuper quæ ſuperius adducta ſunt, ut oſtenderemus Diaconatum eſſe Sacramentum.

Objicies: Cum S. Petrus Act. 6. eligendos proponit Diaconos, iis non aliud tribuit munus quam erogandi eleemoſynas, & miniſtrandi menſis; dicuntur enim electi, *eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ*. Et poſtea, *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis*. igitur hæc duo ſolum erant Diaconorum officia & quidem prophana.

Nego conſ. quia licet eo loci mentio ſolum habeatur duplicis illius officii temporalis, quod factum eſt propter occaſionem Ordinationis Diaconorum ortam ex murmure Græcorum adverſus Hebræos ſuper cura viduarum; tamen non inde ſequitur ad alia & nobiliora quidem & ſacra munia eos non fuiſſe ordinatos; quin potius eos fuiſſe conſtitutos ad prædicandum Evangelium, ad baptiſandum, &c. colligi certo debet ex eo quod etiam temporibus Apoſtolorum iſtas functiones & alias ſupra recenſitas obire ſolebant.

Obj. S. Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium loquens de Diaconis, *Quis patiatur*, inquit, *ut menſarum & viduarum Miniſter ſupra eas ſe tumidus offerat, ad quorum preces conficitur Corpus Chriſti*. igitur inſtituti ſolum fuere Diaconi, ut menſis & viduis miniſtrarent.

Nego conſ. His enim verbis voluit ſolum S. Hieronymus arrogantiam Diaconorum retundere, qua ſeſe ſupra Sacerdotes erigere audebant; unde quod in eorum functionibus erat minus nobile ipſis objicit, nec alias propterea eorum dignitates & munia negat. Quin immo ſic loquitur ibidem, *Quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi vindicant in Eccleſia*.

Quod objicitur ex Synodo Trullana quæ Can. 16. ſic loquitur de ſeptem primis Diaconis, *Invenimus eos eſſe locutos non de viris qui miniſtrant myſteriis, ſed de miniſterio quod in uſu menſarum adhibebatur*, nullius eſt ponderis; id enim manifeſte adverſatur Scripturis & Traditioni, certe plures alii hujus Synodi Canones vulgo rejiciuntur.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De Diaconiſſis.

NOmen Diaconiſſæ tribuebatur olim Diaconorum uxoribus, uti apparet ex Can. 20. Concil. Turon. II. *Si inventus fuerit Preſbyter cum ſua Preſbytera, aut Diaconus cum ſua Diaconiſſa, aut Subdiaconus cum ſua Subdiaconiſſa, annum integrum Excommunicatus habeatur.* Sed Diaconiſſas hic ſumimus pro iis mulieribus, quæ ſive eſſent virgines, ſive viduæ, miniſterio Eccleſiaſtico addicebantur.

Extiterunt in Eccleſia ejuſmodi Diaconiſſæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus, nam in fine Epiſtolæ ad Romanos hæc leguntur, *Scripta fuit ad Romanos e Corintho per Phæben Diaconam Cenchreenſis Eccleſiæ*, uti e græco vertit Morinus, & in Vulgata, *Commendo vobis Phæben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris.* De Diaconiſſis etiam loquitur I. ad Timot. cap. 5. *Vidua*, inquit, *eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Nam neque ætatem ſexaginta annorum, neque unitatem matrimonii exigeret pro viduis ſimplex caſtitatis votum profeſſuris. Diaconiſſas commemorant innumera prope antiquitatis monumenta, eæque nonniſi a quingentis aut circiter annis plane abolitæ ſunt in utraque Eccleſia Græca & Latina, ut docet Morinus.

Diaconiſſarum officia erant: 1. miniſtrare in Baptiſmate mulierum, ut conſtat ex lib. conſtit. Apoſtol. 3. cap. 28. *Diaconiſſa non benedicit, neque facit aliquid eorum quæ Preſbyteri aut Diaconi faciunt, niſi quod januas cuſtodit, & Preſbyteris miniſtrat cum mulieres baptiſantur, idque propter decorum & honeſtatem.* Ita S. Epiphanius in expoſitione fidei. Unde etiam patet id muneris ipſis datum, ut januas Templi cuſtodirent, qua parte intrabant mulieres, tum in loco ſeparato a viris ſedentes; 2. mulieres baptiſandas docebant, ut colligitur ex Concilio Carthag. IV. cap. 12. denique loco Diaconorum mittebantur ad mulieres, ut habetur lib. 3. conſt. cap. 15. *Evenire ſolet aliquando in quibuſdam domibus, ut non poſſis propter Infideles mittere Diaconum ad mulieres, mittere vero poſſis Diaconiſſam propter cogitationes Improborum.* Hæ conditiones requirebantur in Diaconiſſis: 1. ut eſſent virgines aut unius viri viduæ, ex S. Epiphanio in expoſitione fidei, *Illæ quidem univiræ & continentes eſſe debent, vel poſt unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines*, quod idem ſcribit Tertul. lib. 1. c. 7. ad uxorem; 2. quoad ætatem poſtulat S. Paulus loco ſupra citato, ut ſexageſimum annum attigerint, *Vidua eligatur non minor ſexaginta annorum*; quod tempus ad annum 40. reduxit Concilium Chalcedonenſe, uti & Trullanum Can. 14. his verbis, *Similiter nec Diaconus ante 25. annos nec Diaconiſſa ante 40. annos ordinetur.*

Quæritur an per Ordinationem veram, vel per ſimplicem benedictionem olim conſtituerentur Diaconiſſæ.

Reſpondet Morinus & multis probat Diaconiſſas ſuum in Eccleſia gradum accepiſſe per Ordinationem, ſi quidem nomine Ordinationis promiſcue utuntur Veteres cum de Diaconiſſis, ac cum de Diaconis & Preſbyteris loquuntur; & quod inſuper multum diſcrepant Diaconiſſæ ab aliis mulieribus, quæ Deo ſe velut moniales mancipabant; illæ enim ad aliquod miniſterium Eccleſiaſticum per manus impoſitionem Orationi conjunctam ordinabantur, virgines autem & viduæ per ſolum votum ab ipſis emiſſum conſecrabantur.

Verum ne propterea putes Diaconiſſas verum habuiſſe Ordinem ſacerdotalem, & qui ad Sacerdotium pertineret: 1. quia id expreſſe docet S. Epiphanius hæreſi 79. his verbis, *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia Ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt:*

eſt ; 2. quia Concilium Nicænum M. Can. 19. inter Laicos reputat Diaconiſſas, *Meminimus*, inquit, *de Diaconiſſis, quod in Schiſmate ſint conſtitutæ, quoniam neque per manus impoſitionem ſunt ordinatæ, omnino inter laicas oportet dinumerari ;* 3. quia ſinguli Ordines ſunt totidem gradus ad Sacerdotium, quod ſane capeſcere nunquam potuerunt Diaconiſſæ.

CAPUT XXIII.

De Presbyteratu.

NOmen Presbyteri, nomen eſt præſidentiæ & præfecturæ, Presbyter, qui præeſt aliis. Unde ſolis competit Sacerdotibus ſeu majoribus ſeu minoribus, quia utrorumque eſt præeſſe populo, non competit autem Clericis inferioribus. Jam vero uſus obtinuit in Eccleſia, ut hoc nomen tribuatur Sacerdotibus Ordinis inferioris Epiſcopo ſubjectis, nomen vero Epiſcopi ſolis detur Sacerdotibus primi Ordinis. *Tunc*, inquit S. Chryſoſtomus, *nomina adhuc erant communia, procedente vero tempore diſtributum eſt cuique nomen, ut hic quidem Epiſcopus, ille vero Presbyter appellaretur.* Homil. I. in epiſt. ad Philip.

Obſervat Eſtius nunquam Presbyteros in novi Teſtamenti libris vocatos fuiſſe Sacerdotes, quod hoc nomine communicare noluerunt Apoſtoli cum Sacerdotibus antiquæ legis, ne non abrogatum videretur vetus illud Sacerdotium: ſed paulo poſt cepiſſe Epiſcopos & Presbyteros appellari Sacerdotes, uti paſſim legitur apud S. Cyprianum, cum hoc diſcrimine quod Epiſcopi dicebantur Sacerdotes majores, Presbyteri vero Sacerdotes minores.

Sacerdotium eſt præcipuus Sacramenti Ordinis gradus, propter quem, ut diximus, inſtituti ſunt & ad quem referuntur alii Ordines, unde multi Theologi non infimæ notæ contendunt ſolum Sacerdotium ex ſeptem Ordinibus veram habere rationem Sacramenti. Quapropter quæ initio hujuſce Tractatus diximus, probando adverſus Novatores Ordinem eſſe Sacramentum novæ legis quod producit gratiam & imprimit characterem, id maxime dictum volumus de Presbteratu ſeu Sacerdotio.

Hujus materiam eſſentialem eſſe manuum impoſitionem, non autem porrectionem inſtrumentorum, formam vero orationem ab Epiſcopo prolatam, non verba quæ porrectionem inſtrumentorum comitantur.

Colligitur 1. ex eo quod hanc ſolam materiam & formam habemus in Scripturis, hanc ſolam commemorant antiqui Patres Græci & Latini, tum vero & antiqui Rituales utriuſque Eccleſiæ qui præfatam inſtrumentorum traditionem nuſpiam exhibent. 2. Ex eo quod Græcorum Ordinationes, ut jam a nobis dictum eſt, ſemper ab Eccleſia Romana fuerunt approbatæ ut validæ etiam poſt ſchiſma, ſed apud illos hæc inſtrumentorum traditio nunquam uſurpata fuit, uti nec verba quæ ei correſpondent: igitur ſtandum eſt huic ſententiæ quæ tenet materiam eſſentialem hujus Sacramenti ſitam eſſe in manuum impoſitione, formam vero in oratione quam fundit Epiſcopus, vide ſupra cap. 5. ubi de materia Ordinis diſſeruimus.

Objectioni quæ petitur ex decreto Eugenii IV. abunde reſpondimus loco mox citato. Sed quoad formam Ordinationis Presbyteralis ſpectat, objiciunt Canonem 4. ſeſſ. 23. Concilii Tridentini ubi ſic habetur: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum.... anathema ſit.*

Quibus verbis ſtatuere videntur Tridentini Patres per hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, dari gratiam, adeoque in iis poſitam eſſe formam eſſentialem Sacramenti, ſed plane nullius roboris eſt hoc argumentum, non dicunt enim Patres per illa verba præciſe dari Spiritum ſanctum, ſed per ſacram Ordinatio-

tionem, adeoque fruſtra non dicere Epiſcopos, *Accipe Spiritum ſanctum*.

Porro inter Presbyteros alii ſunt aliis gradu ac dignitate Superiores, quales ſunt Vicarii generales Epiſcoporum, Officiales, Archidiaconi, Archipresbyteri, Pœnitentiarii, Decani, Canonici & Parochi, quorum jura & functiones deſcribuntur a Canoniſtis.

Presbyteratus definitur, Ordo quo datur poteſtas conficiendi Corpus Chriſti & remittendi peccata, in qua definitione explicatur Sacerdotium per præcipuas ejus functiones, quarum prior eſt primarius ac veluti unicus ejus finis & objectum. Habentur aliæ in Pontificali Romano his verbis, cum dicitur, Sacerdotem oportet offerre, benedicere, prædicare, baptiſare, &c.

Diximus ſupra Presbyteratum eſſe Sacramentum, ut manifeſtum eſt ex Scripturis & univerſa traditione. Diximus ejus materiam eſſe impoſitionem manuum, formam vero orationem, ita ut porrectio inſtrumentorum non ſit niſi materia accidentalis, verba autem quæ illam comitantur, non ſit quoque niſi forma integrans & accidentalis, quæ quidem hic repetere nihil neceſſe eſt.

CAPUT XXIV.

De Epiſcopatu.

NOmen Epiſcopi, ſi ſpectetur etymologia nominis, idem eſt ac præſidens, ſuperintendens, & revera præſunt Epiſcopi non modo Fidelium multitudini, ſed & omnibus Clericis, ſic enim Epiſcopos alloquitur S. Paulus Act. cap. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Unde S. Auguſtinus ait, nomen hoc *inde ductum, quod ille qui præficitur eis quibus præficitur, ſuperintendit curam eorum gerens*. Hoc nomen, ut jam obſervatum eſt, fuit aliquando commune Presbyteris, quod videlicet & ipſi in ſuo Ordine præſident Clericis inferioribus & populo, ſed jam uſus obtinuit in Eccleſia, ut *Epiſcopi* nomen ſolis tribuatur Sacerdotibus majoribus ſeu primi Ordinis.

Epiſcopatus definitur Ordo ſeu gradus, quo datur Presbytero poteſtas conferendi Sacramenta Confirmationis & Ordinis, & inſuper regendi Eccleſiam. An ſit verus Ordo & verum ac proprie dictum Sacramentum, & quo modo, & quo ſenſu, examinavimus ſupra. Alia definitionis verba Epiſcopatus differentiam continent, exprimunt enim id proprium eſſe Epiſcopis quod conferant Sacramentum Confirmationis, & Sacerdotes conſecrare ſeu ordinare poſſint. In quo poſita eſt eorum poteſtas quæ dicitur *Ordinis*. Addimus, *& regendi Eccleſiam*, quibus verbis exprimitur poteſtas juriſdictionis quæ unicuique Epiſcopo competit ſupra Eccleſiam ſibi commiſſam. Cum autem negent multi Hæretici hunc Primatum quo fruuntur Epiſcopi ipſis competere ex inſtitutione Divina, quæſtionem hanc quæ gravioris eſt momenti fuſius examinabimus.

CAPUT XXV.

Utrum Epiſcopi ſint jure Divino Superiores Presbyteris.

CErtum eſt Epiſcopos in præſenti Eccleſiæ diſciplina eſſe Presbyteris Superiores & dignitate & autoritate, ſed quæſtio eſt Catholicos inter & Hæreticos mox appellandos, utrum hæc Epiſcoporum præeminentia & ſuperioritas jure tantum humano fuerit inducta, vel ab ipſius Chriſti inſtitutione lata.

Quarto ſæculo contendebat Aerius nullum fuiſſe diſcrimen Epiſcopos inter & Presbyteros, non modo quoad nomen quod utriſque fuit commune, ſed etiam quoad autoritatem ſaltem Apoſtolorum temporibus, ut teſtatur S. Epiphanius hæreſi 75. *Quid eſt*, inquiebat ille, *Epiſcopus præ Presbytero, nihil hic ab illo differt: eſt enim amborum unus Ordo, par & idem*

& idem honor ac dignitas, manus imponit Epiſcopus, idem facit & Presbyter, Sacrificii adminiſtratione fungitur Epiſcopus, idem facit & Presbyter, Epiſcopus in throno ſedet, ſedet & Presbyter. Hoc idem clare nos docet S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus c. 53. *Aeriani*, inquit, *ab Aerio quodam ſunt, qui cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe dicens, ... Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni.*

Calvinus docuit etiam hanc præeminentiam qua hodie fulgent Epiſcopi ſupra Presbyteros nonniſi humano conſenſu fuiſſe inductam lib. 4. Inſt. c. 4. ſect. 2. ſic loquitur, *Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex ſuo numero in ſingulis civitatibus unum eligebant, cui ſpecialiter dabant titulum Epiſcopi, ne ex æqualitate, ut fieri ſolet, diſſidia naſcerentur. Neque tamen ſic honore & dignitate ſuperior erat Epiſcopus, ut dominium in Collegas haberet. Sed quas habet partes Conſul in Senatu, ut referat de negotiis conſulendo, monendo, hortando, ut aliis præeat, autoritate ſua totam actionem regat, & quod decretum communi conſilio fuerit, exequatur. Id muneris ſuſtinebat Epiſcopus in Presbyterorum cœtu.* Rem iſtam fuſius proſequitur unus ex iſtius affeclis Blondellus in Apologia S. Hieronymi, ubi docet plurimos extitiſſe primis Eccleſiæ temporibus Paſtores paris inter ſe dignitatis & poteſtatis ſub promiſcuo Epiſcoporum aut Presbyterorum nomine, qui ſcilicet communi conſilio omnia in Eccleſia adminiſtrabant, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Fuerunt ſemper in Eccleſia Epiſcopi a ſimplicibus Presbyteris diſtincti, iiſque & dignitate & autoritate ſuperiores.

Probatur 1. ex ſcripturis. S. Lucæ, c. 6. legitur Chriſtum duos elegiſſe Miniſtrorum Ordines, Apoſtolos videlicet ac Diſcipulos, *Et cum dies factus eſſet, vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos Apoſtolos nominavit*. Unde patet ſelectos fuiſſe duodecim Apoſtolos ex ſeptuaginta Diſcipulis, ut præcipuos & ipſis Diſcipulis ſuperiores, tum quia illos nominat priores, & quaſi præminentes; unde factum eſt, ut illi Apoſtoli, quorum Succeſſores ſunt Epiſcopi, ſemper fuerint ſuperiores Diſcipulis, quorum Succeſſores ſunt Presbyteri; uti hunc locum interpretati ſunt SS. Patres, v. g. S. Gregorius Nyſſenus, qui in hunc Exodi locum, *Venerunt autem in Elim Filii Iſrael, ubi duodecim erant fontes aquarum & ſeptuaginta palmæ*: ſic loquitur, *Fontes quidem duodecim ſunt ipſi Apoſtoli .... ſeptuaginta vero palmæ poſt duodecim Apoſtolos ordinati Diſcipuli ſunt*; & S. Hieronymus epiſt. ab Fabiolam eundem locum ſic interpretatur, *Nec dubium*, inquit, *quin de duodecim Apoſtolis ſermo ſit, de quorum fontibus derivata aqua totius mundi ſiccitatem rigant. Juxta has aquas creverunt ſeptuaginta palmæ, quos & ipſos ſecundi Ordinis intelligimus Præceptores, S. Luca Evangeliſta teſtante duodecim fuiſſe Apoſtolos, & ſeptuaginta Diſcipulos minoris gradus .... de quibus & Paulus refert, quod apparuerit primum undecim. Deinde Apoſtolis omnibus, alios volens intelligi primos, & alios ſecundos Chriſti Diſcipulos*. Rem iſtam recte explicat Beda lib. 3. in S. Lucam cap. 42. his verbis, *Sicut duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere, ſimul & præmonſtrare nemo eſt qui dubitet, ſic & hos ſeptuaginta duos figuram Presbyterorum, id eſt ſecundi Ordinis Sacerdotum geſſiſſe, ſciendum eſt tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut apoſtolica ſcriptura teſtis eſt, utrique Presbyteri, utrique vocabantur Epiſcopi*.

Secundo ex iiſdem Scripturis merito colligitur Epiſcoporum præeminentia in Presbyteros, in quibus habetur hunc Ordinem obſervatum fuiſſe inter Apoſtolos & Diſcipulos, ut iſti ab aliis conſtituerentur in Eccleſiis: hinc enim Apoſtolorum

auto-

autoritas in alios Miniſtros clare demonſtratur, S. Paulus ad Titum ſcribens cap. 1. ſic loquitur, *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt, corrigas & conſtituas per Civitates Presyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Profectò qui conſtituit Presbyteros per Civitates, ipſis ſuperior cenſetur, eorum videtur moderator, illi ſupponuntur inferiores. Tum vero Actorum 14. Paulus & Barnabas dicuntur per ſingulas Eccleſias in Licaonia conſtituiſſe Presbyteros. Quo quidem nomine non intelliguntur Epiſcopi, quia nuſpiam mos fuit, ut in ſingulis Eccleſiis conſtituerentur Epiſcopi.

Item I. ad Timoth. cap. 5. monet S. Paulus non eſſe recipiendam accuſationem adverſus Presbyterum, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus, *Adverſus Presbyterum*, inquit, *accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*. Quibus verbis clare indicatur autoritas Judicis quam adverſus Presbyterum exercendam demandat Timotheo: nuſpiam autem videmus ſimplicibus Presbyteris demandatam fuiſſe ullam juriſdictionem alios Presbyteros judicandi, corrigendi, quo quidem argumento utitur S. Epiphanius loco ſupra citato adverſus Aerium, *Quid autem* inquit, *attinebat Epiſcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, niſi majorem ipſo poteſtatem haberet .... Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accuſationem contra Epiſcopum non admitteret, aut ut Epiſcopum non objurgaret*.

Tertio ſic formam regiminis Eccleſiaſtici ſtatuit ipſe Chriſtus Dominus, ut quoſdam voluerit aliis eſſe ſuperiores & honore & poteſtate: nam primatum conceſſit S. Petro ſupra alios Apoſtolos, item duodecim Apoſtolos, ut mox dictum eſt, voluit eſſe ſuperiores Diſcipulis, voluit Epiſcopos eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, & Diſcipulorum Presbyteros. Tandem Diſcipulos non eandem cum Apoſtolis habere poteſtatem ſatis ipſimet ſignificarunt, cum eos confirmare noluerunt, quos in Samaria baptiſaverant, qua de cauſa ad illos miſerunt Petrum & Joannem Apoſtolos, qui, ut loquamur cum S. Hieronymo, majoris erant gradus.

Eodem modo ſe geſſerunt Apoſtoli qui ſuper Eccleſias non conſtituebant Epiſcopos propter antiquitatem, vel ad poſtulationem populorum, vel ita ut prior eſſet qui prius fuerat ordinatus, ut contendit Blondellus; ſed pro ſapientia ſua ſolius doctrinæ & virtutis rationem habentes, prout ſcilicet ipſis fuerat ab ipſo Chriſto demandatum; ſic enim v. g. S. Paulus Timotheum tunc adhuc adoleſcentem conſtituit Epiſcopum, ait enim I. epiſt. cap. 4. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. In Epheſina ſcilicet Eccleſia, in qua plurimi erant Presbyteri, quos eidem Timotheo ſubjecit: tum vero Titum conſtituit ac præpoſuit Cretæ, qui proinde non Ordinationis antiquitate, ſed recto Apoſtolorum judicio conſtituti ſunt illarum Eccleſiarum præſides; quod aperte demonſtrat viros iſtos fuiſſe Eccleſiis gubernandis præpoſitos, adeoque non modo dignitate ſed & autoritate præeminentes.

Probatur Traditione, idque potiſſimum ex Scriptoribus quos Apoſtolorum temporibus viciniores latere non potuit, quid circa diſtinctionem Epiſcoporum a Presbyteris ab ipſo Chriſto inſtitutum fuerat; hinc enim facile colligitur eandem ſecutis temporibus diſciplinam in regimine Eccleſiaſtico perſeveraſſe, & conſequenter ſuperioritatem, qua hodie gaudent Epiſcopi ſupra Presbyteros, non jure humano ſed divino inductam.

Inſigne præ cæteris eſt teſtimonium S. Ignatii Martyris qui in multis ſuis epiſtolis ſcribit Epiſcopos non ſolum dignitate, ſed & autoritate ſupra Presbyteros præcelluiſſe, aitque paſſim id in voluntate Dei ac inſtitutione eſſe fundatum. Epiſt. ad Epheſios, *In obedientia una*, inquit, *ſitis perfecti .... ut ſubditi Epiſcopo & Presbyterio per omnia ſanctificati ſitis .... decet vos in Epiſcopi ſen-*

tentiam concurrere, quod & facitis. Nam memorabile veſtrum Presbyterium dignum Deo, ita coaptatum eſt Epiſcopo, ut cordæ Citharæ .... quanto quis taciturniorem viderit Epiſcopum, tanto magis eum revereatur. Quemcunque enim Paterfamilias mittit ad gubernandam familiam ſuam, hunc ita accipere debemus, ut illum ipſum qui mittit. Manifeſtum eſt ergo, quod Epiſcopum ipſum reſpicere oporteat ut ipſum Dominum.

Epiſtola ad Magneſianos, *Hortor.... in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei loco, & Presbyteris loco ſenatus Apoſtolici & Diaconis. Nihil ſit in vobis, quod poſſit vos dirimere, ſed unianimi Epiſcopo & præſidentibus in typum & doctrinam incorruptionis .... quemadmodum ergo Dominus ſine Patre nihil fecit .... ita neque vos ſine Epiſcopo & Presbyteris quidquam facite.*

Epiſtola ad Trallianes, *Cum Epiſcopo ſubjecti eſtis, ut Jeſu Chriſto, videmini mihi non ſecundum homines, ſed ſecundum Jeſum Chriſtum vivere. Neceſſarium itaque eſt, quomadmodum facitis, ut ſine Epiſcopo nihil agatis, ſed & Presbyterio ſubditi ſitis ut Apoſtolis Jeſu-Chriſti...., Oportet autem & Diaconos myſteriorum Jeſu-Chriſti Miniſtros omni modo omnibus placere.... Cuncti ſimiliter revereantur Diaconos ut mandatum Jeſu Chriſti, & Epiſcopum, ut eum qui eſt figura Patris, Presbyteros autem ut conſeſſum Dei .... ſine his Eccleſia non vocatur.*

Epiſtola ad Smyrnæos, *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyterium ut Apoſtolos, Diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Sine Epiſcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant ... Bene habet Deum & Epiſcopum reſpicere, qui honorat Epiſcopum, a Deo honoratus eſt: qui clam Epiſcopo aliquid agit, diabolo præſtat obſequium.*

Hæc & alia pene innumera ſcribit Ignatius, quæ manifeſte demonſtrant illum agnoviſſe hocce Apoſtolorum ævo jam inſtitutum fuiſſe præſentem Eccleſiæ Ordinem ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis compoſitum, Epiſcopos majores eſſe & dignitate & poteſtate Presbyteris, quemadmodum Diaconis præcellebant Presbyteri. Datum fuiſſe Epiſcopis ut Eccleſiam tanquam rectores gubernarent. Sine illis nihil eſſe ratum & legitimum. Non modo reverentiam eis eſſe præſtandam, ſed & obedientiam. Denique debere homines ita ſe gerere, quia id fuit voluntate Dei præceptum. Quæ quidem dubio procul oſtendunt Epiſcopos jure divino & ex ipſius Chriſti inſtitutione Presbyteris eſſe ſuperiores.

Ex S. Irenæo multa depromuntur quæ non parum nobis favent, lib. enim 3. cap. 3. ſucceſſiones Epiſcoporum deſcribens, diſtinctionem & ſuperioritatem Epiſcoporum ſupra Presbyteros aperte ſtatuit, *Traditionem Apoſtolorum*, inquit, *adeſt reſpicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt .... Valde enim perfectos eos volebant eſſe quos & ſucceſſores relinquebant.* Ubi clare aſſeritur Epiſcopos fuiſſe Apoſtolorum ſucceſſores, adeoque Presbyteris ſuperiores.

S. Clemens Alexandrinus varios Eccleſiæ gradus ac diſtinctos commemorat lib. 6. Stromatum his verbis, *In Eccleſia gradus Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum imitationes ſunt, ut arbitror, angelicæ gloriæ.* & Pædagogi lib. 3. cap. 12. *Quam plurima*, inquit, *præcepta, quæ ad electas perſonas pertinent, in ſanctis libris ſcripta ſunt, hæc quidem Presbyteris, alia vero Epiſcopis, alia Diaconis.*

Eodem modo loquitur Origenes homil. 29. in Numeros, *Putaſne*, inquit, *qui Sacerdotio funguntur, & in Sacerdotali Ordine gloriantur, ſecundum Ordinem ſuum incedunt, & agunt omnia quæ illo Ordine digna ſunt? .... Et unde eſt quod ſæpe audimus blaſphemare homines & dicere: Ecce qualis Epiſcopus, aut qualis Presbyter, aut qualis Diaconus.* Homil. 11. in Jeremiam, *Plus a me exigitur*, inquit, *quam a Diacono, plus a Diacono*

quam.

Digitized by Google

quam a Laico, qui vero totius Eccleſiæ arcem obtinet (Epiſcopus) pro omni Eccleſia reddet rationem. Profectò qui arcem tenet Eccleſiæ, cæteris præeminet.

Tertullianus rem iſtam aperte docet lib. de Bap. cap. 17. *Dandi quidem* Baptiſmi *habet jus ſummus Sacerdos, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi autoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt ... quanto magis Laicis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit, cum ea majoribus competant, ne ſibi aſſumant dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatus*. Ibi Tertullianus Epiſcopum vocat ſummum Sacerdotem, & tres Ordines Epiſcopatus, Presbyteratus & Diaconatus accurate diſtinguit.

S. Cyprianus de Epiſcopis loquitur ſemper ut de Præpoſitis Eccleſiæ ad illam gubernandam deſtinatis, *Audio quoſdam*, inquit epiſt. 11. *de Presbyteris nec Evangelii memores ..... nec Epiſcopo honorem ſui Sacerdotii & Cathedræ reſervantes*. & epiſt. 27. *Dominus noſter cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro:* Tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam. *Inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum Ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur. Cum hoc itaque Divina lege fundatum ſit, &c.* igitur non jure humano ſed Divino, fundatur Epiſcoporum præeminentia; unde etiam ſic loquitur epiſt. 69. *Dolens profero, cum te Judicem Dei conſtituas & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria Ordinatione ſuccedunt ... & illi ſunt Eccleſia plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo*. Quo quidem teſtimonio nihil clarius deſiderari poteſt ad probandum Epiſcopos ſuperiori autoritate in Presbyteros Eccleſiam gubernare juxta Chriſti voluntatem & inſtitutionem.

Quarto ſæculo quotquot extiterunt ſcriptores & quidem clariſſimi, videlicet Optatus, SS. Athanaſius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Epiphanius, &c. eamdem vel etiam ſi fieri poteſt, clarius & expreſſius propugnarunt.

Optatus Milevitanus, lib. 1. varios Eccleſiæ ordines recenſet, *Quid commemorem Laicos*, inquit, *quid miniſtros plurimos? quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium .... Epiſcopi, &c.* unde lib. 2. quatuor appellat hominum genera qui Eccleſiam componunt, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos & Laicos.

S. Athanaſius Epiſt. ad Dracontium quem hortatur, ut ad ſedem Epiſcopalem ſibi addictam rediret, ſic loquitur, *Priuſquam*, inquit, *gratiam Epiſcopatus accepiſſes, nulli notus eras, jam vero cum ſis ordinatus, te populi expectant .. ſi tibi conſtitutio Eccleſiarum non placet, aut nullam omnino mercedem Epiſcopi functioni deſtinatam arbitraris, & ſervatorem, qui eam ita inſtituit, contemnis, oro te ne iſtiuſmodi quid in mentem admittas .... nam quæ Dominus per Apoſtolos inſtituit, & bona ſunt & firma.*

S. Baſilius quid de Epiſcopali dignitate ſentiat, multis in locis aperte ſignificat, ſic enim, v. g. loquitur in epiſt. 62. ad Eccleſiam Neocæſarienſem poſt illius Epiſcopi mortem, *Mortuus* eſt, inquit, *qui in ſe ipſo viſendam præbuit priſcam Eccleſiæ formam, velut ad ſacram quandam veteris ſtatus imaginem Eccleſiæ, quæ ſub ipſo erat faciem effingens, ... Primo honore potitus eſt, non propter ætatis prærogativam, ſed quoniam omnes ſapientia vetuſtate ſuperabat, ... primam dignitatem obtinuit ..... Sacer Senatus Choriphæum deſiderat .... qui in Magiſtratu ſunt, Principem, populus præſidentem.*

S. Gregorius Nazianzenus Epiſt. 24. loquens de S. Baſilio, qui factus fuerat Epiſcopus, *Poſtquam te*, inquit, *in ſublimi throno intellexi collocatum*; & Orat. 20.

in

in ejus laudem, *Diſciplinæ*, inquit, *aliis exemplar ſe præbet: nam cum prius ſacros libros lectitaſſet, nec hunc Sacerdotii gradum indignum ſe duxiſſet, ita demum in Presbyterorum ac deinde in Epiſcoporum Cathedra Dominum laudat. . . . verum ſermo de ſedis principatu hoc loco nos expectet atque in eo qui ad inferiorem dignitatis locum pertinet, nonnihil immoremur.* Si Presbyteri ſunt inferioris dignitatis, ſuperiores fore Epiſcopos nemini dubium eſſe poteſt.

S. Hilarius, Comment. ad hæc verba S. Matth. c. 27. *Quis namque fidelis eſt ſervus, &c.* hæc habet, *Quanquam in commune nos ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortetur, ſpecialem tamen populi principibus, id eſt, Epiſcopis ſollicitudinem mandat;* ex lib. 8. de Trinitate, *Perfectum*, inquit, *Eccleſiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis inſtituit.*

S. Epiphanius non obiter, ſed ex profeſſo hoc dogma declarat de ſuperioritate ac præeminentia Epiſcoporum ſupra Presbyteros, agens nimirum, ut ſupra diximus, contra Aerium, qui Presbyteros Epiſcopis autoritate prorſus æquales contendebat, quod appellat *dogma ſupra hominis captum furioſum, & immane. Nam*, ut ait hic Sanctus Doctor, *illud ſtoliditatis eſſe pleniſſimum prudens quiſque facile perſpiciet . . . ſi quidem Epiſcoporum ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet, hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio, alter Presbyterorum, cum patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit, quinam vero fieri poteſt, ut is Presbyterum conſtituat ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat.* Quapropter & S. Epiphanius, & quotquot poſt illum ſcripſere de Aerio, pro hæretico illum habuerunt.

His adjungimus S. Hieronymum, quem ſibi hoc in negotio favere immerito jactat Blondellus, ut poſtea videbitur, is enim, 1. docet ſolis Epiſcopis competere ordinandi poteſtatem. *Quod enim*, inquit, *facit Epiſcopus quod non faciat Presbyter excepta ordinatione.* 2. Ait Epiſcopos eſſe Patres, eſſe Principes, ſummos in Eccleſia Paſtores, Presbyteros vero non eſſe niſi filios & quaſi in Republica Senatores. 3. Scribit expreſſe diverſum eſſe ordinem Epiſcoporum & Presbyterorum, primum eſſe in Epiſcopis, ſecundum in Presbyteris. 4. Non ſemel præcipit Presbyteris, ut ſint ſubjecti Epiſcopis, idque a Chriſto fuiſſe demandatum. 5. Demum talem eſſe Eccleſiæ ſtatum, ut in ea debeat eſſe aliquis eminenti ſupra alios autoritate pollens, ut vitentur Schismata, &c. Quæ quidem manifeſte oſtendunt S. Hieronymum eandem cum aliis Patribus tenuiſſe ſententiam de præeminentia Epiſcoporum ſupra Presbyteros.

Epiſt. 2. ad Nepotianum Presbyterum, ſic habet, *Eſto ſubjectus Pontifici tuo . . . illud etiam dico, quod Epiſcopi, Sacerdotes ſe eſſe noverint, non Dominos . . . ſcitum eſt illud Oratoris Domitii, cur ergo te*, inquit, *habeam ut principem, cum tu me non habeas ut Senatorem? Quod Aaron & filios ejus, hoc Epiſcopum & Presbyteros eſſe noverimus.*

Lib. 1. adverſus Jovinianum, *Epiſcopus*, inquit, *& Presbyter & Diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed Officiorum, nec dicitur, (ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum deſiderat gradum, ſed bonum opus deſiderat,) quod in majori ordine conſtitutus poſſit, ſi velit, occaſionem exercendarum habere virtutum.*

In Dialogo adverſus Luciferianos, *Eccleſiæ Salus*, inquit, *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchismata quot Sacerdotes . . . Similiter & Eccleſia multis gradibus conſiſtens ad extremum Diaconis, Presbyteris, Epiſcopiſque finitur.* Quo quidem teſtimonio nihil clarius eſſe poteſt.

Epiſt. 85. ad Evagrium, *Quid facit*, inquit, *excepta ordinatione Epiſcopus, quod non faciat Presbyter . . . . in Epiſcopo & Presbyter continetur. Qui provehi-*

tur.

tur de minori ad majus provehitur . . . Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi vindicent in Eccleſia. Profectò non eadem fuit dignitas, non eadem autoritas in Aaron qualis erat in ejus filiis, non eadem fuit poteſtas in Diaconis & in Presbyteris, non eadem in Presbyteris ac in Epiſcopis.

His autem omnibus adjungere Sententiam S. Auguſtini nihil neceſſe eſt, conſtat enim Sanctum Doctorem in numero Hæreticorum collocaſſe Aerium, ut ſupra obſervatum eſt, quod auſus fuerat aſſerere Presbyteros pares eſſe Epiſcopis; unde ſequitur hancce doctrinam quam propugnamus, pro dogmate catholico reputatam fuiſſe a Sancto Auguſtino. Tum vero nec putamus plura hic addenda eſſe teſtimonia ex aliis SS. Patribus, ſummis Pontificibus, vel etiam Conciliis, quæ eandem ſtabiliant Sententiam: in re tam certa tamque indubitata, ſatis erit autoritati Concilii Tridentini acquieſcere. Hæc autem S. Synodus ſeſſ. 23. ſic loquitur: *Sacro-ſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Eccleſiaſticum ordinem præcipue pertinere, & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, a Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, eosque Presbyteris ſuperiores, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, &c.* unde Can. 6. ſic decernit: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris, anathema ſit.*

Et Can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, anathema ſit.*

In his certe teſtimoniis nihil deſiderari poteſt: 1. enim verbis expreſſis aſſerunt Patres Tridentini Catholicam Hierarchiam conſtare ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis. Nemo autem ſibi unquam in animum induxerit tres illos Ordines paris eſſe dignitatis & autoritatis, nemo unquam dixit Diaconos non eſſe Presbyteris & Epiſcopis inferiores; 2. id ita eſſe inſtitutum Ordinatione divina, quod ſcilicet Hierarchia Eccleſiaſtica conſtet ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis; 3. verbis expreſſis declarant Patres Tridentini Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores; 4. demum ajunt Epiſcopos habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, quæ ex omnium confeſſu non competit Presbyteris.

Objicies 1. Nomina *Epiſcopi* & *Presbyteri* videntur fuiſſe communia primis Eccleſiæ temporibus, ita ut promiſcue tribuerentur omnibus, qui ſupra Laicos in adminiſtratione verbi divini & Sacramentorum præerant, quique aliquando dicebantur Presbyteri, & aliquando Epiſcopi: igitur nonniſi ſecutis temporibus differentia illa quæ poſtea introducta fuit inter Epiſcopos & Presbyteros, male dicitur jure divino inducta; adeoque Epiſcopi non ſunt Presbyteris ſuperiores ex inſtitutione ipſius Chriſti ſeu jure divino.

Nego conſequentiam, quia licet communia quandoque fuerint duo illa nomina, non inde ſequitur pares propterea in omnibus fuiſſe Epiſcopos & Presbyteros; contingit enim ſæpiſſime, ut duæ perſonæ, quæ aliunde multis inter ſe titulis diſcrepant, commune habere nomen, quomodo contingit in hoc caſu: nam ſæpe Epiſcopi dicuntur *præpoſiti*, & Presbyteri dicuntur quoque præpoſiti, quia revera præſunt Laicis vel etiam Diaconis. Verum etſi in aliquo titulo & nomine conveniant Epiſcopi & Presbyteri, licet nomen idem ac commune habeant, utrique enim, v. g. ſunt Clerici, utrique ſunt Presbyteri, utrique ſunt præſidentes ac præpoſiti, ſed non inde ſequitur eos in omnibus eſſe æquales & paris omnino dignitatis & potentiæ. Epiſcopus & Presbyteri aliquid habebant atque

Digitized by Google

que etiam nunc habent commune, Eccleſiam regunt in commune & communi conſilio, ſed tamen diverſa cum autoritate, & ita ut præcipua & majori ſupra Presbyteros gaudeat Epiſcopus. Hinc mirum eſſe non debet quod ipſis tribuatur aliquod nomen commune, quia nemo propterea ipſis unquam tribuit æqualitatem aut in dignitate aut in poteſtate. Scilicet commune habent quod poſſint Euchariſtiam conficere, ſed ſimplex Presbyter non poteſt dare Sacramentum Confirmationis, neque ordinare. Et certe nemini dubium eſt quin nomen Epiſcopi datum quandoque fuiſſe Apoſtolis qui primi erant Eccleſiæ rectores, immo & tributum quoque ipſi Chriſto qui I. Petri cap. 2. dicitur *Epiſcopus animarum noſtrarum*. ſed nemo exiſtimaverit idcirco Apoſtolos eandem cum Chriſto aut parem habuiſſe poteſtatem: igitur licet Epiſcopi & Presbyteri communi nomine aliquando appellarentur, non inde ſequitur eos aliunde pares fuiſſe & dignitate & autoritate.

Objicies, Manifeſtum eſt in primis Eccleſiæ temporibus duos tantum fuiſſe Ordines videlicet Epiſcopos & Diaconos, ut habetur, v. g. apud Policarpum epiſt. ad Philipp. *Subjecti eſtote*, inquit, *Presbyteris & Diaconis ſicut & Deo & Chriſto*. ſic apud S. Cyprianum epiſt. 62. *Cum*, inquit, *omnes omnino diſciplinam tenere oporteat, multo magis præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt*. tum vero apud S. Hilarium in pſal. 134. in hæc verba, *Domus Aaron benedicite Dominum, domus Levi benedicite Dominum*. hoc ipſum clare aſſeritur, *In his*, inquit, *nominum atque officiorum diſtinctionibus omnem Eccleſiæ populum complexus eſt.... in Aaron Sacerdotes.... in Levi autem Miniſtros*. Quod probat diſtinctos non fuiſſe Epiſcopos a Presbyteris, & conſequenter nullum fuiſſe Ordinem Epiſcoporum Presbyteris ſuperiorem.

Reſpondeo, ex illa diſtributione qua nonnunquam apud Scriptores Clerus diſtribuitur inter duos Ordines, puta Epiſcoporum & Diaconorum, minime ſequi duos eſſe tantum Ordines; quia videlicet ejuſmodi diviſio ſeu diſtributio non eſt, ut dicitur in ſcholis, ſemper adæquata. Clerus diſtribui poteſt in duos Ordines, ut fert objectio, in præpoſitos Eccleſiæ, v. g. & Miniſtros; in Epiſcopos & Diaconos; ſed Eccleſiæ præpoſiti duplicis ſunt Ordinis, quidam ſunt ſuperiores & præeminentes, alii ſunt inferioris gradus. Atque ita conſtat ex iis quæ pene innumera adduximus, hanc frequentiorem haberi apud Scriptores diſtributionem Clericorum, quæ fit ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis. Diverſa illa diſtributio pendet maxime ex iis quæ inter ſe comparantur; quia, v. g. apud Tertullianum fit comparatio inter plebem & Clerum lib. de *Exhortatione caſtitatis* cap. 7. ubi ait, *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ autoritas*. Ibi unicum Ordinem videtur conſtituere. Si ſermo ſit de præpoſitis Eccleſiæ, jam duplex aſſignabitur Ordo Sacerdotum, majorum ſcilicet qui alios ordinare poſſunt, & inferiorum qui in adminiſtratione Eccleſiæ ipſis ſubjecti ſunt. Ii quidem communi conſilio Eccleſiam regunt, ſed diverſa cum autoritate. Quapropter ex eo quod nonnulli Scriptores duos tantum Ordines quandoque annumerent, non inde ſequitur eos non admiſiſſe quoſdam alios Ordines.

Objicies, Nullius plane roboris ſunt teſtimonia ſuperius adducta, quæ probant Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores & ordine & poteſtate, quia tota quæſtio verſatur, utrum hanc præeminentiam habeant jure divino & ex Ordinatione Chriſti, quod certe nullibi legitur, fatentur omnes id ipſis competere jure eccleſiaſtico, *Ex conſuetudine Eccleſiæ, non diſpoſitione divina*, ut ait S. Hieronymus. Sed difficultas eſt, an tales ſint jure divino, quod utique non aſſeritur in laudatis locis. Idque abunde confirmatur ex Concilio Tridentino quod decernit quidem Epiſcopos ſuperiores eſſe Presbyteris, ſed eos eſſe ſuperio-

rio-

riores *jure divino* non pronunciat, ut videre eſt locis mox adductis, igitur jure divino Epiſcopi non ſunt Presbyteris ſuperiores.

Nego ant. videlicet, non conſtare ex Scripturis, & ex iis quæ acta ſunt temporibus Apoſtolorum, in Epiſcopis præeminentiam eſſe ſupra Presbyteros, id enim abunde probavimus ſupra. Ad id unus ſufficit locus Act. cap. 20. *Poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Ii enim, quibus datum eſt regere Eccleſiam Dei, hoc ipſo juriſdictionem habent in alios proinde inferiores, quos poſſunt judicare, corrigere, ligare, & cenſuris afficere. Poſſunt leges ferre, & earum executionem ſub pœnis urgere, quæ quidem ab ipſis Apoſtolorum temporibus præſtita ſunt ab Epiſcopis illorum ſucceſſoribus, nuſpiam vero a Presbyteris. Præterquamquod ſolis Apoſtolis conceſſa fuit facultas dandi Confirmationem & alios ordinandi, ut abunde probat conſtans Eccleſiæ praxis.

Quoad ſpectat ſilentium ſuper ea re Concilii Tridentini, revera ab illa definitione abſtinuerunt Patres Tridentini, quod tamen poſtulabant Galli & Germani recuſantibus Italis, forte propter ſententiam S. Hieronymi & nonnullorum etiam Theologorum, qui putarunt rem non eſſe omnino certam, ſed iſta non impediunt quominus hanc ut certiſſimam amplectamur ſententiam, quæ aſſerit Epiſcopis ex jure divino præeminentiam ſupra ſimplices Presbyteros; eſt enim, inquit Maldonatus, multo verior & quia plures habet autores, & quia Scripturæ & Eccleſiæ magis eſt conſentanea.

Objicies autoritatem S. Hieronymi, qui hanc Epiſcoporum præeminentiam & autoritatem ſupra Presbyteros ferre nunquam potuit, epiſt. 101. ad Evangelum, *Audio quemdam*, inquit, *in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id eſt Epiſcopis anteferret. Nam cum Apoſtolus perſpicue doceat eoſdem eſſe Presbyteros quos & Epiſcopos, quis patiatur, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Corpus Chriſti Sanguiſque conficitur?* Ubi expreſſe docet eoſdem eſſe Presbyteros & Epiſcopos, quod quidem probat ex profeſſo ex Scripturis, *Vis & aliud exemplum*, inquit, *ad unius Eccleſiæ Sacerdotes, ita Paulus loquitur*, (*in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos*) *audi aliud teſtimonium, in quo manifeſte comprobatur eundem eſſe Epiſcopum atque Presbyterum.... quod autem poſtea unus electus eſt qui cæteris præponeretur, in Schiſmatis remedium factum eſt.... Nam & Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant. Quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.... Presbyter & Epiſcopus aliud ætatis, aliud dignitatis eſt nomen*.

Et in epiſt. ad Titum, *Idem eſt ergo Presbyter qui & Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis*, (*Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*) *communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptiſaverat, ſuos putabat eſſe non Chriſti, in toto Orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & Schiſmatum ſemina tollerentur.... Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere imitantes Moyſem, &c.* Ex quibus ſic conficitur argumentum; Ex S. Hieronymo primis Eccleſiæ temporibus ſub Apoſtolis iidem erant Epiſcopi & Presbyteri: ergo falſum eſt Epiſcopos jure divino eſſe Presbyteris ſuperiores.

Non deſunt Theologi qui fateantur S. Hieronymum revera exiſtimaſſe, nullum antiquitus diſcrimen fuiſſe inter Epiſcopos & Presbyteros, & conſequen-

quenter hunc S. Doctorem in errorem Aerii fuiſſe lapſum, ita opinatus eſt Medina lib. 1. de ſacrorum hominum origine cap. 5. Volunt alii S. Hieronymum quandam admiſiſſe præeminentiam in Epiſcopis ſupra Presbyteros, ſed ex ſola Eccleſiæ conſuetudine, non jure divino inductam, quod utrumque frivolum & ma'e fundatum mihi videtur; Quapropter

Diſt. ant. iidem erant Epiſcopi & Presbyteri, quantum ad nomen, C. quoad autoritatem, N. Facile intelligitur S. Hieronymum id unum voluiſſe Epiſcopos & Presbyteros eodem promiſcue nomine fuiſſe donatos. 1. Quia multi alii, ut S. Chryſoſtomus, Theodoretus & alii ſimiliter teſtantur nomen Epiſcopi fuiſſe commune ſimplicibus Presbyteris & Epiſcopis. 2. Quia expreſſe affirmat S. Hieronymus epiſt. citata ad Evagrium eoſdem qui dicebantur Epiſcopi, fuiſſe appellatos Presbyteros, *Presbyter*, inquit, *& Epiſcopus aliud ætatis*, *aliud eſt nomen officii*. Et ſimiliter epiſt. 83. ad Oceanum, *Quia illud nomen*, inquit, *dignitatis eſt*, *hoc ætatis*. Unde colligitur S. Hieronymum ad ſolum nomen reſpicere, cum ait eundem eſſe Epiſcopum qui Presbyter eſt, eundem, inquam, quoad nomen, non autem quoad dignitatem & autoritatem. Idque multis argumentis facile demonſtrari poteſt. 1. Quia habetur ex eadem ejus epiſt. ad Evagrium iſtud toties decantatum S. Hieronymi, *Quid facit excepta Ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Nunquid vero diei, poterit Presbyteros eadem donatos fuiſſe autoritate & poteſtate ac Epiſcopos, ſi conſtet Epiſcopis competere poteſtatem ordinandi quæ non competit Presbyteris? 2. Et idem dicere potuiſſet de Sacramento Confirmationis quæ a ſolis Epiſcopis, neutiquam a ſimplicicibus Presbyteris adminiſtrari poteſt. 3. In Dialogo adverſus Luciferianos ſupra laudato Epiſcoporum eminentem in Presbyteros excellentiam ac ſuperioritatem apertis verbis commemorat, *Eccleſiæ ſalus*, inquit, *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet*, *cui ſi non exſors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas*, *tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata quot Sacerdotes*. 4. In mente S. Hieronymi Epiſcopi ſunt in Eccleſia quod erat Moyſes in populo Iſrael, & Presbyteri quod ſeptuaginta viri a Moyſe electi: ſed dubio procul Moyſes erat ſuperior ipſis & jure quidem divino: ergo.

Inſtabis, Saltem ex contextu S. Hieronymi conſtat præeminentiam Epiſcoporum ſupra Presbyteros refundi non poſſe in jus divinum, ſed ſolummodo in meram Eccleſiæ conſuetudinem, ut ipſe clare docet his verbis, *Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi præpoſitus fuerit*, *eſſe ſubjectos*, *ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine*, *quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores*, *& in commune debere Eccleſiam regere*. Quibus certe verbis nihil expreſſius.

Nego ant. & dico hunc locum nobis multo magis favere quam adverſariis; ſi enim Epiſcopi ſunt Presbyteris majores, magis ex conſuetudine Eccleſiæ, quam ex inſtitutione divina, ſequitur manifeſte eos eſſe ex utraque ratione majores, unum non excludit aliud, immo ſupponit. Et inde ſolummodo elicitur Epiſcopos eſſe ſuperiores Presbyteris partim ex conſuetudine Eccleſiæ & partim ex inſtitutione divina, quod quidem nobis multum favet. Unde ibidem S. Hieronymus ait Epiſcopis ſubjectos eſſe Presbyteros; & addit eos *in commune debere Eccleſiam regere*, *imitantes Moyſem qui cum haberet ſolus præeſſe populo Iſrael elegit ſeptuaginta*, *cum quibus populum judicaret*. Moyſes certe fuit jure divino ſeptuaginta viris ſuperior.

Inſtabis, S. Hieronymus ibidem allegat exemplum Eccleſiæ Alexandrinæ in qua unus eligebatur inter Presbyteros qui creabatur Epiſcopus; quod ſupponit ex mera Eccleſiæ diſciplina, non jure divino a Presbyteris diſtinctos fuiſſe Epiſcopos.

Diſt.

Diſt. ant. creabatur Epiſcopus addita Ordinatione Epiſcopali, C. ſine nova Ordinatione, N. ſcilicet totum hoc negotium, quod ex hiſtoria & praxi Eccleſiæ Alexandrinæ refert S. Hieronymus, unice ſpectat electionem, qua ex Presbyteris unum eligebant Epiſcopum Alexandrinum quem in excelſiori ſede collocabant; ſed ita ut poſtea ipſi manus imponerentur, & ab aliis Epiſcopis ordinaretur, id diſcimus ex Liberato in Breviario cap. 20. ubi ſic loquitur, *Conſuetudo quidem eſt Alexandriæ illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo beati Marci Pallium & tunc legitime ſedere.*

Inſtabis, Eo loci S. Hieronymus ſcribit eodem modo factum fuiſſe Epiſcopum in Eccleſia Alexandrina a Presbyteris, quo quidem fit Imperator ab exercitu, quomodo fit Archidiaconus a Diaconis, ſed in iſtis exemplis nulla ſupponitur conſecratio: ergo.

Diſt. eodem modo quantum ad electionem, C. quantum ad conſecrationem ſeu ordinationem, N. Hæc ſolutio non eget explicatione.

CAPUT XXVI.

De Chorepiſcopis.

CHorepiſcopi, ſi nominis etymologia ſpectetur, ſunt oppidorum Epiſcopi, nomen enim græcum Χώρα, ſignificat agrum, pagum, rus, provinciam; unde dicuntur Epiſcopi *Villani*. Ab eorum officio vocantur *Vicarii* Epiſcoporum, quandoque miniſtri & adjutores Epiſcoporum.

Tribus primis Eccleſiæ ſæculis, Chorepiſcopos extitiſſe nullum apparet veſtigium, de illis enim nulla habetur mentio apud Scriptores Eccleſiaſticos. Commemorantur primum in Concilio Ancyrano Can. 13. in Neocæſarienſi Can. 14. apud S. Baſilium epiſt. 181. S. Athanaſ. Apologia 2. Theodoretum epiſt. 113. tum vero etiam ſæculo V. apud Occidentales, ut patet, ex Synodo Regenſi anno 439. quorum poſtea frequens habetur mentio tum in Conciliis, tum in epiſtolis ſummorum Pontificum, quanquam inter Eruditos quidam opinentur in Eccleſia ſemper quoſdam extitiſſe Chorepiſcopos, cæteris contendentibus Chorepiſcopos nonniſi poſt Apoſtolorum tempora natos eſſe; quouſque tandem eorum Ordo penitus fuit extinctus circa ſæculum decimum. Nam ea de re Lex lata legitur Capitul. lib. 6. cap. 119. his verbis, *Placuit-ne Chorepiſcopi a quibuſdam deinceps fiant, quoniam hactenus a neſcientibus ſanctorum Patrum & maxime Apoſtolicorum decreta, & qui ſuis quietibus & delectationibus inhærent, facti ſunt:* cui Legi poſtea conſenſerunt Epiſcopi. His Chorepiſcopis in Eccleſia Occidentali ſucceſſiſſe feruntur Archidiaconi, forte propter eorum officia & functiones, quarum præcipuæ erant rurales Parochias viſitare.

Officia Chorepiſcoporum erant, ut mox dixi, potiſſimum Parochias Rurales viſitare & in Presbyterorum vitam & mores invigilare, quod hodie Archidiaconis competit; nam Sigebertus in Chronico, ubi de Damaſo II. Archidiaconos cum Chorepiſcopis confundit. *Damaſus Papa decrevit*, inquit, *ne quid contra Epiſcopos præſumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiſcopi; id eſt villarum & regionum Epiſcopi.*

Ex Iſidoro Hiſpalenſi habentur ut Epiſcoporum Vicarii lib. 2. de Officiis cap. 6. *Chorepiſcopi*, inquit, *id eſt Vicarii Epiſcoporum juxta quod Canones ipſi teſtantur*. Item curam habebant pauperum ex Concilio Neocæſarienſi Can. 13. *Chorepiſcopi quoque ad exemplum quidem & formam ſeptuaginta videntur eſſe, ut comminiſtri autem propter ſtudium quod erga pauperes exhibent honorentur.*

Circa Chorepiſcopos quæſtio agitatur inter Theologos, utrum, vi ſuæ Ordinationis, hoc eſt quatenus Chorepiſ-

copi, fuerint Epiſcopi, vel ſolum Presbyteri. Quoniam vero hujus controverſiæ diſcuſſio noſtri non eſt inſtituti, breviter ſolum dicemus, inter eos qui Corepiſcopatum gerebant, alios fuiſſe Epiſcopos, qui e ſedibus ſuis ejecti propter perſecutiones, aut alia ex cauſa in Chorepiſcopos aſſumebantur ab aliis Epiſcopis; & ſic explicantur nonnulla loca quæ videntur manifeſte indicare quosdam Chorepiſcopos epiſcopalia munia obiiſſe. Tum vero alios fuiſſe e Chorepiſcoporum numero, qui merito arcentur ab epiſcopalibus functionibus, quia videlicet ſimplices erant Presbyteri. Unde ſequitur Chorepiſcopos vi ſuæ Ordinationis non fuiſſe Epiſcopos, ſed ſimplices Presbyteros aliqua Epiſcopali Jurisdictione decoratos; in hujus ſententiæ probationem vulgo affertur 1. Quod Chorepiſcopi conſtituti erant ſolum pro Pagis & Oppidis: ſed Epiſcopos conſtitui in Oppidis vetant Canones, Concilii Laodiceni, 57., Sardicenſis 6. Toletani XII. Can. 4.

Colligitur 2°. ex eo, quod obſervatum eſt ſemper in Eccleſia, ut nonniſi a tribus Epiſcopis ordinaretur Epiſcopus, ſed conſtat Chorepiſcopos ab uno tantum, aut a duobus Epiſcopis fuiſſe ordinatos. 3. Quod vetant multa Concilia, ne Chorepiſcopi ad munia epiſcopalia attentare audeant, ita Concil. Hiſpalenſe Can. 7. Pariſienſe VI. Can. 27. Meldenſe, Can. 44.

Quæres utrum unicus vel plures tunc temporis fuerint in eadem Diœceſi Chorepiſcopi?

Reſpondeo ſaltem in Galliis inuſitatum fuiſſe, ut plures ſimul ſub uno eodemque Epiſcopo forent Chorepiſcopi, unum poſſumus proferre exemplum e vaſtiſſima Cenomanenſi Diœceſi petitum, in qua temporibus S. Aldrici ad initium ſæculi noni, unus ac ſingularis erat Chorepiſcopus nomine *David*, ut colligitur ex ejus vita, quam ex antiquiſſimo Scriptore refert Baluſius, tom. 3. Miſcellaneorum, cap. 44. ibi plurimæ ſunt Chartæ præſertim, cap. 32. & 34. ubi plures commemorantur Cenomanicæ Diœceſeos Presbyteri, ſed unus & idem ſemper Chorepiſcopus nomine *David*. Deinde in actis Translationis Reliquiarum S. Liborii in Paderbonenſem urbem apud Cointium, an. 836. num. 76. perhibetur Aldricus de hac Translatione præſente quoque ſuo Corepiſcopo *David* nomine cum legatis Paderbonenſium egiſſe. Unde colligitur veriſimiliter in quolibet Diœceſi unum duntaxat fuiſſe Chorepiſcopum.

APPEN-

APPENDIX
DE CŒLIBATU.

Nomine Cœlibatus intelligitur lex perpetua continentiæ.

DUO complectitur Cœlibatus ſacris Ordinibus annexus in præſenti Eccleſiæ diſciplina, unum quod, qui ſunt aliquo ex illis Ordinibus initiati, uxorem ducere non poſſint; alterum quod ipſis uxore ante Ordinationem ducta uti non liceat.

In hac porro materia plurimæ quæſtiones agitantur tum adverſus Hæreticos, tum inter Theologos ad invicem. Quæritur primo, quænam fuerit Eccleſiæ praxis ab Apoſtolis ad hunc uſque diem circa utramque Cœlibatus partem mox laudatam? Secundo, quanam lege an divina vel Eccleſiaſtica ſolum præceptus ſit Cœlibatus? Tertio, utrum ejusmodi lex ſit juſta? Quid ſuper illis capitibus ſentiamus paucis aperiendum eſt.

PRIMA CONCLUSIO.

Cœlibatus fuit vel a primis Eccleſiæ temporibus a Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis obſervatus, ſed aliter in Eccleſia Græca & aliter in Latina, tum vero citius in quibusdam Eccleſiis & in aliis tardius, ut manifeſtum ſit ex teſtimoniis Patrum & Conciliorum mox referendis.

1. Ex Canonibus, qui dicuntur Apoſtolorum, & quorum collectio creditur facta tertio ſæculo, Can. 27. ſic legitur, *Innuptis qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, uxores accipiant, ſed lectores cantoresque tantummodo*. Igitur id vetitum erat majoribus Clericis.

2. Ex Concil. Eliberitano Can. 33. *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis abſtinere ſe a conjugibus & non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore Clericatus exterminetur*. Ubi videntur Patres Eliberitani declarare nusquam licitum eſſe uxores ducere, nec uti uxoribus ante Ordinationem ductis.

3. Ex Can. 9. Conc. Ancyrani, *Diaconi*, inquit, *quicumque ordinantur, ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt, hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in Miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit, quicumque ſane tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, a Miniſterio ceſſare debebunt*. Ex illo Canone qui peculiaris eſt pro Diaconis, patet eos a Miniſterio ceſſare debere, ſi uxores duxerint, & ita a fortiori ſequitur, inde Presbyteris impoſitam fuiſſe continentiæ legem.

4. Ex Concil. Neocæſarienſi, Can. 1. *Presbyter*, inquit, *ſi uxorem duxerit, Ordine ſuo moveatur*.

5. Ex Conc. Carthaginenſi II. Can. 2. *Omnibus placet ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus abſtineant, ut quod Apoſtoli docuerunt, & obſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus*. Si præcipitur ab uxoribus abſtinendum poſt Ordinationem, ergo a fortiori licitum non erat uxorem ducere; habitum eſt illud Concilium ann. 397. & teſtantur Patres hanc Cœlibatus Diſciplinam ab Apoſtolis traditam & ab antiquitate obſervatam.

6. Ex S. Epiphanio qui hær. 59. n. 4. ſcribit, Cœlibatum obſervari ab iis qui Eccleſiaſticos Canones ſequebantur, quamvis in quibusdam locis hic uſus nondum obtinuiſſet, *Quin eum*, inquit,

qui.

Digitized by Google

qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius ſit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit. Sed eum duntaxat qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus, quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici Canones accurate ſervantur. Atenim nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi liberos ſuſcipiunt. Reſpondeo non illud ex Canonis autoritate fieri ſed propter hominum ignaviam.

7. Ex S. Hieronymo qui libro contra Vigilantium ſic habet, *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* & lib. 1. adverſus Jovinianum, c.19. *Certe confitenis non poſſe eſſe Epiſcopum qui in Epiſcopatu filios faciat. Alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, ut idem ſint virgines quod mariti, aut ſi Sacerdotibus non licet uxores tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem.*

8. Ex epiſt. Siricii Papæ ad Hymerium, c. 7. *Plurimos*, inquit, *Sacerdotes Chriſti atque Levitas poſt longa conſecrationis ſuæ tempora tam de conjugibus ſuis propriis quam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe & crimen ſuum defendere .... Hi vero qui illiciti privilegii excuſatione nituntur, ne ſibi aſſerunt veteri lege conceſſum, noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indigne uſi ſunt, Apoſtolicæ ſedis autoritate dejectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare Myſteria.* Eodem modo loquitur Innocentius I. tum epiſt. 2. ad Victricium, tum epiſt. 3. ad Exuperium.

9. Ex S. Leone epiſt. 84. ad Anaſtaſium, cap. 4. *Nam cum extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur, ut & qui habent ſint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares.* Quibus acceſſere poſtea innumera Conciliorum & ſummorum Pontificum decreta eandem diſciplinam ſtatuentia, ut patet ex Conc. Carthag. V. Can. 3. ex Turon. I. Can. 1. & 2. ex Agathenſi Can. 9. ex Aurelianenſi III. Can. 2. ex Turon. II. Can. 12. ex Matiſconenſi I. Can. 11. ex Toletano VIII. Can. 5. 6. & 7. ex Concilio Romano ſub Nicolao II. Can. 3. ex Londinenſi an. 1102. ex Conc. Later. II. generali an. 1139. Can. 6. & 7. & tandem ex Tridentino quod Seſſ. 24. Can. 9. hæc ſtatuit, *Si quis dixerit Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque valide eſſe non obſtante lege Eccleſiaſtica vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe quam damnare matrimonium, poſſeque omnes contrahere qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi voverint, habere donum, anathema ſit.*

Ex quibus omnibus duo ſequuntur obſervatione digniſſima.

Primum eſt ex pleriſque allegatis autoritatibus compertum eſſe, perpetuam Clericorum majorum continentiam fuiſſe ſemper in uſu, non modo in eo quod non licuerit uxorem ducere, poſt ſuſceptam ordinationem, ſed etiam in eo quod iis licitum non fuit, ſuis uxoribus ante Ordinationem ductis uti; id enim maniſeſte probant Decreta Concilii Elib. Carthag. II. & aliorum quæ mox appellavimus, uti & teſtimonia S. Epiphanii, S. Hieronymi & ſummorum Pontificum ſupra laudatorum.

Neque huic Sententiæ adverſantur nonnulla exempla, ſi quæ ſuppeditet Hiſtoria Eccleſiaſtica, Sacerdotum vel Epiſcoporum, qui hanc continentiæ legem non ſervaverint, ſed filios ex matrimonio ante ſuam Ordinationem contracto ſuſceperint.

Nam teſtis eſt S. Epiphanius loco ſu-

pe-

Digitized by Google

perius citato ejuſmodi Clericos hac in parte a communi Eccleſiæ diſciplina & uſu deviaſſe.

Secundum eſt hanc eamdem Cœlibatus diſciplinam fuiſſe in uſu tam apud Græcos quam apud Latinos; quod tamen intelligendum eſt cum aliquo diſcrimine; nam Cœlibatus in eo poſitus quod ſacris Ordinibus initiato non liceat uxorem ducere, ſemper a primis Eccleſiæ temporibus fuit obſervatus atque etiamnum ab ipſis Græcis poſt ſchiſma accurate ſervatur. Verum Cœlibatus in eo conſiſtens quod uxore ante Ordinationem ducta uti non liceat, aliam paſſus eſt mutationem: conſtat enim ex multis Græcorum teſtimoniis ſuperius adductis, ad illos etiam in primitiva Eccleſia, uti ad Latinos, pertinuiſſe legem Cœlibatus quæ uſum uxorum ante Ordinationem ductarum prohibet. Verum contigit poſtea ut Græci hujus diſciplinæ durioris, ut ipſis videbatur, onus excuſſerint, ut patet ex Concil. Trullano quod habitum eſt ſub finem ſæculi VII. ubi ſic habetur Can. 13. *Quoniam Romanæ Eccleſiæ pro Canone traditum eſſe cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur ſe non amplius ſuis uxoribus conjungendos; nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis Ordiniſque ſervantes, hominum qui ſunt in ſacris legitima conjugia deinceps quoque firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua tempore convenienti conſuetudine privantes.* Quem Canonem ſequuntur nunc in praxi Eccleſiæ Græcæ.

Secunda Conclusio.

Cœlibatus nec a Chriſto nec ab Apoſtolis fuit præceptus; eſt contra nonnullos Theologos, quorum alii ſed pauci volunt, jure divino Cœlibatum majoribus Ordinibus annexum, alii vero longe plures ad inſtitutionem duntaxat Apoſtolicam id revocant. Sed neutrum eſſe verum conſtat.

1. Quia nullum ea de re legitur præceptum in Scripturis quod videlicet latum fuerit vel a Chriſto vel ab Apoſtolis. Vere quidem nonnulla proferri ſolent ab adverſariis S. Pauli teſtimonia, ut cum ait I. Corint. 7. *Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*, dicens alibi nempe, II. Timot. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. item cum ait ad Titum, cap. 1. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe ...... continentem*. quod idem eſt, ac ſine uxore viventem juxta illud, I. Cor. 7. *Si non ſe continent, nubant*.

Sed iſta non probant Apoſtolum Cœlibatus legem impoſuiſſe Presbyteris, in priori enim loco non ab omni prorſus negotio ſæculari arcentur Epiſcopi, alioquin hoc argumentum nimis probaret, nimirum eos, quæ ad victum neceſſaria ſunt, quærere non poſſe. In poſteriori loco præcipit quidem Apoſtolus continentiam, ſed & ſua eſt matrimonio continentia & caſtitas.

Deinde nullum a Chriſto & Apoſtolis latum fuiſſe de ſervando Cœlibatu mandatum, invicte oſtenditur ex his S. Pauli verbis I. ad Cor. 7. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, Conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis*. Quibus verbis nihil clarius deſiderari poteſt.

2. Nec iſtud præceptum colligi poteſt ex traditione, quin potius contrarium manifeſte eruitur ex eo quod identidem & nonnullis in locis indultum eſt Presbyteris & Diaconis ut ſuis uxoribus ante Ordinationem ductis uterentur, quod certe nec impune nec ita facile factum fuiſſet in Eccleſia, ſi ea tum fuiſſet omnium ſententia Cœlibatum juris eſſe divini & Apoſtolici: in Concilio Ancyrano ſupra citato permittitur Diaconis, qui in ipſa Ordinatione proteſtati fuerant velle ſe matrimonium inire, ut ineant ſi Epiſcopus eis licentiam dederit. Sanct. Epiphanius in loco etiam ſupra lau-

dato

dato expreſſe teſtatur hanc Cœlibatus diſciplinam ubique non vigere. Inſigne eſt quod ſcribit Socrates lib. 5. Hiſt. cap. 22. *Aliam*, inquit, *conſuetudinem in Theſſalia eſſe cognovi. Clericus ibi promotus, ſi poſt Clericatum dormierit cum uxore quam ante Clericatum legitimo matrimonio ſibi copulaverat, abdicatur, cum in Oriente cuncti ſua ſponte etiam Epiſcopi ab uxoribus abſtineant, nulla tamen lege aut neceſſitate conſtricti id faciant. Multi enim illorum, Epiſcopatus etiam ſui tempore, liberos ex legitimo conjugio ſuſceperunt*. Quibus adde a temporibus ſaltem Concilii Trullani eam fuiſſe Græcorum praxim, ut majores Clerici ſuis uxoribus ante Ordinationem ductis commiſcerentur, quam diſciplinam non ita improbarunt Latini, ut propterea cum ipſis non reconciliarentur tum in Concilio Lugdunenſi tum in Florentino, ubi Græcos ad obſervandum Cœlibatum non adegerunt Latini, quod ſane præſtitiſſent ſi exiſtimaſſent illum fuiſſe a Chriſto vel Apoſtolis præſcriptum.

Quod ſi quæ reperiantur loca apud antiquos, in quibus continentia Clericorum dicatur eſſe Traditionis Apoſtolicæ, id intelligendum eſt, vel quia hæc diſciplina cœpit fere ab ipſis Apoſtolis, vel quia fundatur in quibusdam Apoſtolorum teſtimoniis, vel demum quia autores illi exiſtimabant Canones qui dicuntur Apoſtolorum, vere ab ipſis editos, Canon. autem 27. Cœlibatum ſtatuit. Quin & nonnulli, ut Siricius, hanc legem referunt ad Chriſtum, quod tamen omni probabilitate caret.

Tertia Conclusio.

Non fuit quoque præceptus Cœlibatus a Patribus Concilii Nicæni M. in Can. ſcilicet 3. ubi ſic habetur, *Interdixit per omnia magna Synodus non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas quæ ſuſpicionem effugiunt*. Eſt contra nonnullos qui pertendunt hoc in Canone legem fuiſſe latam de ſervando Cœlibatu.

1. Id conſtat quia Patres loquuntur tantum de mulieribus ſubintroductis, ſed per mulieres ſubintroductas nuſpiam intelliguntur propriæ uxores, ut patet ex Concilio Antiocheno II. quod conſuetudinem Pauli Samoſateni ejuſmodi mulieres habentis improbavit, ſic eas depingit Synodus quas appellaverat ſubintroductas, *Is qui unam quidem jam dimiſit, duas vero ætate florentes & forma conſpicuas ſecum habet & quocumque proficiſcitur circumducit*. Idem colligitur ex S. Baſilio epiſt. ad Paregorium Presbyterum, cui præcipit ut mulierem ſubintroductam a domo ſua ejiciat, hoc Canone Nicæno allegato, ſcilicet ad vitandum ſcandalum, quia ab Apoſtolo docti ſumus fratri non eſſe ponendum offendiculum vel ſcandalum.

2. Lex lata in præfato Canone non tantum ferit majores Clericos, ſed & alios omnes inferioris Ordinis, *nec alicui omnino qui in Clero eſt*. Sed nemo dixerit Cœlibatus legem impoſitam unquam fuiſſe Clericis minoribus: igitur.

3. In hoc Canone prohibetur ne majores Clerici ſubintroductam habeant mulierem, hoc eſt, cum illa in eadem domo cohabitent; ſed iſtud intelligi non poteſt de uxoribus, quia non modo Clericis majoribus illicitum non erat habitare cum ſuis uxoribus ante Ordinationem ductis, licet iis non uterentur, ſed & hoc ipſum ipſis præcipiebatur, ut legitur Canc. 6. ex iis qui dicuntur Apoſtolorum, *Epiſcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam ſub obtentu Religionis abjiciat, ſi vero rejecerit, excommunicetur*. & in Concilio Turonenſi II. Can. 12. *Epiſcopus conjugem ut ſororem habeat, & ita ſancta converſatione gubernet domum omnem tam Eccleſiaſticam quam propriam, ut nulla de eo ſuſpicio conſurgat*. Quod idem conſtat ex legibus Imperatorum Chri-

Chriſtianorum, ut, v. g. ex Juſtiniano in novella de ſanctiſſimis Epiſcopis.

4. Id probatur ex Hiſtoria Paphnutii quam refert Socrates, l. 1. Hiſt. C. 11. Is nempe unus ex Epiſcopis ſedens in Concilio Nicæno obſtitit, quominus perpetuam continentiam Clericis imponerent Patres, dicens, *Satis eſſe ut qui in Clerum fuiſſent aſcripti, juxta veterem Eccleſiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent, non tamen quemquam ſejungendum eſſe ab ea, quam antehac tunc, cum eſſet Laicus, legitime duxiſſet.* Ut autem ait Socrates, *Univerſus Sacerdotum cœtus Paphnutii ſermonibus aſſenſus eſt.* Eadem Hiſtoria narratur a Sozomeno, l. 1. c. 23. a Caſſiodoro, lib. 2. Hiſt. trip. c. 14. & Nicephoro, lib. 8. c. 19. nec ſoliditatis quidquam habent rationes quibus eam ut falſam rejiciunt Baronius & Bellarminus.

At inquies, Si mens Patrum Nicænorum fuit majores Clericos poſſe cum ſuis uxoribus ante Ordinationem ductis legitime cohabitare, debuerunt illas excipere in præfato Canone, ſicut exceperunt matrem, ſororem & amitam: atqui tamen uxorum nulla eſt exceptio: igitur.

Neg. maj. & dico inutilem fuiſſe ejuſmodi exceptionem, quia ſatis intelligebatur in illo Canone rejici ſolum cohabitationem cum mulieribus extraneis quæ in aliquam veniebant ſuſpicionem & quales non erant propriæ Clericorum uxores.

Quæres quando & a quo edita ac promulgata fuerit lex Eccleſiaſtica Clericos ad perpetuam continentiam aſtringens.

Reſpond. ſatis communem eſſe apud Theologos ſententiam; primum hujus diſciplinæ autorem fuiſſe Siricium ſummum Pontificem qui in fine ſæculi IV. degebat, in epiſt. ſcilicet ſuperius laudata ad Hymerium. Sed meo quidem judicio id non eſt veriſimile, tum quia loquitur ipſe de Cœlibatu Clericorum velut de obſervantia quæ jampridem in Eccleſia vigebat, tum quia jam multi reipſa Canones fuerant ea de re emiſſi in variis locis & temporibus, ut videre eſt in locis ſupra relatis. Quapropter dicendum eſt hanc Cœlibatus diſciplinam obtinuiſſe & præceptam citius in quibuſdam Eccleſiis, tardius vero in aliis; unde forte verum eſt pro Eccleſia Romana quod dicitur primus legem ſanxiſſe Siricius, ſed præceſſerat, v. g. Conc. Eliber. in Hiſpania; præceſſerunt & Canones qui dicuntur Apoſtolorum, & vulgo creduntur editi in Oriente, ſæculo III.

Quarta Conclusio.

Lex perpetuæ continentiæ ſacris Ordinibus annexæ improbari non debet ut mala, Miniſtris Eccleſiæ diſſentanea & juri naturali ac divino contraria. Eſt contra Novatores, Lutherum, lib. de abroganda Miſſa, & Calvinum, lib. 4. Inſtitut. c. 12. eorumque Aſſeclas.

1. Ea lex nihil mali continet, præcipit enim ut qui hunc ſtatum de ſe bonum & honeſtum amplecti voluerit, amplectatur, nemo invitus cogitur; volenti autem non fit injuria.

2. Non eſt diſſentanea Clericis, quin potius id ipſis maxime conſentaneum eſt, ſi ratio habeatur, uti habenda eſt, Officiorum, quæ ad Miniſtros altaris pertinent, eorum eſt enim ſacra contrectare, Corpus Chriſti conficere aut adminiſtrare, verbum Dei prædicare, Orationi & operibus ſpiritalibus continuo vacare; ſed iſta videntur minus bene competere conjugatis; quia, ut ait Apoſtolus I. ad Corint. 7. *Qui cum uxore eſt ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt.* His verbis ſignificans aut neutiquam aut difficile conciliari poſſe rem conjugalem cum Miniſterio Eccleſiaſtico.

3. Non eſt contraria juri naturali, lex quippe naturæ neutiquam præcipit conjugium, ſaltem pro omnibus & ſingulis hominibus, licet conſentanee ad legem naturæ quæ ad prolis generatio-

nem inclinat hominem, inſtitutum ſit; alioquin jus illud naturæ violaſſet ipſe Chriſtus, quod nemo dixerit.

4. Demum lex continentiæ non adverſatur juri divino, tum quia Deus matrimonium non præcepit omnibus & ſingulis contrahendum, neque enim, ut mox dicetur, hic locus Geneſeos 1. *Creſcite & multiplicamini*, hoc conficit: quinimo ad Cœlibatum ut quid bonum hortatur Apoſtolus I. Cor. 7. *Dico autem non nuptis aut viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſicut & ego*. Apoſtolus autem conſilium non daret adverſus legem Divinam.

Obj. Deus præcepit Conjugium omnibus, cum dixit primis hominibus, *Creſcite & multiplicamini*: igitur.

Nego ant. tum quia non datur illud præceptum pro omnibus & ſingulis hominibus; tum quia his verbis non tam continetur præceptum operis conjugalis, quam fœcunditatis donatio, idem enim dicitur ad Noe & ejus filios Geneſ. 9. conſtat autem ipſum Noe nullos poſtea genuiſſe filios.

Obj. Conjugium præcipit Apoſtolus loco mox citato, *Propter fornicationem*, inquit, *unusquisque ſuam uxorem habeat, & unaquaque ſuum virum habeat*. igitur.

Nego ant. eo loci S. Paulus loquitur pro conjugatis, & monet ipſis vitandam eſſe fornicationem, atque adeo eos non debere ſe invicem fraudare, *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*. unde hic non dirigitur ſermo ad ſingulos homines quibus præcipiatur conjugium, alioquin ſibi contradiceret Apoſtolus qui dat conſilium non nubendi, ut mox dictum eſt.

Obj. Idem S. Paulus I. Tim. 3. & Titi 1. vult Epiſcopum & Diaconum eſſe *unius uxoris virum*, quod non præciperet, niſi conjugium eſſe neceſſarium, exiſtimaret.

Reſp. id unum velle S. Paulum, Bigamos non eſſe ad Sacros Ordines promovendos, non autem teneri quemlibet Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum unam ſaltem uxorem ducere, nam aliter ipſe Apoſtolus Sacerdotii dignitatem induere non potuiſſet.

Inſt. cap. 4. ejusdem epiſtolæ, ait in noviſſimis temporibus venturos quoſdam habentes doctrinam Dæmoniorum, & *Prohibentes nubere*. igitur nemini vetitum eſſe debet conjugium.

Reſp. hæc verba *Prohibentes nubere*, ad eos ſolum pertinere qui damnant nuptias tanquam de ſe malas, quales poſtea fuerunt Encratitæ & Manichæi, non autem de iis qui continentiam ab ordinatis ſervandam volunt, quem videlicet ſtatum ipſi ultro noverunt priusquam ordinarentur, Eccleſia enim neminem arcet a conjugio.

Obj. Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus*. Si in omnibus, ergo & in Presbyteris.

Reſp. his verbis *in omnibus* non deſignari perſonas, alioquin connubium diceretur honorabile inter fratrem & ſororem. Sed conjugatis præcipit Apoſtolus, ut in omnibus occaſionibus ſuum honorent conjugium, ita SS. Patres & Interpretes omnes.

Obj. Exemplo ſuo docuerunt Apoſtoli Cœlibatum non eſſe Miniſtris Eccleſiæ conſentaneum, ipſi enim fuerunt conjugati, ut ſcribit S. Paulus 1. Cor. cap. 9. *Nunquid non habemus*, inquit, *poteſtatem mulierem ſororem circunducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini & Cephas*: igitur.

Reſp. 1. Licet ſupponeretur ſingulos Apoſtolos fuiſſe conjugatos, inde ſolum ſequeretur conjugium eſſe licitum & honeſtum, vel non fuiſſe etiam pro Eccleſiæ Miniſtris a Chriſto & Apoſtolis præceptum, quod utrumque confitemur. 2. Nullum ex Apoſtolis fuiſſe conjugatum communis eſt opinio poſt S. Hieronymum lib. 1. adverſus Jovinianum, ubi etiam has mulieres quas

ſecum

ſecum ducebant Apoſtoli, interpretatur non de eorum uxoribus, ſed de aliis mulieribus quæ ipſis ad victum neceſſaria præparabant.

Obj. Lex Cœlibatus inſtituta videtur in multorum perniciem, qui videlicet a mulierum commercio abſtinere non poſſunt, & revera impudice vivunt cum ingenti ordinis Eccleſiaſtici dedecore & populorum ſcandalo: igitur eſt abroganda.

Reſpond. Legem Cœlibatus nonniſi per accidens multis eſſe noxiam & ruinæ occaſionem, de ſe vero eſſe utilem, quatenus dignitatem in Miniſtris Eccleſiæ conſervat. Eo magis autem arguendi & juxta Canones puniendi ſunt Clerici, qui caſte non vivunt, quod ſcientes & volentes a nemine coacti hunc ſtatum amplexi ſunt.

Digitized by Google

APPENDIX DE CENSURIS.

IN hac de Cenſuris controverſia expendemus: 1. quid ſit Cenſura; 2. quotuplex ſit Cenſura; 3. cujus ſit ferre Cenſuras; 4. dicemus de tribus Cenſurarum ſpeciebus, puta, de Excommunicatione, de Suſpenſione, de Interdicto; 6. de Abſolutione ab illis Cenſuris.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit Cenſura.

CEnſuræ nomen tribuitur vulgo mandatis Epiſcoporum & decretis Academiarum, quibus aliqua propoſitio notatur & proſcribitur. Sed hic Cenſura ſumitur pro pœna inflicta a ſuperioribus Eccleſiaſticis, qualis eſt Excommunicatio qua in certis caſibus feriuntur Fideles.

Definitur accurate pœna ſpiritalis ad tempus Chriſtianis propter gravem culpam inflicta.

Dicitur 1. *Pœna*, quia cenſura non eſt ſententia a Judice pronuntiata, ſed pœna ipſa inflicta ut Excommunicatio, unde differt ab irregularitate, quæ oritur ex aliquo defectu, ſed non eſt pœna ſeu punitio quæ culpam ſupponit commiſſam. Pœna vero merito dicitur, quia eſt ultrix cujuſpiam ſceleris & ad correctionem tendit; unde in jure appellatur medicinalis, cap. *Cum medicinalis*, de ſent. excomm. in 6.

Dicitur pœna *ſpiritalis*, per quod differt ab iis exterioribus pœnis quæ a ſæcularibus poteſtatibus decernuntur, ut incarceratio & verberatio; Cenſuræ autem de ſe privant ſolum bonis ſpiritualibus. Excommunicatio privat participatione Sacramentorum, ſuſpenſio privat miniſterio Eccleſiaſtico, & interdictum participatione divinorum Officiorum. Unde etiam intelligitur in ſola poteſtate Eccleſiaſtica eſſe Cenſuras ferre, quia pœnæ ſunt ſpiritales. Idque vergit in bonum Eccleſiæ, ut nempe peccatores reſipiſcant, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. cap. 5. *Tradidi eum ſatanæ, ut ſpiritus ſalvus fiat.*

Dicitur *inflicta ad tempus*, quia Cenſura inſtituta eſt ad corrigendum & in remedium, non in meram ſceleris vindictam, per quod differt a depoſitione & degradatione quæ in perpetuum infliguntur, non ad tempus.

Additur *Chriſtianis*, quia Cenſuræ ferri non poſſunt niſi in eos qui juriſdictioni Eccleſiæ ſubditi ſunt, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. cap. 5. *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare.* Soli autem Chriſtiani & quotquot baptiſati ſunt, ſubjiciuntur juriſdictioni Eccleſiaſticæ.

Dicitur denique *propter gravem culpam*, quia cum Cenſura ſit gravis pœna, nimirum in privatione bonorum ſpiritualium poſita, ſupponit gravem admiſſam fuiſſe culpam; injuſtum enim foret levis peccati reum gravi pœna plectere. Unde qui ex ignorantia invincibili legem infringit, Cenſuram non incurrit, quia nullius peccati reus eſt.

Quod autem nonnulla quandoque prohibeantur ab Epiſcopis ſub pœna ſuſpenſionis, quæ tamen mala de ſe non ſunt, ut venatio.

Reſpondetur ejuſmodi res de ſe indifferentes non immerito judicari ab Epiſcopis malas in ſuis circumſtantiis, quatenus nempe exerceantur a Clericis, quibus detrimentum aut ſcandalum parere ſolent: ſcilicet cum Cenſuræ infligantur a Judice Eccleſiaſtico, qui ſuperior eſt legiti-

legitimus, præſumi debet Cenſuram ab eo non fuiſſe latam, niſi propter cauſam legitimam, ut ſi Epiſcopus venationem prohibeat ſuis Sacerdotibus, venatio enim etſi honeſta & licita ſit Laicis, pro Sacerdotibus tamen videtur ſcandaloſa.

Addunt quidam Theologi *cum contumacia*, ſed meo quidem judicio ad quamlibet Cenſuram incurrendam neceſſaria non eſt contumacia, ſuſpenſio enim, quæ vera & proprie dicta eſt Cenſura, quandoque incurritur ipſo facto, & pro ut fertur de jure, licet nulla præceſſerit contumacia, nullaque monitio; quin & contingit ſæpius, ut Judex Eccleſiaſticus Clericum ſuſpendat propter crimina præterita, quibus nulla de jure annexa erat Cenſura. Ad ſummum id intelligeretur de Excommunicatione majori.

CAPUT II.

Quotuplex ſit Cenſura.

MUltipliciter dividitur Cenſura: 1. in eam quæ eſt a jure, & aliam quæ eſt ab homine: 2. in latam & in ferendam: 3. in juſtam & injuſtam: 4. Cenſura dividitur ea diviſione quæ eſt generis in ſuas ſpecies, & tres ſunt tantum, nimirum Excommunicatio, ſuſpenſio & interdictum; nam ceſſatio Ordinis, irregularitas, depoſitio & degradatio, de quibus poſtea differemus, non ſunt proprie loquendo Cenſuræ.

Cenſura igitur, alia eſt *a jure*, alia vero *ab homine*, quæ quidem diviſio affertur penes cauſam efficientem Cenſuræ. Prior eſt ea quæ fertur inſtar legis duraturæ, quales habentur in Canonibus Conciliorum & in ſtatutis Synodalibus Epiſcoporum. Poſterior eſt ea quæ fertur per modum præcepti tranſitorii, quales ſunt ſententiæ quæ pronuntiantur a Judicibus Eccleſiaſticis. Differunt inſuper in eo quod Cenſura *a jure* ſpectat indefinite totam communitatem; Cenſura vero *ab homine* fertur in aliquam indeterminatam perſonam & in aliquo particulari negotio; & rurſus differunt in eo quod Cenſura *a jure* non deſinit per mortem Legiſlatoris & durat quandiu lex per quam fuit impoſita non & abrogata. Cenſura vero *ab homine* deſinit per mortem Superioris qui eam tulit; quod intelligendum eſt de Cenſura contrahenda non de contracta ante mortem Superioris.

Item Cenſura alia eſt quæ dicitur *latæ ſententiæ*, quæ nimirum ipſo facto, & independenter a nova Judicis ſententia, incurritur. Alia quæ dicitur *ferendæ ſententiæ*, quæ non incurritur niſi poſt ſententiam Judicis juxta præſcriptas juris conditiones latam; unde dicitur vulgo comminatoria. Utrum vero aliqua Cenſura ſit latæ ſententiæ vel ferendæ, judicatur ex ipſis terminis Cenſuram exprimentibus nimirum, prior his verbis exprimitur, *Ipſo facto ſuſpendatur, excommunicetur;* poſterior vero his verbis, *Qui hoc fecerit ſuſpendetur, excommunicabitur*. Quod ſi verba, quibus utitur Superior pronuntiando legem, qua, v. g. excommunicaret, ſunt obſcura, ita ut dubitandi locus ſit, an Cenſura ſit latæ ſententiæ, vel ſolum ferendæ, ea ſumi debent in mitiorem partem, quia ſemper odioſa ſunt reſtringenda.

Cenſura iterum alia eſt juſta, alia eſt injuſta. Cenſura juſta eſt ea quæ proportionata eſt delicto ejus qui plectitur. Injuſta vero cum econtra reus eam pœnam non meretur quæ ipſi infligitur, ut cum Clericus excommunicatur qui nonniſi ſuſpenſionem meretur. Ubi obſervandum eſt Cenſuram injuſtam aliquando eſſe validam; quando videlicet lata fuit cum adhibitis formalitatibus requiſitis; immo eam eſſe ſemper timendam propter reverentiam ſuperioribus debitam, juxta illud S. Gregorii M. Hom. 6. in Evang. *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta ſit, timenda eſt*. ſi nempe hæc Cenſura non ſit manifeſte & in oculis omnium nul-

nul-

nulla & invalida : unde expectanda eſt ſententia Judicis per quam publice declaretur irrita.

Porro Cenſura quævis haberi debet ut nulla & irrita tribus potiſſimum ex cauſis: 1. defectu Juriſdictionis in eo a quo fertur: 2. defectu cauſæ legitimæ, unde etiam, ut mox dixi, redditur injuſta: 3. defectu formalitatum in judicio ſervatarum,

1. Nulla eſt defectu Juriſdictionis, eſt enim judicium quod ferri non debet niſi a legitimo judice. Unde ſequitur,

1. Nullam & irritam fore Cenſuram quam ferret quis in æqualem vel ſuperiorem.

2. Nullam eſſe quam ferret Epiſcopus extra ſuam Diœceſim.

3. Irritam ſimiliter eſſe Cenſuram, tunc latam poſtquam interpoſita fuit appellatio, ut ſi judex Cenſuram in eum decerneret, qui rite appellavit a monitionibus, & ab eo omni quod in conſequentiam fieri poſſet; quia appellatio ad ſuperius Tribunal ſuſpendit Juriſdictionem inferioris Judicis, ut habetur cap. *Præterea* 2. extra *De appellationibus*, & cap. *Cum contingat* extra *De Officio & poteſtate Judicis delegati*. Exceptis tamen cauſis, in quibus juxta Canones appellari non debet, ut in cauſa fidei, & in cauſa religioſi qui ſecundum regulam corrigitur, cap. *Reprehenſibilis* extra *Appellationibus*, & poſito etiam quod appellatio fiat in tempore debito, hoc eſt intra decem dies a lata ſententia computandos, cap. *Quod ad conſultationem* extra *De ſententia & re judicata*.

4. Sequitur nullam eſſe Cenſuram latam a Metropolitano in ſuffraganeorum ſubditos niſi in caſu appellationis, in quo ſolum habet in illos Juriſdictionem.

5. Nullam eſſe quam tulit judex quem reus recuſavit, niſi prius examinatæ fuerint recuſationis cauſæ.

Altera cauſa quæ reddit Cenſuram plane nullam & irritam, eſt defectus cauſæ legitimæ, quod contingit quando & judex Cenſuram fert in eum qui nullius criminis reus eſt, vel ſaltem non niſi levem culpam admiſit; cum enim, ut jam dictum eſt, cenſura ex genere ſuo ſit gravis pœna, conſequenter non niſi propter grave delictum infligi debet. Quamobrem ſententiæ Judicum inferiorum non raro declarantur irritæ.

Tertia denique cauſa propter quam Cenſura eſt nulla, petitur ex defectu formalitatum in judicio requiſitarum, vel jure ipſo naturæ, vel jure poſitivo, & in Ordine ad loca & conſuetudines, cum, v. g. non præceſſit monitio debita & in certis caſibus requiſita, cum reus non fuit auditus & conſentanee ad leges interrogatus & convictus.

Porro monitionem Canonicam requiri ad Cenſuram, cujus defectu irrita ſit Cenſura *ab homine*, aperte ſtatuit Gregorius X. in Conc. Lugdun. his verbis, *Judices ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus, obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas ea aliter ſuaſerit moderanda*. Quod intelligi debet de Cenſura quæ infligatur ob culpam præteritam vel præſentem, in qua quis contumaciter perſiſtat. Quia in Cenſuris etiam *ab homine*, pro culpis futuris prohibitio facta per legem ſufficit, ut qui ei non paret, reddatur reus, & Cenſuram incurrat, quaſi violaſſet legem *a jure* latam.

Verba hæc Gregorii *aliquot dierum intervalla* explicari ſolent de tribus diebus, ut patet ex Can. *Omnes decimæ* 17. q. 7. de ſent. excom. in ſexto. Addit ſummus Pontifex, *Niſi facti neceſſitas, &c.* Quia ſufficit quandoque unica monitio, cum facti vel criminis periculum id poſtulat, habetur cap. De illicita cauſa, 24. q. 3.

Quoad aliam diviſionem quæ tres Cenſurarum ſpecies complectitur, eam po-

poſtea trademus, ſingulos ſigillatim explicando, poſtquam videlicet nonnullas quæſtiones de Cenſuris in genere & univerſim ſpectatis elucidaverimus.

CAPUT III.

Cujus ſit ferre Cenſuras.

CUm Cenſura, ut diximus, ſit pœna ſpiritalis ſeu privatio bonorum ſpiritualium, facile intelligitur ſolius eſſe poteſtatis Eccleſiaſticæ leges condere, quibus infligantur Cenſuræ. Verum tamen Novatores, qui pro viribus ſolent autoritatem Eccleſiæ quantum poſſunt deprimere, volunt poſſe quidem Eccleſiæ Miniſtros per verbi prædicationem nonnihil terroris incutere legis divinæ infractoribus, ſed negant in illis eſſe jus ac poteſtatem condendi leges, quibus fideles bonis interioribus, qualis eſt participatio Sacramentorum, priventur; ſic enim loquitur Lutherus Propoſitione XVIII. inter eas quæ a Leone X. damnatæ ſunt: *Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.* Sic & ante Lutherum ſcripſerat Wiclefus e cujus libris hi articuli excerpti ſunt, & proſcripti in Concilio Conſtant. XI. his conceptus eſt verbis, *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum a Deo, & qui ſic excommunicat, fit ex hoc Hæreticus vel Excommunicatus.* XII. *Prælatus excommunicans Clericum qui appellavit ad Regem vel ad Concilium regni, eo ipſo traditor eſt Regis & regni.* XXX. *Excommunicatio Papæ vel cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt Cenſura Anti-Chriſti.* Quod idem docuit etiam Joannes Hus, in quos fit.

CONCLUSIO.

Eſt in Eccleſia poteſtas ferendi Cenſuras, ſeu pœnas interiores & ſpiritales, idque conſtat,

1. Quia hanc poteſtatem Eccleſiæ ſuæ & Apoſtolis quorum Epiſcopi ſunt Succeſſores manifeſte tradidit Chriſtus, cum declaravit eos poſſe ligare & ſolvere in terris, Matth. 16. ait Petro, *Quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis*, & c. 18. omnibus Apoſtolis, *Quæcunque alligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Cælo.* Quibus verbis traditur jus ligandi & ſolvendi & ampliſſimum Eccleſiæ regimen, quod certe & ipſis aſtruit, jus ſtatuendi pœnas quibus rebelles puniantur, id enim in omni regimine & republica neceſſarium facile judicatur. Unde ibidem Chriſtus ait eos tanquam Ethnicos eſſe habendos, qui Eccleſiam non audierint, Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Id eſt privetur omni bono ſpiritali & fidelium communione in quo poſita eſt Excommunicatio.

2. Quia hac poteſtate ferendi Cenſuras uſus eſt ipſe Apoſtolus, & quando quemdam inceſtuoſum tradidit Satanæ I. Cor. 5. *Ego quidem*, inquit, *abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis.* Item quando idem Apoſtolus Himenæum & Alexandr. excommunicavit, I. Tim. 1. *Ex quibus*, inquit, *eſt Himenæus & Alexander, quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.*

3. Idem aſtruit perpetua Eccleſiæ praxis quæ docet, uſitatas ſemper fuiſſe Cenſuras in Chriſtianos delinquentes, qui a communione fidelium & ipſa Sacramentorum participatione arcebantur

per

Digitized by Google

per ſententias Epiſcoporum, ut abunde colligitur ex diſciplina pœnitentiæ publicæ, quæ a primo ad duodecimum ſæculum viguit in Eccleſia; tum vero ex eo quod in uſu ſemper fuit ut Eccleſia in Conciliis congregata Hæreticos & Schiſmaticos excommunicaverit, ſeu communione fidelium & participatione Sacramentorum privaverit. Quibus adde Wicleſum & Joannem Hus nominatim fuiſſe damnatos in Conc. Conſtantienſi Œcumenico, quod iſtam poteſtatem Prælatis Eccleſiæ denegarent, ut mox dictum eſt.

Neque in oppoſitum dici debet Eccleſiam non poſſe legitime quemquam Fidelium privare bonis ſpiritualibus, cum ejus poteſtas data ſit a Chriſto in ædificationem, non in deſtructionem; nam certum eſt hanc poteſtatem ferendi Cenſuras vergere in ædificationem & bonum commune Eccleſiæ quatenus reprimuntur Fideles & in officio ſuo continentur, juxta illud S. Pauli I. Cor. 5. *Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit*, ſupponimus autem hac ſua poteſtate non abuti Paſtores, nec niſi juſtas Cenſuras ferre.

Quæres ad quem in Eccleſia pertineat Cenſuras ferre?

Reſp. eos omnes univerſim poſſe in ſubditos Cenſuras ferre, qui habent ordinariam vel delegatam juriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo, & conſequenter id competere Conciliis tum generalibus tum provincialibus, ſummo Pontifici, Epiſcopis, eorum Vicariis generalibus, & Officialibus; item Capitulo Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante, & Superioribus Religioſorum, vel Generali, vel Provincialibus, vel Abbatibus, qua in re ſpectari debent uniuſcujuſque Ordinis conſtitutiones.

At illa poteſtas quam olim habuerunt Curati in ſuis Eccleſiis parochialibus, ut patet ex cap. Nemo Epiſcopus cauſa II. q. 1. jam illis ſublata eſt moribus ſcilicet contrariis, ut docet communis Eccleſi praxis. Quod enim diebus dominicis videntur in Miſſis Parochialibus excommunicare quoſdam Peccatores, ut Clericorum Percuſſores, bonorum Eccleſiaſticorum Raptores, &c. id ſignificat ſolum Parochos declarare qui ſunt a jure excommunicati.

Dixi, qui habent juriſdictionem *in foro externo*, quia nimirum ligari quemquam Cenſuris, & eum abſolvere, eſt actus juriſdictionis pertinens ad forum exterius, non ad forum interius & conſcientiæ. Scilicet duplex eſt forum judiciale, internum unum, aliud externum: internum ſeu conſcientiæ in quo cauſa agitur ſine teſtibus Deum inter & hominem; externum vero in quo cauſa agitur inter hominem & hominem, & duplex diſtinguitur civile & Eccleſiaſticum: civile in quo agitur de rebus temporalibus coram Judice ſæculari; Eccleſiaſticum, in quo agitur de rebus ſpiritualibus coram Judice Eccleſiaſtico. In foro externo Eccleſiaſtico duplex exercetur juriſdictio, una quæ dicitur voluntaria, & quando nulla exorta eſt contentio quæ exerceri ſolet ab Epiſcopo & ejus Vicariis generalibus; altera quæ dicitur contentioſa, quæ jam in hodierna Eccleſiæ praxi ad ſolos Officiales pertinet; unde dicuntur Judices Eccleſiaſtici, quia lites Clericorum dirimunt in foro Eccleſiaſtico contentioſo.

CAPUT IV.

In quas perſonas poſſint ferri Cenſuræ.

PRimo recte dici poteſt Cenſuris ſubjacere eos omnes qui baptizati ſunt, quia hoc ipſo effecti ſunt ſubditi juriſdictioni Eccleſiæ, tametſi defeciſſent ad Hæreſim & Apoſtaſiam, ſecus vero Judæi & Gentiles qui foris ſunt, & conſequenter in quos Eccleſia nullam habet juriſdictionem, id aperte docet S. Paulus I. Cor. 5. *Quid enim*, inquit, *mihi de iis qui foris ſunt, judicare?*

2. Fer-

2. Ferri non poſſunt Cenſuræ in pueros nondum ratione utentes, quia peccati non ſunt capaces; an vero ferri poſſint in adultos nondum puberes quæſtio movetur inter Theologos; ſed major pars cenſet hujuſmodi pueros eſſe Cenſuræ capaces, quia poſſunt in ea ætate gravem admittere culpam, ut habetur cap. *pueris* extra de ſentent. excomm. porro puberes cenſentur, qui annum attigerunt decimum quartum, pro maſculis, & duodecimum pro puellis.

3. Mortui non ſunt Cenſuris obnoxii, quia nec ſunt in foro Ecclesiæ nec correctionis ſunt capaces; unde ſi qui nonnunquam in Conciliis excommunicati leguntur, id non poteſt reputari proprie dicta Cenſura, ſed ſolum declaratio Cenſuræ quam vivens incurrit is de quo agitur, & ita ut hæc declaratio ad exemplum duntaxat viventium, non ad emendationem mortui ordinetur; quo ſenſu intelligi debet Canon *ſane* cauſa 24. q. 2. & cap. *Si quis Epiſcopus* extra de Hæreticis.

4. Ferri non poteſt Cenſura in bruta animantia, quia rationis & conſequenter delicti non ſunt capacia; unde pro excommunicatione haberi non debet, quod quandoque certa animalia exorcizantur benedictionibus, ne fructibus terræ noceant. Id enim dici potius debet ac reputari quandam habere ſpeciem, ut ajunt, adjurationis, ſed in rei veritate nihil eſt aliud quam oratio facta Deo pro illorum animalium deſtructione.

5. Ligatus una Cenſura, poteſt & alia ligari, accedente nimirum novo crimine vel nova contumacia.

6. Nemo poteſt ferre Cenſuras in æqualem neque in ſuperiorem, neque in ſeipſum, quia Cenſuram ferre eſt actus juriſdictionis; nemo autem habet juriſdictionem in ſeipſum, in æquales, neque in ſuperiores.

7. Epiſcopus Cenſuras ferre non poteſt in quempiam e ſuis Diœceſanis, ſi crimen fuerit commiſſum extra ejus territorium ubi commoretur, c. *Ut animarum* de conſtitut. in 6. neque idem eſt de Religioſis delinquentibus extra ſuum Monaſterium, quia Religioſus ubique terrarum ſubditus eſt Superioribus: & ſimiliter Epiſcopus exiſtens extra ſuum territorium non habet tribunal in quo audiri & judicari poſſit reus, c. *Novit* de officio Legati.

Quæritur utrum Advenæ & Peregrini ſubjiciantur Cenſuris locorum per quæ tranſeunt?

Reſp. 1. eos ſubjici Cenſuris a jure communi latis, unde excommunicatus foret quis Peregrinus qui homicidium patraret in aliquo loco, ubi prohibitum eſt homicidium ſub pœna Excommunicationis, quia, & ſi peregrinetur, ratione delicti forum ſortitur.

Reſp. 2. ſecus ſentiendum de Cenſura *ab homine*, quia Cenſura ad eos non extenditur: quia tempore quo lata fuit ſententia, præſentes ſubditi non erant, ſed ab illo loco abſentes.

Dehinc locus hic eſſet examinandi propter quas cauſas & quomodo ferendæ ſint Cenſuræ, ſed iſta melius explicabuntur infra cum de ſingulis Cenſurarum ſpeciebus ſigillatim agemus, præſertim cum in illis diverſis Cenſuris, diverſa ſit materia & forma procedendi.

CAPUT V.

De abſolutione a Cenſuris.

QUæritur penes quem ſit poteſtas abſolvendi a Cenſuris?

Reſp. vel agitur de abſolutione danda in foro conſcientiæ, vel in foro externo. Item ligatus Cenſura, vel ſpectatur in mortis articulo, vel extra mortis articulum: denique vel Cenſura reſervata eſt, vel non reſervata, quibus poſitis diſtinctionibus,

Dico 1. in foro conſcientiæ ſolum Sacerdotem poſſe abſolvere a Cenſuris, quia, ut diximus in tract. de Pœniten-

tia, ſolus Sacerdos eſt Miniſter abſolutionis ſacramentalis, ita ut nequidem Diaconis id competere poſſit; ſic porro Sacerdotes vi illius poteſtatis præciſe abſolvunt a Cenſuris, ut iſtud ſuum duntaxat habeat effectum coram Deo & in conſcientia, ligatus autem Cenſura non ſit ſolutus in foro externo: ſed requiritur Judicis abſolutio, ut qui per poteſtatem publicam Cenſura fuit innodatus, per publicam ſimiliter ſolvatur. Unde nec ceſſat Cenſura per ſolam ceſſationem criminis aut etiam contumaciæ, ut ſanxit Alexander VII. damnans iſtam propoſitionem *Quoad conſcientiæ forum reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante ceſſant Cenſuræ*. Non ceſſat quoque Cenſura per mortem ferentis illam, quia res eſt judicata; nec demum per mortem ligati per Cenſuram, qui privari poteſt ſepultura, & conſequenter neceſſe eſt, ut per ſententiam Judicis ſolvatur Cenſura.

Dico 2. in foro externo poteſtatem abſolvendi a Cenſuris reſidere: 1. in eo qui Cenſuram tulit, v. g. in Epiſcopo; 2. in ejus Vicariis, vel quibuſvis delegatis; 3. in Superiore, puta, in Metropolitano ad quem appellaverit Cenſura innodatus; 4. in ejuſdem Epiſcopi Succeſſore. Unde Capitulum ſede vacante, ad quod devoluta eſt juriſdictio epiſcopalis mortuo Epiſcopo, abſolvere poteſt a Cenſuris.

Diximus ſupra ab iſtis omnibus ferri poſſe Cenſuras. ſed juxta commune effatum, *Ejuſdem eſt ſolvere cujus eſt ligare*. Neque vero ut hanc poteſtatem exercere quis valeat, neceſſe eſt ut ſit Sacerdos, quia abſolutio a Cenſuris, non eſt actus Ordinis, ſed juriſdictionis.

Dico 3. in articulo mortis quemlibet Sacerdotem approbatum ad excipiendas confeſſiones, vel non approbatum abſolvere poſſe a Cenſuris; ut definivit Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis, *In eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, a quibuſvis peccatis & Cenſuris abſolvere poſſunt*. An vero ſimilem Cenſuram incurrat ægrotus qui recuperata ſanitate non recurrit ad Superiorem a quo abſolvatur, quæſtio eſt agitata inter Theologos in utramque partem, hoc certum eſt debere Confeſſarium pœnitenti præcipere, ut Superiorem conveniat a quo abſolutionem petat, & ſimul ad id teneri pœnitentem ſub pœna peccati.

Dico 4. Cenſuram a jure latam, ſi non ſit reſervata, tolli poſſe ab iis omnibus Sacerdotibus qui poſſunt abſolvere a peccatis ex cap. *Nuper* extra de Senten. Excomm. & uti docet Eccleſiæ praxis. Solent enim Confeſſarii, cum ſacris Ordinibus initiatos abſolvunt, iis dare abſolutionem ab Excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto; ubi tamen obſervandum eſt hanc abſolutionem a Cenſuris non dari a Confeſſariis, niſi ad cautelam & ex Eccleſiæ confeſſione, ſi nimirum aliquam ex iſtis Cenſuris incurriſſet pœnitens, cujus ipſe non eſſet conſcius, cum enim abſolutio a Cenſuris ſit actus Juriſdictionis & ad forum exterius pertineat, Confeſſarius eam dare non poteſt, eo præciſe quod eſt Sacerdos approbatus ad excipiendas confeſſiones, ſicut Papa in proviſionibus Beneficii abſolvens a Cenſuris juxta ſolitum ſtilum, non purgata ſimonia quæ interceſſit in reſignatione Beneficii, quia vult ſolum abſolvere ad effectum a Cenſuris incognitis.

Verum ſi Cenſura ſit reſervata, jus poſtulat, ut is ſolum ab ea poſſit abſolvere qui eam tulit, vel ejus ſucceſſor, vel delegatus, vel demum Superior, ut mox explicuimus. Sed uſus obtinuit ut a Cenſuris Papæ reſervatis abſolvere poſſint Epiſcopi in certis circumſtantiis, in quibus nempe qui ligati ſunt Cenſuris, non cenſentur poſſe Romam confugere; prudenterque judicatur mentem non fuiſſe ſummi Pontificis ad id in illis caſibus

Fi-

Fideles obligare. Talis eſt paupertas quæ tanta ſit, ut ſuppeditari non poſſint quæ ad ejusmodi abſolutionem habendam neceſſaria ſunt. Item Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *De ref.* cap. 6. permittit Epiſcopis a Caſibus & Cenſuris ſedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere, quando Caſus illi ſunt occulti, hoc eſt juxta hujus Regni leges, quando non ſunt ad forum contentioſum perducti.

Dico 5. poſſe quem multis Cenſuris ligatum abſolvi ab una, & non ab alia, quia non ſunt neceſſario inter ſe connexæ, niſi Superior abſolvens generalem & indefinitam pronuntiet abſolutionem; tunc enim pœnitens foret ab omni Cenſura abſolutus.

Dico 6. Epiſcopum exiſtentem extra ſuam Diœceſim, non poſſe abſolvere a Cenſuris ſibi reſervatis in foro contentioſo, quia ad ejusmodi abſolutionem, quæ Juriſdictionis eſt contentioſæ, requiritur territorium: contra vero ſi agatur de abſolutione per Juriſdictionem voluntariam impertienda.

Dico 7. poſſe quempiam abſentem a Cenſuris abſolvi, ut ſi Confeſſarius non habens facultatem abſolvendi a Cenſuris, non niſi poſt factam confeſſionem obtenta facultate ab Epiſcopo pœnitentem eundem abſentem abſolvat.

Dico denique poſſe aliquem abſolvi a Cenſuris, tametſi defunctum, ratione ſcilicet affectuum Cenſuræ qui remanent poſt mortem, ut, v. g. quod in loco ſacro ſepeliri non poſſit; ſed ut heredes hanc obtineant abſolutionem, debent pro facultatibus a mortuo relictis implere ſatisfactionem ab illo debitam. Et aliunde conſtare debet quod defunctus aliquod ante mortem pœnitentiæ ſignum dederit.

CAPUT VI.

De Excommunicatione.

EXcommunicatio, ſi ſpectetur etymologia nominis, idem eſt ac ſeparatio a communione; excommunicatus dicitur qui extra communionem alterius eſt; olim aliquis Epiſcopus dicebatur ab alio Epiſcopo excommunicatus, quia ab illius communione erat pulſus. Hic autem agitur de Excommunicatione, prout eſt una ex Cenſuris.

Excommunicatio alio nomine dicitur apud veteres *abſtentio*; Excommunicati dicuntur *abſtenti*, ſic, v. g. apud S. Cyprianum cum de Feliciſſimo loquitur ep. 55. *Hoſtem Chriſti*, inquit, *non novum*, *ſed jampridem ob crimina ſua plurima & graviſſima abſtentum*, & epiſt. 67. *Novatianus olim abſtentus*, *& hoſtis Eccleſiæ judicatus*.

Definitur in genere Cenſura Eccleſiaſtica per quam aliquis ſeparatur a communione Eccleſiæ, quatenus nempe privatur iis bonis ſpiritalibus quæ ad externam Eccleſiæ ſocietatem & communionem attinent; qualis eſt participatio Sacramentorum, orationum, Eccleſiæ, ſuffragiorum in divinis Officiis, &c. non autem quatenus privatur aliis bonis ſpiritalibus internis, quales ſunt gratia & charitas, quæ non pendent ab Eccleſia, ſed ab ipſo Deo ea largiente.

Duplex diſtinguitur Excommunicatio, minor & major. Definitur per Ordinem ad effectus quos producunt, major enim longe pluribus, & minor paucioribus Eccleſiæ bonis privat Excommunicatos. Legitur hæc diviſio cap. *Si quem* de ſentet. Excommun. ubi ſic loquitur Gregorius IX. *Si quem ſub hac forma verborum*, *illum excommunico*, *vel hujus ſimili*, *a Judice ſuo excommunicari contingat*, *dicendum eſt eum non tantum minori*, *qua a perceptione Sacramentorum*, *ſed etiam majori*, *qua a communione Fide-*

 lium

lium ſeparat, *eſſe ligatum*. Ubi notandum eſt Excommunicationem ſimpliciter & indefinite latam, de majori eſſe intelligendam.

CAPUT VIII.

De Excommunicatione majori.

DEfinitur Cenſura Eccleſiaſtica per quam Chriſtianus omnibus Eccleſiæ bonis privatur.

Dicitur *Cenſura Eccleſiaſtica*, quæ verba tenent locum generis, & in quo convenit cum ſuſpenſione & interdicto.

Dicitur, *per quam privatur omnibus Eccleſiæ bonis*, quæ verba tenent locum differentiæ, & in quo differt ab Excommunicatione minori, quæ nonniſi bonis quibuſdam ſpiritalibus Fidelem privat. Quænam ſint bona illa ſpiritalia, a quibus penitus excluduntur Excommunicati Excommunicatione majori, mox videbitur in enumeratione ejus effectuum.

Excommunicatio major dicitur quandoque *Anathema*, in quem ſenſum hunc Apoſtoli ad Romanos locum; *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis*. Explicat S. Chryſoſtomus, Hom. 16. his verbis. *Quid igitur eſt anathema? Audi ipſum ita loquentem, Si quis non amat Dominum noſtrum J. C. it anathema ſit*, *hoc eſt ab omnium commercio ſegregetur*, *alienus ab omnibus ſit*. Hac voce uti ſolent Concilia, cum Excommunicationem pronuntiant adverſus hæreticos, quam quidem pœnam non ſatis formidare videntur Chriſtiani, ut monet S. Auguſt. tractat. 27. in Joan. *Nihil*, inquit, *ſic debet formidare Chriſtianus quam ſeparari a Corpore Chriſti*, *ſi enim ſeparatur a Corpore Chriſti*, *non eſt membrum ejus*. *Si non eſt membrum ejus*, *non vegetatur Spiritu ejus*. *Quiſquis autem*, inquit Apoſtolus, *non habet Spiritum Chriſti*, *hic non eſt ejus*.

Notandum eſt duplex eſſe genus Excommunicatorum, alii enim ſunt tolerati, qui nempe per ſententiam Judicis expreſſe & nominatim declarati non ſunt excommunicati; alii vero non tolerati qui contra fuerunt per ſententias Judicis nominatim declarati, & inſuper publice denuntiati; quæ diviſio aperte legitur in celebri Conſtitutione *Ad evitanda ſcandala*, quæ tribuitur Martino V. ubi docet Excommunicatos non eſſe vitandos & ab omni Fidelium commercio, & communione Eccleſiæ præciſos, niſi declarati & denunciati prius fuerint, qua in parte Conſtitutio concordat cum præſenti Eccleſiæ diſciplina & hujus Regni uſu. Et merito quidem, quia ſi ab omni ſocietate præciſus haberetur & vitandus eſſet, quiſquis eſt Excommunicatus a jure ante ejus criminis diſcuſſionem, antequam audiretur & adveniſſet ſententia judicis, magna inde orirentur inter Chriſtianos ſcandala, multi quandoque immerentes reputarentur excommunicati.

Revera ab illa communi lege Clericorum percuſſores excipit Martinus V. *Nos*, inquit, *a communione illius*, *licet denunciatus non fuerit*, *volumus abſtineri juxta Canonicas Sanctiones*. Verum firma eſt hujus regni regula, non ſufficere notorietatem facti quæ obtenderetur in illo caſu; ſed requiritur expreſſa judicis ſententia & publica ejus denuntiatio, ut Clerici percuſſor vitari debeat, & ita publica infamia notetur propter rationes mox adductas, forte enim quis immerens damnaretur tanquam reus, ſi illius criminis facta non fuiſſet diſcuſſio.

Plurimi ſunt excommunicationis majoris effectus.

1. Excommunicatus ſive toleratus, ſive non toleratus, excluſus eſt tum ab adminiſtratione, tum a receptione Sacramentorum, ut docet Innocentius III. cap. *Cum illorum*, extra de ſentent. Excomm. & cap. *Si celebrat*. extra *De Clerico Excomm.* Unde Sacerdos Excommunicatus non poteſt valide abſolvere quemquam a peccatis; hinc etiam Excommunicatus debet prius abſolvi ab

Ex-

Excommunicatione quam a peccatis, ut nempe ſit capax recipiendæ abſolutionis Sacramentalis, ut ſcribit S. Thomas in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 5. *Cum Excommunicatus*, inquit, *non ſit particeps Sacramentorum Eccleſiæ, Sacerdos non poteſt abſolvere Excommunicatum a culpa niſi ſit prius abſolutus ab Excommunicatione*. Hinc denique irregularitatem incurreret Sacerdos Excommunicatus qui aliquod Sacramentum adminiſtraret, quia Cenſuram violaret.

2. Excommunicati etiam tolerati privantur omnibus Eccleſiæ ſuffragiis videlicet ſacrificiis, orationibus, &c. ex cap. *Sacris*, tit. de ſentent. Excomm. Eam fuiſſe doctrinam S. Cypriani colligitur ex ejus epiſtola *66.* ubi vetat ne pro certo quodam Victore ſacrificium offeratur, quod nempe in Excommunicationem inciderat Presbyterum conſtituens Tutorem adverſus Eccleſiæ Africanæ decreta. Neque ſine gravi peccato id fieri poſſet, quia Eccleſiæ diſciplina manifeſte violaretur.

Quod tamen eſt intelligendum eo ſenſu quod publice & nomine Eccleſiæ, pro iis non ſit orandum, nec offerendum, licet privatim poſſit quivis pro eorum converſione orare, ut cenſent S. Bernardus, lib. de gradibus humilitatis, cap. 22. & S. Thomas in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 1.

3. Excommunicati non poſſunt intereſſe Miſſæ Sacrificio & aliis Divinis Officiis citra grave peccatum ex cap. *Alma* De ſentent. Excomm. in *6.* unde cum celebratur Sacrificium Miſſæ, ſi præſens adeſſet Excommunicatus, nec exire vellet, aſtantes ipſi exire tenentur, ne cum eo communicent, & Sacerdos ab altari debet recedere, ſi Canonem Miſſæ nondum attigerit, alias ſacrificium perficiet uſque ad peractam Communionem & reliquam ſacrificii partem in ſacrario. Quod tamen intelligas de Excommunicatis non toleratis & denuntiatis, quia cum iis communicare non licet.

4. Excommunicati etiam tolerati plane inhabiles ſunt ad quæcunque Beneficia recipienda; ita ut Collatio vel Præſentatio ipſis facta ſit irrita cap. *Poſtulatis*, de Clerico Excomm. nec tale Beneficium retinere poſſit Excommunicatus, niſi nova collatione vel diſpenſatione, tametſi ab excommunicatione abſolvatur; quia per ejuſmodi abſolutionem non convaleſcit Collatio de ſe nulla, juxta hanc juris regulam in ſexto, *Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non ſubſiſtit*. quamquam in ipſo facto non vacent Beneficia, quibus fruebatur Excommunicatus, nimirum antequam advenerit judicis ſententia. Rurſus contendunt multi id locum non habere pro Penſionibus Clericalibus, quia Canones Penſionum non meminerunt, cum hac in parte agunt de Excommunicatis, ſecundum jus autem in *6. In pœnis benignior interpretatio facienda eſt*. cui ſententiæ favet declaratio Cardinalium ſuper ſeſſ. 14. Concilii Tridentini c. 7. ubi legitur, *Incapacitatem homicidæ ad Beneficia, extendendam non eſſe ad Penſiones*.

5. Excommunicatio major Eccleſiaſtica judisdictione in foro exteriori ſpoliat Clericos cap. *Romana Eccleſia*, titut. *De Officio Vicarii* in ſexto. & cap. *Decernimus*, tit. de ſent. Excomm. cum hoc tamen diſcrimine quod Excommunicati non tolerati nec licite, nec valide poſſint ullam jurisdictionem exercere; tolerati vero licite quidem id non poſſint ſed valide, cap. *Ad probandum de ſentent. & re judicata*. Id enim vergeret in publicum reipublicæ damnum, ſi dubitaretur de validitate actionum publicarum, quas in ſuo Miniſterio exerceret judex Eccleſiaſticus.

6. Excommunicati ſunt omnino inhabiles reſpectu gratiarum & reſcriptorum Apoſtolicorum, cap. *Ipſo jure de reſcript.* quod tamen raro contingit, quia ſolet Papa in ejuſmodi reſcriptis præmittere abſolutionem ab omnibus Cen-

Digitized by Google

Cenſuris, cujus defectu gratia foret nulla, quæque non valet niſi pro hac ſpeciali gratia Apoſtolica.

7. Excommunicati non tolerati ſcilicet & denuntiati Eccleſiaſtica ſepultura privantur, ex cap. *Sacris* extra *De ſepulturis*, quæ eſt Conſtitutio Innocentii III. ſic loquentis, *Sacris eſt Canonibus inſtitutum, ut quibus non communicavimus vivis non communicemus defunctis, & ut careant Eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab Eccleſiaſtica unitate præciſi*. Ubi præcipit Excommunicati corpus exhumari, ſi forte in loco ſacro tumulatum fuit, modo diſcerni poſſit a cæteris, ſecus vero ſi diſcerni non poſſit: unde per benedictiones & aquæ aſperſiones debent Eccleſiæ vel cœmeteria hoc in caſu reconciliari, cap. *Conſuluiſti*. tit. *De conſecrat. Eccleſiæ*.

8. Excommunicati cum cæteris Fidelibus communicare non debent in actionibus humanis tam forenſibus, quam aliis ad ſocietatem pertinentibus: quoad actiones forenſes attinet, id expreſſe habetur cap. *Decernimus*. tit. de ſentent. Excomm. in 6. unde Excommunicati non debent fungi officiis Actorum, Patronorum, ac Teſtium, quanquam ſententiæ a Judicibus Excommunicatis pronuntiatæ validæ ſint, ſi non ſint denunciati, ut patet ex jam citata conſtitutione *Ad vitanda ſcandala*. Quoad alias autem actiones civiles id habetur cap. *Si quem*, Excommunicatio enim major eſt privatio cujuslibet Communionis, tum in rebus divinis, tum in civilibus. Unde & ipſi Fideles peccarent, qui cum Excommunicatis non toleratis communicarent.

Quæritur quo jure vitandi ſint Excommunicati?

Reſp. juxta nonnullorum ſententiam, jure divino vitandos eſſe, quia docet Chriſtus Matth. 18. eos non aliter eſſe habendos quam Ethnicos & Publicanos, *Qui non audierit Eccleſiam ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, & S. Joan. de Hæretico ep. 2. *Nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dixerit ei ave communicat operibus ejus malignis*.

Verum iſti falluntur, quia ſi jure divino vitandi eſſent Excommunicati, Eccleſia non permiſiſſet communicare cum Excommunicatis toleratis; nihil enim poteſt ſtatuere contra jus divinum; ſed Eccleſia permittit communicare cum Excommunicatis toleratis, & cum Hæreticis etiam qui nominatim non ſunt denuntiati, hæc enim eſt hujus Regni praxis. Quapropter ex allatis Scripturæ locis colligitur ſolum vitandos eſſe Hæreticos, quando id poſtulat Fidelium utilitas & timendi locus eſt, ne Fidelium pietatem & fidem pervertant; atque id reſtringendo ad ſolos Excommunicatos denuntiatos, non abolетur, ſed explicatur jus divinum.

Jam vero in quibus non liceat communicare cum Excommunicatis indicatur in iſto verſu,

Os, orare, vale, Communio, Menſa negatur.

Os ſignificat collocutiones quæ fiant verbo vel ſcripto, tum deoſculationes cauſa amicitiæ datas. *Orare* ſignificat cum Excommunicatis non eſſe precandum Deum vel in Templis vel in Proceſſionibus. *Vale* ſignificat nec ſalutationem honoris cauſa ipſis eſſe exhibendam. *Communio* ſignificat nullam eſſe habendam ſocietatem per emptionem, venditionem aut alios ejuſmodi contractus. *Menſa* denique denotat non eſſe cum illis manducandum in eadem Menſa.

Sunt tamen caſus in quibus Fideles ab illis vitandis excuſantur, ut indicat iſte verſus,

Utile, lex, humilis, res ignorata, neceſſe.

Utile ſignificat cum Excommunicato Fidelem communicare poſſe, quando id magno foret emolumento ad procurandam ejus converſionem, ut habetur cap. *Cum voluntate* extra *de ſenten. Excomm. Lex* ſignificat Conjugatos poſſe ſe-

ſecum invicem communicare, tametſi alteruter eſſet excommunicatus, modo Excommunicatio lata non ſit in cauſa matrimonii, tunc enim ipſis prohibitum eſſet ne contraherent, vel ne cohabitarent. *Humilis* ſignificat, ſervos & filios communicare poſſe cum ſuis dominis & parentibus excommunicatis; ut patet ex Can. *Quoniam* cauſa 11. p. 3. *Res ignorata* denotat eum excuſari qui communicat cum eo quem excommunicatum eſſe ignorat, ex cap. *Apoſtolicæ ſed* s extra de ſent. Excomm. *Neceſſe* ſignificat licite communicari, quando neceſſitas id poſtulat, qua, v. g. eis ſubminiſtranda ſunt alimenta, qua Medicus tenetur ad eos accedere ex cap. *Cum voluntate* extra de ſent. Excomm.

Quæres quodnam committatur peccatum, ab eo qui cum Excommunicato communicat?

Reſp. ſic iſtam quæſtionem dirimi a S. Thoma quodlibeto 11. qu. 7. art. 2. *Aliquis poteſt communicare ſeu participare cum Excommunicato directe & indirecte; directe quidem in his quæ ſunt fidelium, & qui hoc modo ei communicat peccat mortaliter. Et hoc contingit tripliciter, puta ſi communico cum illo in divinis, ſicut ſi orem pro eo, vel audiam Miſſam pro eo, & in aliis ſpiritualibus. Item ſi ex contemptu & hoc in quocunque communicat quis cum eo quaſi contemnens mandatum Eccleſiæ, peccat mortaliter; item quicumque participat cum illo in crimine & in cauſa. Indirecte vero communicat quis cum eo in his quæ ſunt hominis, ſicut in verbo, in cibo, & in his quæ ſunt ſimpliciter humanæ converſationis, & ſecundum hoc non peccat mortaliter, ſed venialiter, niſi faciat ex contemptu.*

Cum autem ſibi objeciſſet, etiam Communionem cum Excommunicato in rebus humanis, habendam eſſe ut peccatum mortale, quod exterius violatur Eccleſiæ præceptum.

Reſpondet, *Communicare cum Excommunicato directe eſſe contra præceptum Eccleſiæ, & peccatum mortale, ſed communicare indirecte non eſſe contra, ſed præter præceptum Eccleſiæ. Quia præceptum Eccleſiæ directe reſpicit ſpiritualia........ quædam ſunt per ſe mala & hæc non poſſunt fieri ſine peccato, ſicut communicare cum Excommunicato in his quæ ſunt Excommunicati, & ideo non poſſunt fieri ſine peccato mortali. Quædam vero ſunt occaſiones malorum tantum, & iſta poſſunt fieri ſine peccato mortali, ut loqui vel comedere cum Excommunicatis.*

Quæres quam ob cauſam ferri debeat Excommunicatio major.

Reſp. ferri non debere niſi ob gravem culpam, ob peccatum mortale; id enim ubique & a SS. Patribus & a Conciliis præſcribitur Epiſcopis, Can. *Nemo*, cauſa 11. q. 3. qui eſt Concilii Meldenſis, Can. LVI. *Nemo Epiſcoporum ſine certa & manifeſta peccati cauſa Communione privet Eccleſiaſtica, ſub anathemate autem ſine conſcientia Archiepiſcopi aut Coepiſcoporum nullum præſumat ponere, niſi unde Canonica docet autoritas, quia anathema eſt æterna mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.* Idem habetur Can. *Ecce* cauſa XXIII. q. 3. idem docet S. Leo, epiſt. 10. S Gregorius M. epiſt. 26. lib. 2. unde Concilium Trident. hanc regulam ſtatuit ſeſſ. 25. de reform. cap. 3. *Quamvis Excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobrie tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere quam ſalutem.* Et ratio eſt quia Excommunicatio eſt omnium pœnarum graviſſima, per quam ſcilicet Chriſtianus ejicitur ab Eccleſia: ſed pœna graviſſima juſte & valide infligi non poteſt niſi propter graviſſimum peccatum, quod proinde mortale ſit.

Atque pro quolibet peccato mortali in-

inſtigi non debet Excommunicatio major, niſi poſtquam acceſſerit contumacia, ut cenſet S.Thomas in 4. ſent. diſt. 18. q. 2. art. 1. his verbis, *Quia Excommunicatio eſt graviſſima pœnarum, pœnæ autem medicinæ ſunt, ſapientis autem Medici eſt a levioribus medicinis incipere, & minus periculoſis; ideo Excommunicatio inſligi etiam non debet pro peccato mortali, niſi contumax fuerit.*

Quæres quænam ſint formalitates prærequiſitæ, ut rite & valide feratur Excommunicatio a Judice Eccleſiaſtico.

Reſp. requiri primum ut præmittantur monitiones Canonicæ, ſiquidem nonniſi in rebelles & contumaces inſligitur graviſſima Excommunicationis pœna, extat hæc regula cap. *Sacro* extra *de ſentent. Excomm.* quæ eſt Innocentii III. ſeu Concilii Lateran. M. *Sacro approbante Concilio*, inquit, *prohibemus, ne quis in aliquem Excommunicationis ſententiam, niſi competenti admonitione præmiſſa, & perſonis præſentibus idoneis, per quas, ſi neceſſe fuerit, poſſit probari monitio, promulgare præſumat.* &c. *Conſtitutionem*, Gregorius X. præfatam Innocentii regulam confirmans addit, *Statuimus quoque, ut inter monitiones quas, ut canonice promulgetur Excommunicationis ſententia, ſtatuunt jura præmitti, Judices ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus obſervent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaſerit moderanda.* Ex quibus patet tres requiri in jure monitiones, aut ſaltem unam, & quando res celeritatem exigit, ſed ita ut obſerventur competentia temporis intervalla.

Cum autem dicitur monitio præmittenda, id vulgo non intelligitur de Excommunicatione quæ poſt legem latam *ipſo facto* incurratur, quia lex rite promulgata vim monitionis habere cenſetur. Quamquam in oppoſitum ſentire videtur Gerſonius tract. De vita ſpirituali, corol. 14. ubi ait optare ſe, ut Judices Eccleſiaſtici nullam unquam Excommunicationis ſententiam in quemquam ferant ſine præmiſſis monitionibus, quia etſi lex fuerit lata ſub pœna Excommunicationis, *ipſo facto* incurrenda, omnes inobedientes qui ex infirmitate vel paſſione peccant, cenſeri non debent contumaces; non enim juriſdictionem Eccleſiaſticam contempſerunt.

Porro illæ monitiones fieri debent ipſi reo & coram teſtibus, ut habetur citato cap. *Sacro*, quod utique obſervatur hoc in regno, ſed ſi contingat reum per fraudem & malas artes impedire, ne ſibi fiant monitiones, ſufficiet monitio ad ejus domicilium, hoc ipſo enim contumax cenſetur cap. *Cauſam* extra *de dolo & contumacia*. Dehinc poſt monitiones factas, in jus vocari debet ac citari accuſatus, ut comparere poſſit coram judice, & cauſam ſuam defendere ex c. *Inter quatuor* extra *de majoritate & obedientia*, tum vero quid poſtea agendum a judice eccleſiaſtico, ſi ferat Excommunicationis ſententiam, præſcribit Innocentius IV. cap. *Cum medicinalis*, in ſexto. *Quiſquis excommunicat*, inquit, *Excommunicationem in ſcriptis proferat & cauſam Excommunicationis expreſſe conſcribat propter quam Excommunicatio proferatur, exemplum vero hujuſmodi ſcripturæ teneatur Excommunicato tradere intra menſem, ſi fuerit requiſitus, ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel litteras teſtimoniales confici ſigillo authentico conſignatas.* Quibus ita peractis hanc eandem Excommunicationis ſententiam denuntiare tenetur judex eccleſiaſticus cap. *Conqueſti*. extra *de ſent. Excommunicationis*, quo promptius ad reſipiſcentiam adducatur peccator. Porro ſolemnitatis qua fertur Excommunicatio major, deſcriptio habetur cap. *Debent* 11. q. 3. his verbis, *Debent duodecim Sacerdotes Epiſcopum circumſtare & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione anathematis, vel Excommunicationis, projicere debent in terram, & conculcare pedibus.*

Solet

Solet autem ſimilium Excommunicationum, quæ raro nunc uſurpantur, forma ab Epiſcopis præſcribi.

Cæterum non ſolum Excommunicatio fieri non debet, niſi graviſſimam ob cauſam, ſed & ab ea ferenda abſtinere quandoque expedit, cum ſcilicet timetur ne peccator contumax pejor inde fiat, & ne talis Excommunicatio contemnatur, & ita Eccleſiæ honori non ſatis conſulatur. Hoc ipſum monent paſſim SS. Patres, ſic, v. g. S. Auguſtinus ſerm. 17. *Sed aliquando*, inquit, *nos parcimus*, & *non novimus niſi loqui*, *excommunicare*, *de Eccleſia projicere pigri ſumus*. *Aliquando enim timemus*, *ne ipſo flagello pejor fiat qui cæditur*; & lib. 3. contra epiſt. Parmeniani c. 2. *In hac velut anguſtia quæſtionis non aliquid novum aut inſolitum dicam*, *ſed quod ſanctitas Eccleſiæ obſervat*, *ut cum quiſque Fratrum*, *ideſt Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus*, *ut anathemate dignus habeatur*, *fiat hoc ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt*; quam prudentiæ regulam præſcripſit etiam Synodus Trident. jam citata ſeſſ. 25. de reform. cap. 3. cum ait gladium Excommunicationis ſobrie exercendum, *Cum experientia doceat*, *ſi temere aut levibus ex rebus incutiatur*, *magis contemni quam formidari*, & *perniciem potius parere quam ſalutem*.

Putat S. Thomas in 3. Sent. diſt. 18. qu. 2. art. 3. Excommunicationem ferri ſimul non poſſe in totam Communitatem, in Provinciam, in totam Diœceſim, *Excommunicari*, inquit, *non debet aliquis niſi pro peccato mortali*, *actus autem non eſt communitatis*, *ſed ſingularium perſonarum*, & *ideo ſinguli de communitate excommunicari poſſunt*, *non autem ipſa communitas*: unde multi Canoniſtæ cenſent ejuſmodi Excommunicationem latam in communitatem non modo illicitam eſſe, ſed & nullam ac irritam.

CAPUT VIII.

De Excommunicatione minori.

EXcommunicatio minor definitur a multis ratione ſuorum effectuum, *Cenſura Eccleſiaſtica qua Fideles privantur Sacramentorum participatione*, & *paſſiva electione ad Beneficia*. Ab aliquibus definitur ratione cauſæ propter quam incurritur; *Cenſura quam quis incurrit ex Communione cum notorie Excommunicatis*. Ubique enim in Canonibus minor ſaltem Excommunicatio contrahitur ab iis, qui cum Excommunicatis non toleratis communicant, Can. *Sanctis* in decreto Gratiani: *Sanctis Canonibus cautum conſtat*, *ut qui cum Excommunicatis communicaverit*, *excommunicetur*. Quod intelligitur de Excommunicatione minori, & propter communicationem cum Excommunicatis non toleratis, quia ex conſtitutione *ad evitanda ſcandala*, non contrahitur Excommunicatio communicando cum Excommunicatis toleratis. Quod intelligendum eſt, ſi, ut ait Innocentius III. non participat crimini ejus cui communicat cap. *Nuper*, *de Sent. Excomm.* Utraque definitio ſatis intelligitur ex ſupra dictis; priori autem apud Theologos & Canoniſtas magis uſitatæ ſtandum eſt.

Porro cum dicitur in priori definitione Excommunicationem minorem privare Sacramentorum participatione, id intelligitur de eorum receptione, non de eorum adminiſtratione, ex cap. *Si celebrat*, titulo *De Clerico Excom.* ita tamen ut Excommunicatione minori ligatus peccet Sacramenta adminiſtrando, ut habetur cap. mox laudato his verbis: *Peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta*, *ſed ab eo collata virtutis non carent effectu*, *cum non videatur a collatione*, *ſed participatione Sacramentorum quæ in ſola conſiſtit perceptione*, *remotus*. Statuit ibidem Gregorius IX. Sacerdotem minori Excommunicatione liga-

tum, ſi celebrat, peccare graviter; ſed nullius irregularitatis notam incurrere.

Deinde cum dicitur in poſteriori definitione minorem Excommunicationem incurri per communionem cum Excommunicatis, id non intelligitur de participatione in eodem crimine; eatenus enim eandem incurreret Excommunicationem, ut mox dictum eſt. Non loquimur hic de certo quodam Excommunicationis genere, quod ſatis frequenter in uſu erat apud antiquos, qui hoc verbum uſurpabant, cum Epiſcopi in aliquo fidei aut diſciplinæ puncto diſſidebant, ſe invicem a ſua Communione ſeparabant, quod contigiſſe videtur tempore S. Cypriani in controverſia de Baptiſmo Hæreticorum, teſtatur enim Euſebius Stephanum ſummum Pontificem cum eo pacem & communionem rupiſſe, quod non intelligitur de vera Excommunicatione lata ab Eccleſia, ſed tantum de privata ſeparatione communionis & commercii ſeu ſocietatis quam ſancto Cypriano ſignificaverat Stephanus ſummus Pontifex, eo quod ab illo diſſidebat Cyprianus circa quæſtionem de Baptiſmo ab Hæreticis collato.

CAPUT IX.

De Monitoriis.

QUoniam autem Monitoria non nihil habent affinitatis cum Excommunicatione, non abs re erit hoc loco de illis quædam obiter tractare.

Monitorium recte definitur, *Mandatum a Judice Eccleſiaſtico datum in finem revelandi aliquod crimen ſub pœna Excommunicationis.*

Dicitur *Mandatum* ab aliquo ſcilicet legitimo ſuperiore latum, ſeu ſit Officialis Epiſcopi, ſeu ſit ipſe Epiſcopus: unde vim de ſe habet obligandi eos qui revelare tenentur.

Dicitur *a Judice Eccleſiaſtico datum*, an debeat eſſe Epiſcopus, an Officialis in qualibet Diœceſi. Standum eſt receptæ conſuetudini. Concilium Trid. ſtatuit ſeſſ. 25. cap. 3. de refor. ſolius eſſe Epiſcopi Monitoria decernere; ſed uſus obtinuit in regno, ut non niſi ab Officiali concedantur, quia nempe ad forum contentioſum attinent; decernuntur enim ut plurimum poſtquam Judex ſæcularis ea judicavit neceſſaria ad habendam in litibus cognitionem alicujus facti vel criminis.

Dicitur *in finem revelandi*, ea nimirum quæ ſpectant rem de qua agitur in Monitorio; neque enim revelari debent alia quæ rei in Monitorio propoſitæ ſint extrinſeca, uti nec teſtimonia revelantium excipi debent.

Dicitur denique, *ſub pœna Excommunicationis;* unde facile judicatur Monitoria non eſſe decernenda niſi ob aliquam gravem cauſam ad reſarciendum grave aliquod damnum proximo illatum, quia, ut ait Concilium Trid. loco mox citato, *Si levibus ex cauſis incutiatur Excommunicationis gladius, magis contemnetur quam formidaretur.* Idem præcipitur in edicto Regio anni 1695. circa Juriſdictionam Eccleſiaſticam art. 26. *Les Officiaux ne pourront decerner des Monitoires, que pour des crimes graves & ſcandales publics.*

Quæres utrum decerni poſſint Monitoria in cauſis criminalibus?

Reſpon. eam eſſe hujus regni diſciplinam, ut in cauſis criminalibus decernantur Monitoria, quandoquidem ad illa publicanda cogitur Eccleſiaſticus Judex ex ſanctione regia criminali an. 1670. Neque timere debet ne irregularitatem incurrat, ſi ſequeretur ex revelationibus reum morte puniri, quia hac in parte non eſſet hujus mortis niſi cauſa remota & per accidens, præter quam quod ſolent in iſto caſu Judices Eccleſiaſtici, reos capitalia criminis remittere ad Judices ſæculares qui Sentententiam pronuntient.

Quæritur an omnes & ſemper teneantur revelare cognito vel audito Monitorio?

Reſp.

Reſp. negative, namque revelare non tenentur; 1. conſanguinei & affines in tertio ſaltem vel quarto gradu, uti nec tenentur coram judicibus teſtimonium ferre. Si enim pater, v. g. adverſus filium revelaret, in ſeipſum quodammodo teſtimonium ferret, & ita ſi filius in patrem, &c. & ratio eſt inſuper quia continuo perturbaretur ſocietas civilis, ex ejuſmodi enim revelationibus plurima naſcuntur odia & rixæ.

2. Revelare non tenentur ii, quibus delictum fuit declaratum poſtulando Conſilium, ut Advocati, Medici, Doctores, expendit S. Thomas, 2. 2. q. 70. art. 1. an revelari debeant quæ homini ſunt commiſſa ſub ſecreto, & reſpondet hominem non teneri ea prodere, *Etiam*, inquit, *ex præcepto ſuperioris, quia ſervare fidem eſt de Jure naturali, nihil autem poteſt præcipi homini contra id quod eſt de Jure naturali*.

3. Nec tenentur revelare qui cum fundamento timent ne revelando grave damnum ipſi patiantur, & in periculum vitæ aut famæ deperdendæ injiciantur.

4. Revelare non tenentur domeſtici & famuli, docet enim praxis excipi ſolitas a Parochis eorum revelationes, quemadmodum in foro coguntur a judicibus ferre teſtimonia de furtis vel homicidiis contra proprios dominos: contrarium tamen ſentiunt nonnulli.

5. Clerici licite poſſunt ſine periculo incurrendæ irregularitatis, & tenentur ſæpius parere Monitoriis in cauſis criminalibus, uti fieri ſolet in hoc regno, Clerici autem teſtimonium ferentes non fiunt irregulares, tametſi mors inde ſequatur, quia teſtes non ſunt niſi cauſa remota, & indirecta, mortis, qua plectitur reus, is autem ſolus irregularitatem incurrit, qui eſt cauſa proxima & directa, uti mox dictum eſt.

6. Tenentur etiam revelare qui non ſunt ex illa Parochia in qua publicatur Monitorium, modo ſint ex eadem Diœceſi, quia ſubjiciuntur Juriſdictioni Officialis qui Monitorium conceſſit.

CAPUT X.

De Suſpenſione.

SUſpenſio definitur Cenſura, qua Clericus privatur uſu Ordinis, vel Officii, vel Beneficii. Unde patet Suſpenſionem in ſolos Clericos cadere; Suſpenſio enim non cadit niſi in eos qui ſacris ordinibus ſunt initiati. Ii autem non niſi uſu & exercitio ſuorum Ordinum & Officiorum privantur per Suſpenſionem. Unde Suſpenſio differt ab Excommunicatione & interdicto, quæ Laicos ligare poſſunt. Hinc etiam ſequitur triplicem eſſe Suſpenſionem nimirum ab Ordine, ab Officio, & a Beneficio.

Suſpenſio ab Ordine eſt ea, qua Clerico prohibetur munia ſui Ordinis exercere, & ſic Sacerdos ſuſpenſus non poteſt Miſſam celebrare, nec alia peragere quæ ſunt Ordinis Sacerdotalis. *Dixi exercere*, quia Suſpenſus poteſt recipere Sacramenta, in quo Suſpenſio differt ab Excommunicatione & interdicto quæ Fideles reddunt inhabiles ad recipienda Sacramenta.

Suſpenſio ab Officio importat privationem Juriſdictionis, in Suſpenſo, ſic, v. g. Officialis qui Suſpenſionem incurrit, munus ſuum Officialatus exercere non poteſt, Cenſuras ferre, Monitoria decernere, &c. Sic Parochus ſuſpenſus non poteſt fungi Officio Parochiali.

Suſpenſio a Beneficio dicitur ea, qua Clericus privatur fructibus ſui Beneficii, ſed in hoc regno ejuſmodi Suſpenſio non differt a depoſitione; nemo enim Clericus privatur fructibus temporalibus ſui Beneficii, quin ſimul ſpolietur hujus Beneficii titulo, poteſtas enim Judicis Eccleſiaſtici mere ſpiritalis, non ſe extendit ad quid temporale.

Item Suſpenſio quandoque partialis eſt cum vel eſt ab Ordine tantum, vel ab Officio tantum, & quandoque totalis eſt, cum ſimul eſt ab Ordine & ab Offi-

Officio. Qui ſuſpenſus eſt ab Ordine tantum, non poteſt quidem ea exercere quæ ſunt ſui Ordinis, ſed exercere poteſt quæ ſunt Juriſdictionis, & viciſſim; ſed ſi ſit ſuſpenſus ab utroque, tunc neutrum exercere poteſt. Ita S. Thomas in 4. diſt. 18. q. 2. art. 2. quæſtiun. 3. *Qui ſuſpenſus eſt ab Ordine tantum non poteſt ea quæ ſunt Ordinis, ſed poteſt ea quæ ſunt Juriſdictionis, & e converſo ſi ſit ſuſpenſus a Juriſdictione, & non ab Ordine, ſi autem ab utroque, tunc neutrum poteſt.*

Porro an Suſpenſio ſit ab Ordine vel ab Officio, vel a Beneficio colligitur ex tenore verborum Sententiæ per quam declaratur Suſpenſio. Quod ſi abſolute & ſimpliciter decernitur, id intelligendum eſt de omni Suſpenſione ex cap. 1. de Sent. in *6.*

Item Suſpenſio alia eſt *a jure*; cum aliquis, v. g. propter delictum ipſo jure a functionibus ſui Ordinis, vel Officii prohibetur. Alia *ab homine* cum per Sententiam Judicis ab ejuſmodi functionibus arcetur. Quænam vero ſint cauſæ propter quas ipſo jure incurritur Suſpenſio, cum permultæ ſint, nimis longum eſſet recenſere, conſuli poſſunt Canoniſtæ & Natalis Alexander in Theolog. Dogmat. tract. de Cenſuris. Obſervabimus ſolum hoc privilegio gaudere Epiſcopos, quod niſi expreſſe nominentur in conſtitutione quæ Cenſuram pronuntiavit, tunc illa Cenſura, quæ eſt a jure, non aſtringantur, ut habetur cap. *Quia periculoſum. De Sent. Excom.* in ſexto. Quædam ſolum hic annotabimus quæ circa Suſpenſionis Cenſuram ad praxim maxime ſpectant.

1. Suſpenſio ſic privat omni uſu Ordinis & Juriſdictionis, uti qui durante Suſpenſione ſacra miniſtraret agens ut Miniſter, non tantum peccaret mortaliter, ſed etiam fieret irregularis, ut habetur cap. *Cum Medicinalis*, tit. *De Sent. Excomm.* ſed qui a Juriſdictione ſuſpenſus aliquem Juriſdictionis actum exercet, non ideo fit irregularis, quia non incurritur irregularitas, niſi ob violatam Suſpenſionem ab Ordine.

2. Inde ſequitur Epiſcopum eſſe quoque irregularem, ſi Ordines conferat majores vel minores quando eſt ab Ordine ſuſpenſus, quia Ordinum collatio eſt ſacrum alterius Ordinis, nimirum Epiſcopatus, Miniſterium. Id habetur ex citato cap. *Cum Medicinalis*.

3. Suſpenſio generaliter lata in Clericos alicujus Diœceſeos non minus Regulares quam Sæculares ferit, niſi vel illi Regulares ſint exempti & poteſtati ferentis Mandatum ſub pœna Suſpenſionis minime ſubjecti, vel ejuſmodi ſit Mandatum ratione ſuæ materiæ, ut Regulares neutiquam ſpectet. Unde Conciliorum Decreta cum aliquid prohibent vel præcipiunt Clericis, Regulares non minus quam Sæculares, ligant Epiſcopi tamen & eorum Superiores non incurrunt Suſpenſionem, niſi eorum expreſſa fiat mentio in lege, ut declarat Innocent. IV. cap. *Quia periculoſum*, tit. *De Sentent. Excommun. in 6.*

4. Qui ſuſpenſus eſt ab Ordine inferiori, hoc ipſo cenſetur ſuſpenſus a ſuperiori, & ita Epiſcopus ſuſpenſus ab Officio Sacerdotali non poteſt munia Epiſcopalia obire: ſed, non viciſſim, & qui ſuſpenſus eſt ab aliquo Ordine Superiori, poteſt exercere Officium Inferioris, Sacerdos ſuſpenſus ab Officio Sacerdotali poteſt Diaconi Miniſterium exercere: ſi quidem cum prohibetur minus, cenſetur prohiberi majus, ſed non viciſſim.

5. Sacerdos qui abſolute ſuſpenſus eſt ſine ulla loci & temporis determinatione, ubique ſuſpenſus cenſetur, & Suſpenſione quæ ſemper durabit uſque ad abſolutionem, cum locutio indefinita æquivaleat univerſali.

6. Qui ſuſpenſus eſt ab Officio, ſuſpenſus eſt conſequenter ab alterius Ordinis ſuſceptione: Diaconus qui ſuſpenſus eſt a functionibus hujus Ordinis, a Suſceptione ſacerdotalis Ordinis removeri debet.

7. Suſpenſio ab Ordine conferri poteſt

teſt Beneficium, quia per ejuſmodi Suſpenſionem non redditur incapax obtinendi Beneficium ex cap. *Vel non eſt* extra *De tempore Ordinationum;* ac ſimiliter Prælatus ab Ordine ſuſpenſus Beneficium conferre poteſt, quia Beneficii collatio eſt actus Juriſdictionis, non Ordinis.

8. Poteſt quis ſuſpendi ſine proprio peccato, ſi qua tamen adſit cauſa, ex cap. *Requiſivit* extra *De Ordinatis ab Epiſcopo*, & cap. *Non eſt compos*. extra *De temporibus Ordinationum*. Quod autem diximus in allata Cenſuræ definitione eam præſupponere gravem culpam propter quam infligatur; id potiſſimum intelligi debet de Excommunicatione, idem docet S. Thomas in 4. diſt. 18. q. 2. art. 3. quæſt. 2. *Suſpenſio*, inquit, *non tanta pœna eſt quanta Excommunicatio, quia Suſpenſi non fraudantur Eccleſiæ ſuffragiis ſicut Excommunicati; unde etiam aliquis ſine peccato proprio ſuſpenditur*.

9. Quamlibet Suſpenſionem ex occulto & minime notorio delicto provenientem Epiſcopos ſolvere poſſe declaravit Concilium Trid. ſeſſ. 24. de ref. cap. 6. his verbis: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & Suſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare*. Deinde a Suſpenſione *a jure* lata abſolvere poteſt Epiſcopus niſi ſit ſummo Pontifici reſervata, & a Suſpenſione *ab homine* lata generatim abſolvere poteſt qui illam tulit.

CAPUT XI.

De Interdicto.

INterdictum definitur Cenſura, qua prohibentur & in certis locis & pro certis fidelibus quædam Sacramenta; Officia Divina, & Sepultura Eccleſiaſtica: ex qua definitione patet *Interdictum* tres habere effectus, nimirum Fideles certis privat Sacramentis, Officiis Divinis, & Sepultura Eccleſiaſtica. Idque in certis locis quæ dicuntur etiam interdici, juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII. cap. *Alma Mater*, *de Sent. Excom. in 6.* in qua veterem Eccleſiæ diſciplinam circa illos effectus plurimum mitigavit ſummus Pontifex. Dicimus *quædam* Sacramenta, & in eo Interdictum differt ab Excommunicatione, quæ Excommunicatos privat non ſolum participatione omnium Sacramentorum, ſed & aliis Eccleſiæ bonis ſpiritualibus, ut dictum eſt ſupra.

1. Interdictum privat quibuſdam Sacramentis, non Baptiſmo quidem nec Confirmatione, quæ adminiſtrari poſſunt tempore Interdicti cap. *Quoniam* extra *De Sent. excom. in 6.* ſed Sacramento Pœnitentiæ quod conferri non debet iis qui occaſionem dederunt Interdicto, quamvis adminiſtrari poſſit aliis & inſuper omnibus in articulo mortis conſtitutis: Item Euchariſtia quæ dari non debet niſi moribundis cap. *Quod in te* extra *De Pœnitentiis & remiſſionibus*. Extrema-Unctione quæ omnibus denegatur, & Sacramento Ordinis quod non confertur in loco interdicto, nec Clerico interdicto, nec ab Epiſcopo ſimiliter interdicto. Denique quoad Matrimonium ſpectat, celebrari poteſt in loco interdicto, modo id fiat ſine ſolemnitate & nubentes non ſint interdicti.

2. Interdictum privat Divinis Officiis, id eſt iis omnibus ritibus qui peraguntur a Miniſtris Eccleſiæ, ut Miniſtri ſunt, quales ſunt, præter adminiſtrationem Sacramentorum, preces publicæ, benedictiones aquæ, veſtimentorum Sacerdotalium, &c. licet tempore Inderdicti preces privatim fundi poſſint, nec ab onere recitandi Breviarium Clerici ſint immunes: Item in citata Bonifacii Conſtitutione præmittitur, ut in diebus Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes & Aſſumptionis B. Mariæ, Divina Officia ſolemniter celebrentur januis apertis, poſt ſonum Campanæ & alta voce ad-

admiſſis ſpecialiter Interdictis, & rejectis dumtaxat Excommunicatis. Denique cap. *Permittimus de Sent. excomm.* datur ſemel in hebdomada, Miſſam celebrare ſubmiſſa tamen voce januis clauſis & abſque Campanæ ſono ad conſecrandas hoſtias pro infirmis.

3. Interdictum privat Sepultura Eccleſiaſtica eos qui perſonaliter ſunt interdicti cap. *Is cui*, de Sent. Excomm. in 6. ſecus vero perſonaliter in Interdictos qui ſepeliri poſſunt in loco ſacro non interdicto. Demum ex citato cap. *Alma* Clerici qui non ſunt perſonaliter interdicti, ſepeliri poſſunt in loco ſacro etiam interdicto cum Officio Defunctorum, ſubmiſſa voce & januis clauſis.

Triplex diſtinguitur Interdictum, locale, perſonale & mixtum.

Locale quod directe afficit locum, ita ut cum interdictus eſt, prohibeatur ne in eo fiant Sacramentorum collatio & adminiſtratio, Divinorum Officiorum celebratio, & Eccleſiaſtica Sepultura. Hoc vero Interdictum aut generale eſt, cum fertur in Civitatem, vel Provinciam, vel Regnum; aut ſpeciale, cum fertur, v. g. in aliquam Eccleſiam cujuſdam Civitatis.

Perſonale quod directe afficit ipſas perſonas, & iſtud etiam duplex eſt generale & ſpeciale. Generale quando fertur in omnes alicujus Civitatis vel Regni perſonas. Speciale quando fertur in certas determinate perſonas.

Mixtum eſt illud quod ſimul afficit locum & perſonas; unde dicitur mixtum ex utroque ſcilicet perſonali & locali.

Porro circa Interdictum quædam tenendæ ſunt regulæ.

1. Tametſi feratur Interdictum generale in locum, perſonæ non cenſentur propterea interdictæ; unde ſi interdicatur aliqua Civitas, poterunt cives, utpote non interdicti, in aliis locis Officia Divina audire, Sacramenta recipere & Eccleſiaſtica donari ſepultura, cap. *ſi Sententia* tit. *De Sent. Excom. in 6.*

Et ſimiliter lato Interdicto perſonali eo præciſe non cenſetur poni Interdictum locale interdicta aliqua Eccleſia, interdicti propterea non ſunt Clerici hujus Eccleſiæ, quia generatim loquendo Interdictum in eos ſolum cadit, qui in Sententia clare exprimuntur.

2. Quando interdicitur nominatim aliquis locus, cenſentur interdicta alia loca adjacentia, quæ ad alium tanquam principalem attinent, ſi qua, v. g. interdicitur Eccleſia, Cœmeterium ipſi adjacens & contiguum interdictum quoque eſt, ſed non viciſſim; ſi Interdictum fertur in aliquam Civitatem, interdicitur quoque ſuburbium, quia acceſſorium ſequitur principale, ſed non viciſſim, id conſtat, ex cap. *Si Civitas*, tit. *De Sent. Excomm. in 6.*

3. Si interdicantur Cives alicujus Urbis in univerſum, omnes & ſinguli etiam abſentes comprehenduntur in Interdicto, qui nempe ad eam pertinent: Item qui durante Interdicto, fit membrum communitatis interdictæ, ligatur quoque Interdicto. Si Sententia feratur nominatim in populo Clerici non cenſentur interdicti, nec viciſſim populus interdicto Clero, ex cap. *Si Sent.* tit. *De Sent. Excomm.* Quod ſi Clerus pronuntietur interdictus, Epiſcopo non appellato, hic non eſt interdictus, cap. *Quia periculoſum*, de Sentent. Excomm. in 7.

4. Si Interdictum ſit locale, tunc locus eſt quoque interdictus pro eo qui tulit Interdictum, adeoque Epiſcopus non poteſt celebrare in Eccleſia quam interdixit, quemadmodum vitare tenetur quem nominatim excommunicavit.

5. Interdicta Communitate ſinguli hujus Communitatis cenſentur interdicti, ex cap. *Si Sent.* mox citato, ita tamen ut ſi deſtruatur illa Communitas in quam latum fuerat generale Interdictum, quælibet Communitatis perſonæ deſinant Interdicto ligari, quia cadebat Interdictio in corpus politicum quod ſupponitur deſtructum.

6. Clerici Interdicto ligati, ſi Ordinum

num ſuorum functiones obierint, hoc pacto Interdictum violantes, irregulares evadunt ex cap. *In cui* de Sent. excom. in ſexto, atque id locum habet etiam ſi ab Interdicti Sententia interjecta fuerit appellatio, ut habetur ibid. *Sane ſicut excommunicatio ſit ab Officio, vel ab ingreſſu Eccleſiæ lata ſuſpenſio, aut ipſius effectus per appellationem ſequentem minime ſuſpenduntur.*

7. Ad Epiſcopos alioſque Prælatos qui habent territorium in quo Juriſdictionem contentioſam exerceant, pertinet Interdicti Sententiam ferre, quod quidem jus ex propria eorum autoritate & antiqua Eccleſiæ conſuetudine ſibi vindicant. Unde Prælati regulares Interdictum locale ponere non poſſunt, tametſi ſuos ſubditos perſonali quodam Interdicto plectere poſſint, ut cenſet Natalis Alexander.

8. Interdictum ſive locale ſive perſonale ferri non debet niſi propter gravem culpam; quia nempe cum ſit Cenſura, hoc ipſo eſt pœna ſpiritalis, & quidem gravis, quæ proinde ſupponit gravem culpam.

9. Interdictum legitime decernitur propter culpam alienam ſive ſit locale ſive perſonale ex cap. *Si Sententia*. Interdicto ligari poſſunt ſingula cujuſpiam communitatis membra propter domini delictum. Quod autem mox dicebatur, juſte infligi non poſſe Cenſuram innocentibus, quia pœna eſt quæ neceſſario ſupponit culpam.

Reſpondeo ejuſmodi pœnam infligi ſubditis propter dominorum delicta, quia id poſtulat bonum publicum. Unde legitur hæc regula Juris in ſexto, *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, nullus eſt puniendus*, adeoque cum ſubeſt cauſa publicæ ſcilicet utilitatis, innocentes aliquo modo puniri poſſunt.

Denique quod ſpectat poteſtatem tollendi Interdictum; 1. ſolius eſt Epiſcopi, vel ab eo delegati Juriſdictionem exercentis in foro contentioſo. Interdictum locale *a Jure* latum tollere; 2. Interdictum *ab homine* latum tollere poteſt, qui Sententiam tulit, vel ſuperior cauſa per viam appellationis cognita; 3. Interdictum generale perſonarum ſolus Epiſcopus tollere poteſt quia fori interioris exercitium fieri non poteſt in aliquam communitatem. Contra vero a ſpeciali Interdicto *a Jure* lato abſolvere poteſt Sacerdos ad Confeſſiones audiendas approbatus, quia, ut habetur cap. *Nuper.* extra. *De Sent. Excomm. conditor Canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo aliis conceſſiſſe videtur.*

CAPUT XII.

De Depoſitione, Degradatione, & Ceſſatione a Divinis.

POſtquam nonnulla diſſeruimus de Cenſuris, non abs re erit in præſenti loco aperire quid intelligatur per Depoſitionem, Degradationem, & Ceſſationem a Divinis, quæ quidem ſi non ſunt Cenſuræ propriæ dictæ, ad eas ſaltem non parum accedunt.

Depoſitio eſt pœna qua Clericus privatur in perpetuum omni Officio & Beneficio propter gravem culpam in bonum publicum.

Dicitur *pœna*, & in eo convenit cum Cenſuris, & differt ab irregularitate, quæ plerumque incurritur ſine delicto, eſtque defectus non pœna. Dicitur *in perpetuum*, ut diſtinguatur a Cenſura quæ pœna eſt medicinalis ad corrigendum inflicta. Depoſitio autem fit in perpetuum & ſine ulla ſpe veniæ.

Dicitur *ob gravem culpam* in bonum publicum, quia ex jure Can. *Si lapſis*, diſt. 50. & Can. *Si quis Clericus*, diſt. 81. is deponitur qui aliquod crimen commiſit Depoſitione dignum, & quando bonum commune poſtulat, ut reus Officio ſuo vel Beneficio ſpolietur. In certis tamen caſibus Depoſitio non ſupponit culpam, ut ſi quis deponatur propter nimiam ſenectutem, aut quandam infamiam

Digitized by Google

miam inculpabilem, in quo caſu Depoſitio recte dicetur impedimentum.

Degradatio non multum differt a depoſitione, addit ſolum ſupra depoſitionem quod fiat cum aliqua ſolemnitate per quam Clericus redigitur ad Laicorum conditionem, vel traditur brachio ſæculari. Hujus pœnæ mentio habetur apud ſanctum Auguſtinum, cum hæc ſcribit libro contra Donatiſtas poſt Collationem capite quarto, *Ita ſane nec emendationis vigilantia quieſcat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæteriſque coercitionibus licitis atque conceſſis*.

Ceſſatio a Divinis, quæ fit cum prohibetur, ne Divinum Officium celebretur in aliqua Eccleſia, non eſt ſimiliter Cenſura, quia decernitur ſolummodo in ſignum doloris propter injuriam huic Eccleſiæ illatam, non autem in vindictam & pœnam iis inflictam, qui talem injuriam intulerunt, idem quoque non eſt cum Interdicto locali, quia qui violat Interdictum, utpote cum ſit Cenſura, fit irregularis non autem qui violat Ceſſationem a Divinis. Juxta quoſdam Theologos cenſetur impedimentum Canonicum, ſed in hoc accurate non loquuntur, quia impedimentum eſt quædam inhabilitas in perſona.

His porro & annectimus brevem diſquiſitionem de irregularitate, tum quia cum Cenſuris multum ſimiliter habet affinitatis; tum quia cum ſit impedimentum homines reddens inhabiles, vel ad recipiendos, vel ad exercendos Ordines, hujus tractatus propria eſſe videtur.

Diſſertatio de Irregularitate.

Irregularitas definitur, *Impedimentum canonicum reddens perſonas inhabiles & ad recipiendos & ad exercendos Ordines.*

Dicitur primo *Impedimentum*, non autem Cenſura, quia, ut jam obſervavimus, Irregularitas non ſupponit ſemper culpam; ſed incurritur, ut plurimum, ex aliquo defectu inculpabili, qualis eſt cæcitas quæ reddit Sacerdotem, inhabilem ad celebrandum, & in eo parit Irregularitatem.

Additur *Canonicum*, quia Irregularitas debet eſſe in jure Canonico ſtatuta & expreſſa, ut habetur capite *Is qui*. de Sententia Excommunicationis in ſexto: unde hac in materia non eſt a ſimili ratiocinandum, quaſi qui diceret, Epiſcopus eſt irregularis reiterando baptiſmum, ergo fit irregularis reiterando Confirmationem. Hujuſmodi enim argumentum ruit, quia illud de Baptiſmo non de Confirmatione expreſſum eſt in jure. Hinc etiam nonnulli defectus qui homines reddunt inahabiles ad exercenda Miniſteria Eccleſiaſtica, qualis eſt, v. g. ignorantia, non habent rationem Irregularitatis per ſe & præciſe, quod naturaliter impediunt uſum vel ſuſceptionem Ordinum, ſed quia id declaratum eſt in jure. Certe Irregularitas tollitur per diſpenſationem, ſed talis non eſt ignorantia quæ ſine diſpenſatione per ſcientiæ acquſitionene amovetur.

Dicitur *ad ſuſcipiendos Ordines*, licite quidem non valide: Irregularitas enim non impedit quominus valide recipiantur. Dehinc Irregularitas parit quoque inhabilitatem ad recipiendam Tonſuram Clericalem, ut docet Eccleſiæ praxis, forte quia Tonſura in jure Canonico appellatur ordo; & in eodem jure Irregularitas reddit perſonas inhabiles ad recipiendos Ordines.

Dicitur denique *& ad exercendos Ordines*, irregularis enim non poteſt in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, licet poſſit ea facere quæ ſunt meræ Juriſdictionis; & ſic Parochus qui Irregularitatem incurrit, non poteſt Sacramenta miniſtrare, quia ipſi prohibetur uſus Ordinis, hoc ipſo quod irregularis eſt, licet poſſit alium delegare ad ea miniſtranda ſuis Parochianis.

Quæres utrum Irregularitas reddat quoque perſonam inhabilem ad Beneficium recipiendum?

Reſp. affirmative. Si Irregularitas præce-

cedat poſſeſſionem Beneficii, cujus functiones pertineant ad aliquem ex Ordinibus, quia nempe Beneficium datur propter Officium, qui autem irregularis eſt, cum non poſſit exercere functiones ſui Ordinis, non poteſt conſequenter recipere Beneficium. At ſi ſupponatur Beneficium jam obtentum, Irregularitas non inducit quidem ipſo facto hujus Beneficii vacationem, ut colligitur ex cap. *ex Litteris*, ſed neceſſe eſt ut interveniat Judicis Sententia. Revera cum olim Ordines ſimul cum Beneficiis conferebantur, eadem Irregularitas ad utrumque ſimul inhabiles reddebat perſonas, ſed nunc ad ſolos reſtringitur Ordines eo magis quod in jure de Beneficiis nihil eſt expreſſum.

Quæres quandonam incurratur Irregularitas?

Reſp. 1. non incurri Irregularitatem ſive ex defectu ſive ex delicto provenientem, niſi id clare expreſſum ſit in jure, ut mox dictum eſt conſtare ex cap. *Is qui*.

2. Si locus ſit dubitandi num aliquis incurrerit Irregularitatem, hoc dubium vel oritur ex jure, vel ex facto: ſi ex jure non incurritur Irregularitas, quia cauſa Irregularitatis debet eſſe expreſſa in jure; in dubio autem juris non eſſet expreſſa propter iſtud juris axioma, *Odia juris ſunt reſtringenda*. Quod ſi dubium eſt de facto, per Sententiam quidem judicis & in foro externo nemo declarari poteſt Irregularis, quia judex neminem condemnare poteſt, niſi certo conſtet de facto; ſed in foro interno ille cenſeri debet Irregularis, ut patet ex capite *Ad audientiam*. extra de homicidio, & ex capite *ſignificaſti*. videlicet gerere ſe debet tanquam irregularem propter ſcandalum quod inde oriri poſſet.

3. Irregularitas non incurritur ſemper quoad uſum omnium Ordinum, ſpectari debet ad cauſam propter quam incurritur, nam, v. g. ſi Sacerdos privetur oculo ſiniſtro, non idcirco cenſetur Irregularis quoad poteſtatem abſolvendi, ſed tantum quoad facultatem Miſſam celebrandi. Si vero ſit homicida, incurrit generalem & totalem Irregularitatem, quia homicidium inducet abſolutam inhabilitatem.

De variis Irregularitatum ſpeciebus.

Duæ ſunt Irregularitatum ſpecies quæ diſtinguuntur penes cauſas ex quibus oriuntur, videlicet illæ quæ ex defectu, & aliæ quæ ex delicto provaniunt. Octo aſſignari ſolent venientes ex aliquo defectu, nimirum ex defectu animæ, ex defectu corporis, ex defectu natalium, ex defectu ætatis, ex defectu libertatis, ex defectu bonæ famæ, ex defectu lenitatis, & ex defectu Sacramenti ſeu ſignificationis. Quatuor numerantur ſpecies Irregularitatum ex delicto, nempe ex homicidio, ex hæreſi, ex iteratione baptiſmi, & ex malo uſu Sacramenti Ordinis, de quibus ſigillatim breviter eſt diſſerendum.

Defectus animæ.

Irregulares ſunt ex illo defectu, 1. quicumque ratione & judicio carent, ut pueri, amentes, energumenti, epileptici, & furioſi, ut colligitur ex variis Eccleſiæ Canonibus. Ii tamen valide ordinarentur, nec adulti & judicii compotes facti reordinari deberent, quia rationis uſus eſt tantum neceſſarius neceſſitate præcepti ad Ordines ſuſcipiendos, ut docet ſanctus Thomas in quartum Sententiarum dictinctione vigeſima quinta, quæſtione ſecunda, articulo primo.

2. Illiterati qui defectu ſcientiæ Sacrorum Ordinum munia obire non poſſunt, ut patet ex cap. *illiteratos*, quæ tamen Irregularitatis ſpecies ſine diſpenſatione tollitur per ſcientiæ acquiſitionem & a qua nec ipſe ſummus Pontifex diſpenſare poteſt quamdiu durat; quia a ratione alienum eſt, ut quis ad Ordinem promoveatur qui plane ineptus eſt.

Digitized by Google

eum eſſe irregularem qui ſcienter & doloſe ante legitimam ætatem ordinatur, ſcilicet ex Bulla Pii II. *Cum ex Sacrorum* Clerici ſic Ordinati ipſo facto ſunt ſuſpenſi, & ſi ſuſpenſione ea durante Ordines illos exerceant, Irregularitatem Papæ reſervatam incurrunt. Secus autem, ſi bona fide ad Ordinationem accedant, rati ſe habere ætatem per Canones præſcriptam. Dixi Papæ reſervatam, c. *Nullus de temporibus Ordinationis*, in ſexto, unde ſi Epiſcopus Sacrum Ordinem conferret non habenti ætatem requiſitam, ipſe ſuſpenſus foret, cap. *Ut non eſt compos*.

Defectus libertatis.

Hic defectus cenſetur eſſe in iis qui ſervi ſunt ſervitute ſtricte ſumpta, qui nempe emi & vendi poſſunt, & iſti ſine dominorum venia ordinari non poſſunt, ex libro primo Decretalium tit. 18. *De ſervis non ordinandis*, hoc autem impedimentum locum non habet apud nos, quia non extant iſtiuſmodi ſervi. Item cenſetur eſſe in iis qui militiæ ſæculari adſcripti ſunt, nec antequam diſcedendi facultatem obtinuerint, ad Sacros Ordines promoveri poſſunt. Denique cenſentur eſſe, qui negotiis ſæcularibus implicati nondum rationem reddiderunt, prohibent enim Canones ne ad Ordines promoveantur ante ratiocinia reddita tit. *De obligatis ad ratiocinia*. vide & cauſa 21. quæſtione 3. capite *Crypianus*: Item hic defectus, ut nemo neſcit, occurrit in conjugatis.

Defectus bonæ famæ.

Eſt hæc Irregularitas ex defectu non ex delicto, quia contingit aliquando, ut homines infamia notentur, nullo ab ipſis admiſſo ſcelere, ut ſi quis cum meretrice conjugium ineat. Infamis dicitur qui caret bona fama: infamia autem alia eſt juris, alia eſt facti.

Infamia juris per quam inducitur Irregularitas eſt ea quæ ſtatuitur per leges civiles & canonicas, per leges quidem civiles, quia hominum fama, uti bona fortunæ, ſubeſt imperio & legibus Principum; per leges vere canonicas, quia ut infamia inducat Irregularitatem requiritur ut in lege Eccleſiaſtica ſtatutum fuerit. Peccata quæ ipſo jure infamiam inducunt, ſunt, v. g. raptus mulieris, Duellum, uſura publica, ac proinde pariunt Irregularitatem.

Infamia facti ſeu de facto eſt ea, quæ reſultat, ex gravi quodam delicto, cui nulla lege annexa legitur infamia. Utraque autem infamia Irregularitatem inducit, ex Canone *Infames*, cauſa 6. quæſtione prima, & ex hac regula juris in ſexto. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*.

Porro in jure multa peccata dicuntur parere infamiam & conſequenter Irregularitatem, ſed in hoc regno nemo bona fama ſua cadit, quia ejus crimen factum ſit notorium notorietate publica, quod fit ſolummodo per advenientis ſæcularis Judicis Sententiam. Dixi ſæcularis, quia pœnæ a Judicibus Eccleſiaſticis inflictæ non inducunt infamiam. Neque vero per omnem Judicis ſæcularis Sententiam, quæ pœnam qualemcumque imponat, inducitur Irregularitas, puta, ſi mulcta pecuniaria decernatur, vel admonitio in auditorio fiat, bene vero propter reprehenſionem, ut nonnulli volunt, vel alias graviores pœnas, ut ſi quis damnatus fuerit ad triremes. Quæritur utrum Decreta perſonalis denunciatio Gallice, *Decret d'ajournement perſonnel*, inducat Irregularitatem.

Reſp. nullam inde induci Irregularitatem, ſed tantum prohiberi aut ſuſpendi Juriſdictionis exercitium.

Item defectus bonæ famæ reperitur in hiſtrionibus, & ejuſmodi hominibus qui publice in theatris luſerunt, qui propterea Irregularitatem incurrunt ex cap. *Maritum*, diſt. 32.

Digitized by Google

Defectus lenitatis.

Inter Irregularitatis cauſas numeratur defectus lenitatis, quia non cenſetur ſatis ſpte Chriſti manſuetudinem repræſentare, qui in Eccleſiaſtico Miniſterio habet hujuſmodi defectum.

Porro is incurrit Irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis, qui voluntarie & proxime tametſi juſte concurrit ad mortem, vel mutilationem alterius, cap. *Si quis viduam*, diſt. 50.

Dicimus 1. qui concurrit *voluntarie*, quia is non eſt irregularis, qui in propria ſua defenſione aliquem interficit *Cum moderamine*, ut aiunt, *inculpatæ tutelæ*, ut colligitur ex Clementina, *De homicidio*.

Additur *& proxime* unde accuſator, in cauſa ſcilicet aliens, Judex morti damnans reum, & carnifex qui Judicis Sententiam executioni demandat, Irregularitatem incurrunt, quia tanquam cauſæ proximæ mortem rei procurant; ſecus vero teſtes qui in ejuſmodi cauſa criminali teſtimonium reddiderunt, non cenſentur enim cauſæ proximæ mortis cui reus addicitur ſaltem in hoc regno; nam in Regio Edicto anni 1670. articulo 6. & Clerici & Monachi jubentur Teſtimonium ferre etiam in omni cauſa ſanguinis, cum ad id requiſiti fuerint. Item nec irregularis eſt, v. g. qui arma ſubminiſtrat uti nec qui ea fabricavit, etiamſi ad alicui necem procurandam inſerviant; quia illi non ſunt niſi cauſæ remotæ talis homicidii.

Dicitur *concurrit ad alterius mortem*; unde intelligitur 1. Irregularitatem non contrahi per ſolam voluntatem, niſi actu, & de facto ſequatur homicidium vel mutilatio. Unde qui abortum procurat, priuſquam fœtus ſit animatus, Irregularitatem non incurrit.

2. Irregularem eſſe accuſatorem & alium quemcumque qui ex motivo vindictæ & petens vindictam ad mortem alterius concurrit, unde Clericus, cum perſonam agit accuſatoris, debet expreſſe ſignificare ſe non petere vindictam ſed ſolummodo ſatisfactionem. Capite *Prælatis* titulo *De homicidio*, in ſexto & capite *Poſtulaſti* extra. *De homicidio*. Quapropter in hoc Regno Irregularitatem non contrahit accuſator, quia non intendit nec poſtulat rei cujuſpiam mortem, quod utique pro Officio præſtat Regius Procurator. 3. Nec Theologos & Canoniſtas a quibus datur Conſilium de criminibus commiſſis, nec Concionatores qui hortantur Judices ad puniendos homicidas, nec denique Confeſſarios qui ſuadent reo, ut crimen ſuum & complices revelet, non incurrere Irregularitatem, quia proprie loquendo in his caſibus non concurrunt ad mortem ſecuturam.

Dicitur *vel mutilationem*, quia in jure mutilatio parit Irregularitatem ut & ipſa occiſio; ſed hæc mutilatio debet eſſe alicujus membri amputatio non exiguæ cujuſdam partis, qualis eſt unus digitus, quæ potius eſt pars membri nempe manus, quam membrum; niſi ſupponatur quis ſibi ipſi ſcienter & ex propria culpa amputaſſe hanc minorem partem, v. g. digitum, vel digiti partem, tunc enim ipſe fieret irregularis, ſed ex delicto non ex defectu lenitatis capite *Qui partem*. diſtinctione 35.

Additur denique *tametſi juſte*, ut illa Irregularitatis ſpecies diſtinguatur ab alia Irregularitate quæ incurritur ex delicto homicidii vel mutilationis, de qua mox dicturi ſumus; cum hæc incurratur ſine culpa etiam ab his qui Officium ſuum adimplent, puta a Judice qui reum juſte condemnat, & carnifice qui ſuo fungitur Officio.

Difficultas tamen hic duplex proponi ſolet, Prior de Medicis ac Chirurgis, an ſcilicet irregulares fiant cum membra amputantur illorum conſiliis, vel operationibus, vel etiam mors ægrotantis, aut ſequitur aut acceleratur. Poſterior, vero de militibus qui pugnant in Bello.

Reſpondetur ad primum, Medicos & Chi-

Chirurgos non eſſe irregulares, cum in iſtis eventibus artis ſuæ regulas ſecuti ſunt, quia nimirum non præſumitur in iis nec reperitur defectus lenitatis. Quod ſi eorum culpa aut negligentia obierit ægrotus, Irregulares fiunt, ſed Irregularitate ex delicto, ſunt enim homicidii participes. Cæterum licet medicinam licite exercere poſſint Clerici & Sacerdotes ex motivo charitatis & certo quodam modo potiones ac remedia ſubminiſtrando, tamen vetant Canones ne Chirurgiæ artem exerceant cum inciſione vel aduſtione, cap. *Sententiam*. tit. *Ne Clerici vel Monachi*, ubi hæc referuntur verba Concilii Lateranenſis IV. *Nec ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat quæ aduſtionem vel inciſionem inducit*.

Reſp. ad ſecundum irregulares non eſſe eos qui militiæ fuerant adſcripti, ſi certi ſunt quod neminem unquam propria manu aut mutilaverint, aut interfecerint. cap. *Petitio*; de homicidio; Secus vero ſi hoc merito revocent in dubium, & a fortiori ſi cruentæ cuipiam pugnæ interfuerint, quatenus aut ipſi quoſdam occiderunt aut alios ad interficiendum hortati ſunt. Difficultas etiam proponitur de Confeſſariis qui carnificem hortantur, ut diu languere non ſinat miſerum furciferum, an, ſcilicet propterea ſit irregularis. In dubio ſatius eſt ejuſmodi adhortationibus abſtinere, quia in illa hypotheſi Eccleſiaſticæ manſuetudini non ſatis conſulit Sacerdos.

Defectus Sacramenti.

Poſitus eſt hic defectus in bigamia, & dicitur defectus Sacramenti, quia bigamus hoc ipſo quod duas uxores duxit non ſatis perfecte repræſentat unionem Chriſti cum Eccleſia, utpote quæ ſit unius cum una conjunctio, ex bigamia autem contrahi Irregularitatem ubique teſtantur Eccleſiæ Canones ex variis Conciliorum & Patrum oraculis exſcripti, quod & aperte docuerat S. Paulus qui prima ad Timot. 3. ad Tit. cap. 1. vetat ne Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi ordinentur qui duas duxerint uxores.

Triplex autem diſtinguitur a Canoniſtis bigamia ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. Vera eſt in eo qui duas uxores revera duxit & cum iis matrimonium conſummavit ſive ante ſive poſt Baptiſmum; & ſic ab Ordinum ſuſceptione & executione certo removentur, ex cap. *Super eo*. extra. *De bigamis non Ordinandis*. Interpretativa eſt in eo qui cum una uxore contraxit, ſed ex Juris interpretatione cenſetur cum duabus contraxiſſe, ſi nempe viduam duxit, vel ſi virginem quam cognoſcat poſt adulterium ab ea commiſſum, vel denique ſi cum duabus invalide propter aliquod impedimentum dirimens contraxerit, & hi quoque irregulares ſunt, ut conſtat ex cap. *Nuper*. ibidem. Similitudinaria demum eſt in eo qui poſt ſuſceptum aliquem ſacrum Ordinem aut emiſſum ſolemne Religionis approbatæ votum tametſi obtenta diſpenſatione nupſit, etiam cum virgine cenſetur bigamus, quia per iſtud matrimonium carnale violavit prius quod erat ſpiritale, & ideo Irregularitatem contrahit, ex cap. *Nuper*. mox citato & cap. *A nobis* ibidem, tit. *De bigamis non ordinandis*, & Can. *Quotquot*. 27. q. 1. hactenus de Irregularitatibus quæ dicuntur ex defectu. Nunc agendum de illis quæ incurruntur ex delicto; ac primum de homicidio & mutilatione ex quibus potiſſimum incurritur Irregularitas.

Irregularitas ex homicidio.

Hæc Irregularitas incurritur ab his omnibus qui alicujus mortem vel mutilationem, aut, ut aiunt multi, inſignem deformationem injuſte procurarunt, vel proprio facto, vel præcepto, vel adhortatione & conſilio. Dico *injuſte*, quia Judex qui ex Officio ſuo & juſte concurrit ad mortem.

Digitized by Google

micidium, minime quidem voluntarium; ſed in opere ſibi non licito.

Irregularitas ex hæreſi.

In jure Canonico comprehendit hæc Irregularitas hæreticos & eorum fautores cap. *Quicumque*, de Hæreticis in ſexto, tum filios eorum uſque ad ſecundam generationem in lingua maſculina, & uſque ad primam in fœminina, cap. *Statutum*, ibidem, quanquam, ut ſupra dixi, in uſu non ſit lex iſta hoc in regno, ubi hæretici & a fortiori eorum filii ſine diſpenſatione promoventur & ad Ordines & ad Beneficia. Item comprehendit Judæos & Infideles, & recens baptizatos, Can. *Quoniam*, & Can. *Sicut Neophytus*, diſt. 48. ac demum Apoſtatas, cap. *Presbyteris*, diſt. 50.

Irregularitas ex iteratione Baptismi.

Irregularitatem hanc incurrunt & Miniſtri qui jam valide baptizatos iterum baptizant & ipſi etiam denuo baptizati, uti conſtat ex multis Eccleſiæ Canonibus cap. *Confirmando*, diſt. 50. & cap. *Ex Litterarum*, tit. *de Apoſtatis*. Hanc pœnam impoſuerunt potiſſimum Concilia occaſione Donatiſtarum, qui omnes etiam legitime & in Eccleſia Catholica baptizatos rebaptizabant. Unde facile colligitur irregulares non eſſe eos, qui ſub conditione baptizant, quos jam fuiſſe baptizatos neſciunt, quia non agunt cum Eccleſiæ contemptu, ſed cum fundamento dubitant an valide collatus fuerit Baptismus. Quod ſi fermo ſit de iteratione Confirmationis & Ordinis,

Reſpondeo inde nullam induci Irregularitatem, quia hoc non habemus expreſſum in jure.

Irregularitas ex mala Ordinis ſacri ſuſceptione & uſu indebito.

Primo Irregularitas incurritur ex mala Ordinis cujuſpiam ſacri ſuſceptione, non quod quis ordinetur in ſtatu peccati mortalis exiſtens, licet enim eatenus graviter peccet, non ſit tamen irregularis, ſed quando excommunicatione majori ligatus Ordinem aliquem ſacrum & majorem recipit, ut patet ex cap. *Cum illorum*. tit. *de Sent. Excomm.* De Suſpenſis & Interdictis nulla in jure eſt mentio; unde colligitur propter ſolam excommunicationem in rigore incurri Irregularitatem, cum aliunde, qui ſolum ſuſpenſus eſt, privetur exercitio ſui Ordinis, non ſuſceptione Sacramentorum. Et id intelligitur de excommunicatione majori; minor enim non reddit irregularem, cap. *Si celebrat*, tit. *de Clerico excommunicato*.

Secundo. Tunc Irregularitas incurritur, quando quis fraudulenter ordinatur, hoc eſt ſine Litteris dimiſſoriis, non examinatus, non admiſſus, cap. *Veniens*, tit. *de eo qui furtive*.

Tertio. Incurritur Irregularitas ex illicito ſacri Ordinis exercitio, puta, ſi quis exerceat Officium alicujus Ordinis quem non habet, ſi Diaconus Miſſam celebrare præſumat, quod proprium eſt ſolius Sacerdotis, ſi Subdiaconus intra Miſſarum ſolemnia cantet Evangelium, quod quidem pertinet ad Diaconum, &c. id colligitur ex cap. *Si quis*, tit. *de Clerico non Ordinato*, & cap. *Ex Litteris*, ibidem. Item, ſi quis excommunicatus, aut alia innodatus cenſura, Miſſam celebraret, vel aliud ſacrum ſui Ordinis Miniſterium ſolemniter exerceret in Irregularitatem incurreret, cap. *Is cui*, in ſexto, tit. *de Sent. Excomm.* & Irregularis pariter fieret qui dubitans de Excommunicatione in ſe lata Divina miniſtraret, cap. *Illud Dominus*, extra, *de Clerico Excommunicato*, ubi ſic loquitur Innocentius III. *Quia in dubiis via tutior eſt eligen-*

Digitized by Google

genda, & ſi de lata in eum Sententia dubitaret, debuerat tamen potius ſe abſtinere, quam Sacramenta Eccleſiaſtica pertractare. Hic autem nonnulla ſunt obſervanda.

1. Irregularitatem non contrahi ab eo qui agit vel ex ignorantia, vel ex inadvertentia. Unde Acolythus qui aſſumpto ad brachium manipulo cantaret epiſtolam neſciens veſtem eſſe Subdiaconi propriam, non foret irregularis, ſic etiam Irregularitatem non contraheret, qui ſe ſuſpenſum probabiliter ignorans ſacrum quoddam Miniſterium exerceret, ut ſtatuit Gregorius IX. cap. *Apoſtolicæ Sedis*, extra, *de Sent.* ſecus autem ſi ignorantia ſit affectata. Et ratio eſt, quia Irregularitas hæc quæ eſt ex delicto, gravem ſupponit culpam, quia gravis eſt pœna.

2. Irregularitatem non contrahi, niſi in caſibus in jure expreſſis. Unde irregularis non foret Sacerdos, qui celebraret in Eccleſia polluta, quia id non eſt uſpiam in jure expreſſum, cum potius contrarium habeatur cap. *Is qui*, tit. *de Sent. Excom. in 6°.* Is tamen Irregularitatem incurreret, ſi celebraret in Eccleſia interdicta, quia tunc violaret cenſuram per uſum ſolemnem Ordinis ſacri.

3. Irregularem, qui aliquod Ordinis ſacri Officium exerceret in Irregularitate poſitus, non contrahere novam Irregularitatem, niſi aliud committat delictum, & ita in aliam Irregularitatis ſpeciem incidat, ut cenſent Canoniſtæ, forte etiam quia id non eſt expreſſum in jure.

Quomodo tollatur Irregularitas.

1. Irregularitas quæ naſcitur ex certis defectibus, qui revera ineptum reddunt hominem ad ſuſcipiendos Ordines adeoque eum proprie Irregularem efficiunt, quando videlicet id fuit Eccleſiaſtico Canone ſtatutum tollitur ſine ulla diſpenſatione; cum ipſa definit eſſe in ſubjecto, ignorantia, v.g. tollitur per ſcientiæ acquiſitionem, cœcitas per viſus recuperationem.

2. Irregularitas quæ provenit ex defectu natalium tollitur, 1. per ſubſequens matrimonium, quia, ut ait Alexander III. c. *Tanta*, extra, *Qui filii ſint legitimi*, ubi ſic habetur, *Tanta eſt vis Matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum Matrimonium legitimi habeantur, ac proinde abſque diſpenſatione ordinari poſſint*. 2. Per ſolemnem Religionis approbatæ profeſſionem, extra, *de filiis Presbyterorum*, c. *Ut filii*, ubi habetur illegitimum promoveri poſſe ad Ordines, non autem ad Prælaturas poſtquam vitam Monaſticam amplexus eſt, 3. Per diſpenſationem, quam ſolus Papa concedere poteſt, cap. *Is qui*, tit. *de filiis Presbyterorum*, ſaltem ad ſacros Ordines recipiendos, nam Epiſcopus diſpenſare poteſt ad Tonſuram, ad minores Ordines, & ad Beneficium ſimplex obtinendum ex eodem cap. nec dubitatur quin ſummus Pontifex diſpenſare poſſit in omni caſu Irregularitatum.

Porro in quibus caſibus Epiſcopi poſſint diſpenſare, in quibus vero id ſit ſoli Papæ reſervatum, clare docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformatione his verbis, *Liceat Epiſcopis in Irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulte provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare, & in quibuscumque caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoscumque ſibi ſubditos in ſua Diœceſi per ſe ipſos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſolvere*. Ubi Concilium, 1. permittit Epiſcopis diſpenſare ab Irregularitatibus ex *delicto*, de iis vero quæ ſunt ex defectu nullam facit mentionem.

2. Id reſtringit ad ſolas Irregularitates occultas, hoc eſt, quando nondum notorium eſt notorietate publica Clericum eſſe Irregularitate ligatum; crimen autem juxta regni noſtri leges non cenſetur notorium notorietate publica, niſi quando res perducta fuit ad forum contentioſum,

vel

Digitized by Google

vel etiam, ut nonnulli cenſent, quando acceſſit Sententia Judicis declarantis accuſatum talis facti aut criminis eſſe reum.

3. Concilium excipit eam Irregularitatem quæ incurritur ex homicidio voluntario, ubi ſilent Patres de mutilatione, quanquam, ut diximus, in jure non minus contrahatur Irregularitas ex mutilatione, quam ex homicidio: Unde ſequitur Epiſcopum facultatem habere diſpenſandi ab Irregularitate orta ex mutilatione, quæ in Decreto Concilii non excipitur, exceptio enim firmat regulam.

4. Ex illo Synodi Decreto intelligitur Epiſcopum diſpenſare poſſe quoſcumque ſibi ſubditos, hoc eſt, Religioſos exemptos in ſua Diœceſi commorantes, ut multi interpretantur.

5. Demum apparet non modo Epiſcopos per ſeipſos diſpenſare poſſe, ſed & eorum Vicarios ad id ſpecialiter deputatos. Unde falluntur qui negant id competere capitulo ſede vacante, cum res non ſit ordinis ſed Juriſdictionis Epiſcopatus.

Digitized by Google

TRACTATUS DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT PRIMUM,

De nomine & definitione Matrimonii.

NOmen Matrimonii derivatur a Matre, quod in educatione prolis, quæ primarius eſt Matrimonii finis, præcipuas partes habet Mater. Conjugium dicitur a communi jugo cui ſubmittuntur Vir & Fœmina. Item Nuptiæ a nubendo, id eſt velando, quia olim Sponſæ capita velare ſolebant, cum Viris tradebantur, unde & dicitur etiam Connubium.

Matrimonium ſumitur a Theologis tripliciter, nempe prout eſt in officium naturæ, &, ut multi loquuntur, prout eſt contractus naturalis; 2. prout eſt contractus civilis & politicus; 3. prout eſt Sacramentum novæ Legis. Hæc diviſio eſt S. Thomæ lib. 4. contra Gentes cap. 78. hæc ſcribentis, *In quantum igitur ordinatur ad bonum Naturæ, quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem a Natura inclinante in hunc finem, & ſic dicitur eſſe Naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet Ordinationi civilis Legis. In quantum autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat regimini eccleſiaſtico, ea autem quæ populo per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, Sacramenta dicuntur.* Priusquam itaque diſſeramus de Matrimonio, ut eſt contractus civilis, Ordinationi & Legibus Principum ſubjectus, tum vero prout eſt Sacramentum novæ Legis, agendum eſt de Matrimonio ut contractus eſt naturalis; quia in re duo veniunt examinanda: 1. quid ſit Matrimonium, & in quo præciſe poſita ſit ejus eſſentia; 2. an ſit quid bonum & honeſtum.

CAPUT II.

Quid ſit Matrimonium ut contractus naturalis.

MAtrimonium varie definitur a Theologis, quod nimirum ab ipſis diverſo modo conſideretur; quidam enim illud ſpectant prout eſt actio tranſiens, quam primum vir & Fœmina inter ſe contrahunt; alii vero prout eſt vinculum & nexus, qui ex illo contractu reſultat & permanet. Item quædam ſunt in Matrimonio de quibus diſputatur, num ad ejus eſſentiam pertineant, quod prius explicandum eſt quam accurate ejus afferatur definitio.

Ac 1. quidem occurrit in Matrimonio conſenſus contrahentium, quia per Matrimonium ſibi mutuam corporum poteſtatem tradunt Vir & Mulier, quod fieri nequit ſine mutuo & libero conſenſu. Unde Apoſtolus I. ad Cor. 7. dicit, *Cui vult, nubat*. Exigit etiam id indiſſolubilitas Matrimonii, cum enim perpetuo & ad mortem usque duraturum ſit Conjugii vinculum, poſtulat ratio, ut liber & mutuus præceſſerit conſenſus. Unde ſi Matrimonium contraheretur per vim & metum cadentem in conſtantem Virum qui proinde gravis eſſet, tunc juxta ſanctiones

Digitized by Google

mes Juris canonici, nullum proſus & invalidum foret Matrimonium.

2. Conſenſus ille debet aliquo ſigno externo innoteſcere; ut legitur in decreto Eugenii IV. toties citato, *Cauſa efficiens Matrimonii*, inquit, *regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*. Siquidem Matrimonia nullam haberent certitudinem, nec ſuam apud Homines ſervarent firmitatem ac indiſſolubilitatem, niſi mutuum Viri & Fœminæ pactum verbis aut alio quovis ſigno cognoſceretur.

3. Ex illo conſenſu regulariter expreſſo naſcitur permanens & indiſſolubile vinculum, quod, ut poſtea dicemus, nunc in Lege nova per ſolam mortem diſſolvitur, ſi Matrimonium fuerit conſummatum, in quo vinculo Eſtius & multi alii Theologi reponunt eſſentiam Matrimonii, cujus cauſam eſſe dicunt contractum nubentium, quatenus eſt actio tranſiens per quam contrahunt.

4. Occurrit etiam in Matrimonio mutua poteſtas quam in ſua invicem corpora vindicant Conjugati, nec deſunt Theologi qui dicant in ejuſmodi poteſtate conſiſtere eſſentiam Matrimonii.

5. Demum conſiderari poteſt in Matrimonio uſus prædictæ poteſtatis ſeu copula carnalis, de qua controvertitur, num ſcilicet ad verum & proprie dictum Matrimonium eſſentialiter requiratur, quod obiter examinandum eſt, priuſquam ſtatuamus in quo præciſe poſita ſit eſſentia Matrimonii.

Teſtis eſt S. Auguſtinus lib. 5. contra Julianum c. 16. hunc Hæreticum exiſtimaſſe Matrimonium conſiſtere in copula carnali, ſic enim illum alloquitur, *Nihil aliud dicis eſſe nuptias quam corporum commixtionem*. quem errorem Wiclepho tribuit Thomas Waldenſis tom. 2. de Sacram. cap. 130. in quo ſit.

Conclusio.

Verum & perfectum eſt Matrimonium abſque carnali copula.

1. Quia univerſim loquendo nunquam uſus rei per aliquem contractum acquiſitæ, eſt de eſſentia illius contractus, ſed ſolummodo aliquid ſubſequens ac velut ejus effectus. Unde inter Adamum & Evam ante lapſum cenſetur fuiſſe verum Matrimonium, Deus enim dixit illis, *Creſcite & multiplicamini*, qui tamen nondum erant carnaliter commixti.

2. (Et inſigne eſt ſuper hac re momentum illud,) quia inter S. Joſeph, & Beatam Mariam verum fuit Conjugium ſine ulla tamen carnali copula, ut conſtat ex Scripturis & SS. Patribus. Ex Scripturis quidem, nam Matth. 1. ſic Angelus ad Joſeph ſermonem dirigit, *Fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, & Luc. 2. Beata Virgo vocat Joſeph Patrem Chriſti, *Pater tuus & Ego dolentes quærebamus te*.

3. Idem conſtat ex SS. Patribus, nam S. Ambroſius lib. de inſtitutione Virginis cap. 6. totus eſt ut hanc noſtram ſententiam probet, *Cum initiatur*, inquit, *Conjugium, tunc Conjugii nomen aſciſcitur, non enim defloratio virginitatis facit Conjugium, ſed pactio conjugalis*. & S. Auguſtinus lib. 1. de nuptiis & concup. c. 11. poſtquam adduxit præfata Angeli verba, ſubdit, *Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam nec concubitu cognoverat nec fuerat cogniturus, nec perierat, nec mendax manſerat Conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio*. Item S. Chryſoſtomus Hom. 32. in Matth. *Matrimonium*, inquit, *non facit coitus, ſed voluntas*, quam ſententiam tenent alii Patres & omnes Theologi qui docent, ex una parte verum fuiſſe Conjugium inter Mariam & Joſeph; ex altera vero nullam interceſſiſſe carnalem corporum commixtionem.

Obj. Gratianus 2. p. Can. 27. quæſt. 2. cap. *Inſtitutum*, refert nonnullorum Patrum loca, ut probet verum non fieri Conjugium niſi cum Conjuges fuerunt carnaliter conjuncti, citat hæc verba ex S. Auguſtino, *Non dubium eſt illam Mulie-*

nem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe commixitionem ſexus. & iſta ex S. Leone epiſt. 92. *Cum ſocietas nuptiarum ita a principio ſit inſtituta, ut præter ſexuum commixtionem non haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam Mulierem non pertinere ad Matrimonium in qua docetur nuptialem non fuiſſe myſterium*.

Reſp. Eſtius & merito quidem, Gratianum partim obſcuris, partim vero perperam citatis teſtimoniis deceptum fuiſſe. Nam revera præfata verba apud Auguſtinum, qui totus hac in parte noſter eſt, ut patet ex dictis, nuſquam reperiuntur. Et male a Gratiano citantur verba S. Leonis ad ecta videlicet negatione quæ apud Autorem non habetur.

Quod autem S. Auguſtinus ſcribit lib. 1. ſoliloquiorum cap. 10. ſine contactu corporum Uxorem haberi non poſſe; intelligit non ſimpliciter, ſed in uſu, quoad uſum, quo ſenſu loquitur Apoſtolus I. Corinth. 7. *Propter fornicationem unuſquiſque Uxorem ſuam habeat, & unaquæque ſuum Virum*. quæ quidem interpretatio ad alia ſimilia explicanda recte uſurpari poteſt.

Obj. Si Matrimonum conſiſtere poſſet ſine carnali copula, ſequitur eos poſſe verum contrahere Matrimonium qui abſoluta & perpetua laborant impotentia, quod tamen falſum eſt, ut dicetur poſtea.

Nego ant. licet enim Matrimonium non conſiſtat in copula carnali, jus tamen includit ad ejuſmodi copulam cujus profecto radicaliter incapaces ſunt, qui abſoluta impotentia laborant.

Obj. Falſum eſt quod in probationem concluſionis aſſumitur, inter B. Mariam & Joſeph verum fuiſſe conjugium; nam Matth. 1. B. Virgo dicitur tantum deſponſata Joſeph, *Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph*. Quæ autem erat ſolum deſponſata, cenſebatur tantum promiſſa: igitur non erat conjugata.

Nego conſ. nam eo loci *deſponſata* dicitur Maria, non quod erat promiſſa, ſed quod vere conjugata erat, quomodo & nunc apud nos conjugati dicuntur ſponſus & ſponſa; unde Lucæ 2. B. Virgo ſimul dicitur uxor & deſponſata, *Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*.

Inſt. ex eodem cap. Matth. *Joſeph voluit occulte eam dimittere*; igitur non erant conjugati, nam præcipiebat Lex Deut. 24. ut vir nonniſi dato libello repudii uxorem dimitteret.

Nego conſ. quia juxta Legem vir tenebatur ſolum dare libellum repudii, cum volebat uxori dimiſſæ fieri poteſtatem alteri nubendi, qua de re non cogitabat Joſeph, cum voluit Mariam occulte dimittere.

Obj. Multi Patres docent B. Virginem manſiſſe innuptam, ita S. Epiphanius hæreſ. 78. cap. 8. obſervat S. Matthæum dixiſſe eam fuiſſe deſponſatam non nuptam, *Cum eſſet*, inquit, *deſponſata Maria*, non dicit cum nupſiſſet; S. Hieronymus in cap. 1. Matth. in hæc verba; *Virum Mariæ de qua natus Jeſus*, hæc ſcribit: *Quum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare conſuetudinis Scripturarum, quod ſponſi viri & ſponſæ vocentur uxores*. Et S. Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. *Sicut enim illam poſtea commendat Chriſtus ipſe diſcipulo, ita etiam nunc Angelus ſponſo, ſolatium tantummodo ejus habituram abſque fœdere nuptiarum*. igitur.

Reſp. id unum velle iſtos Patres, conjugium inter Mariam & Joſeph non fuiſſe conſummatum, quod videlicet in quodam ſtrictiori ſenſu uxores & nuptæ ſolum dicuntur quæ virum expertæ ſunt. Ac 1. S. Epiphanius verbis objectis immediate addit, *item alio loco non cognovit illam*. quaſi pro eodem haberet quod nupſerit, eo quod Joſeph eam cognoverit. Is autem eo loci totus eſt in perpetuam B. Mariæ virginitatem aſtruat. 2. Sanctus Hieronymus diſertius id oſtendit lib. adverſus Helvidium, ubi probat B. Virginem fuiſſe ſponſam & deſponſatam Joſeph, ſponſam autem in Scripturis idem eſſe ac uxorem, hoc ſolum negans

gans

gans, quod carnaliter cognita fuerit. 3. Mens S. Chryſoſtomi facile capitur ex verbis antecedentibus: *Jam enim illam mente dimiſerat, ſed dimiſſam*, inquit, *retineas, quam Deus tibi copulat non parentes, copulat vero non in ſolemne fœdus conjugii, ſed in conſortium communis habitaculi, & copulat per meæ vocis officium*. ubi conjugium negat, ſi ſit commixtioni carnis conjunctum, & ſupponit B. Virginem a Deo fuiſſe copulatam. Sic Homilia ſequenti, *Si enim*, inquit, *cognoviſſet eam & loco habuiſſet uxoris*. quaſi hæc duo non ſeparentur.

Obj. Apud omnes conſtat B. Virginem perpetuam virginitatem Deo voviſſe, ut colligitur ex iſtis verbis quæ ad Angelum direxit, Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Dixit enim *non cognoſco*, quaſi nunquam cognoſcam, ſtatutum a me eſt nunquam cognoſcere virum; inepta enim eſſet illa reſponſio data Angelo nuntianti, *Ecce concipies & paries filium*. Si ſenſus ſit, virum non cognovi, ſtatim enim dixiſſet Angelus, at modo cognoſces virum, ut concipias filium. Sed ejuſmodi votum conſiſtere non potuit cum ſubſequenti conjugio; quia de Matrimonii ratione eſt, quod vir & mulier mutuo ſibi tradant corporis ſui poteſtatem in ordine ad prolis generationem: igitur B. Virgo non fuit conjugata.

Nego min. quia, ut vulgo rem exponunt Theologi, cum B. Virgo per divinam revelationem certa fuit, nunquam Joſeph poteſtate per conjugium acquiſita uſurum, conſentire potuit, ut iſtud jus haberet per Matrimonium, licet voto prius emiſſo perpetuam voviſſet virginitatem; ita Hugo Vict. Albert. M. S. Bonavent. Scotus, Eſtius.

Ob. Matrimonium non eſt ratum & validum ſublata conſummatione, diſſolvitur enim per profeſſionem Religionis approbatæ: ergo, &c.

Nego ant. & dico Matrimonium non deſinere ratum eſſe & validum ac indiſſolubile, antequam ſit conſummatum, ſcilicet mera eſt Eccleſiæ conceſſio in favorem regularium, quod diſſolvatur per ſolemnem Religionis approbatæ profeſſionem.

Ex his autem manifeſte ſequitur eſſentiam Matrimonii non conſiſtere in ipſa corporum commixtione, quandoquidem verum fuit Matrimonium inter B. Mariam & Joſeph ſine ulla carnali copula.

An vero conſiſtat in actione tranſeunte per quam vir & mulier contrahunt, ut nonnulli docent, an vero in vinculo quod permanet inito ſemel contractu, quæſtio eſt, meo quidem judicio, ſolutu facillima; ſi nimirum dicatur in priori ſententia definiri Matrimonium in ſuo fieri; in poſteriori vero definiri in ſuo facto eſſe, quatenus in conjugatis permanet, quibus poſitis,

Matrimonium definitur in ſuo fieri; *Actio per quam vir & mulier mutuo ſibi tradunt poteſtatem in corpora ſua in ordine ad uſum conjugalem, hoc eſt ad procreationem liberorum*. Quæ definitio explicatione non eget.

Definitur, ut eſt quid permanens, *Legitima viri & fœminæ maritalis conjunctio ad individuam vitæ conſuetudinem inſtituta*. Dicitur *conjunctio* non actus quo conjunguntur, ſed nexus & vinculum quod ex conſenſu reſultat, ut ait S. Thomas in Suppl. q. 44. art. 1. in reſp. ad 1. *Conjunctio illa*, inquit, *vinculum eſt, quo conjuges ligantur formaliter, non effective*. In qua ſcilicet unione ſeu vinculo, magis proprie conſiſtit Matrimonium quam in actu, quia hic actus ſeu conſenſus nubentium tranſitorius eſt, Matrimonium autem ad mortem uſque alterutrius conjugum permanet. *Legitima*, hoc eſt inter perſonas legitimas, ſolutas & liberas, quæ ſecundum Leges contrahere poſſunt. *Viri & fœminæ, &c.* ad differentiam alterius cujuſcunque contractus vel ſocietatis. *Ad individuam, &c.* ut exprimatur finis Matrimonii, nempe generis humani propagatio per nexum indiſſolubilem.

CA-

Caput III.

An Matrimonium ſit licitum & bonum?

Extiterunt veteres Hæretici nec pauci, qui ita dignitati Matrimonii detraxerunt, ut nuptias omnino illicitas eſſe & malas voluerint, ſic Marcion, Manichæi, Tatiani & Encratitæ, &c. in quos ſit

Conclusio.

Matrimonium eſt licitum & de ſe bonum.

1. Quia præcipitur a Deo in veteri Teſtamento, Deut. 25. Frater ſuperſtes jubetur nubere uxori fratris ſine liberis defuncti. Item præcipitur Ozeæ Prophetæ, mulierem fornicariam accipere in uxorem.

2. Chriſtus in nova Lege ſatis declarat ſibi probari Matrimonium, cum, ut habetur Matth. 19. prohibet uxorem dimitti, quod etiam teſtatur Apoſtolus I. Corinth. 7. dicens præceptum eſt Domini. Tum vero cum ipſe Chriſtus ſua præſentia & miraculo nuptias in Cana ſanctificavit.

3. Id conſtat ex innumeris Apoſtoli locis I. Corinth. 7. *Quod vult faciat, non peccat ſi nubat.* Ad Hebr. cap. 13. *Honorabile conjugium in omnibus & thorus immaculatus*, &c.

Omitto Patrum teſtimonia huc referre, cum abunde res conſtet ex adductis Scripturæ locis, conſuli poſſunt S. Clemens Alex. lib. 3. Stromatum; Tertullianus in libro 1. contra Marcionem cap. 29. S. Epiſphanius de hæreſibus; S. Auguſtinus paſſim contra Manichæos, & lib. de bono conjug. cap. 10. & alii paſſim.

Obj. illud Davidis pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me mater mea*, quod certe de legitimo Matrimonio intelligitur, & probat uſum conjungalem non eſſe ſine peccato, adeoque conjugium ipſum non eſſe bonum, cum de ſe ordinetur ad actum malum.

Reſp. David eo loci non exprimere iniquitatem ſuorum parentum & eorum conjugii, ſed propriam maculam originalem in qua teſtatur ſe fuiſſe conceptum.

Neque vero inferri debet conjugium eſſe malum, ex eo quod per illud communicatur peccatum originale. Siquidem id fit per accidens, non ex natura ipſius conjugii, per quod nullum committitur peccatum.

Obj. S. Paulus concedit Matrimonium ſecundum indulgentiam ſeu veniam I. ad Corinth. 7. jam citato. *Hoc dico*, inquit, *ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Sed venia non niſi peccati eſt, ut habet S. Auguſtinus lib. de peccato originali cap. 28. his verbis: *Evidenter dum tribuit veniam, derotat culpam*, igitur eſt ſemper aliquid mali in conjugio.

Reſp. Apoſtolum appellare indulgentiam, non quæ ſit venia delicti, ſed quæ ſit minoris boni permiſſio: 1. quia opponit indulgentiam imperio; 2. quia venia peccati non reſpicit futurum ſed præteritum; permiſſio autem eſt de futuro. Denique dici poteſt S. Paulum dare uſum conjugii per indulgentiam, ſi uſus ille fiat per incontinentiam, ut interpretatur S. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 10. *Non nuptias*, inquit, *ſed illum concubitum ſecundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam*.

Obj. Libido ſine qua non fit actus conjugalis, ſemper eſt ſua natura culpabilis, cum repugnet ſpiritui & legi mentis, ut teſtatur Apoſtolus ad Rom. 7. & ad Galat. 5. igitur uti conjugio peccatum eſt quocunque tandem fine id fiat, quia quod malum eſt in ſe non evadit bonum, ex eo quod fit propter bonum finem.

Nego ant. & dico eam libidinem ſeu delectationem quæ uſum conjugalem comitatur, eſſe quidem poſt lapſum Adami pœnam peccati, ſed non eſſe malam & peccatum, eo quod conjuncta eſt cum actu conjugali; ſi nimirum conjuges talem actum exerceant cum debito fine, puta,

puta, propter prolis generationem, qui finis eſt legitimus Matrimonii a Deo inſtituti. Cum autem Apoſtolus ſæpius ſcribit libidinem eſſe de ſe malam, id alibi explicuimus, non quod ipſa ſit peccatum, remanet enim in baptiſatis in quibus tamen nihil eſt damnationis ex eodem Apoſtolo; ſed quod hominem inclinat ad malum, & malum eſt ejus inordinatis motibus conſentire. Quocirca falſum eſt, univerſim loquendo, nullum concupiſcentiæ motum eſſe ſine peccato.

Multi porro Theologi tractant in præſenti loco de unitate, indiſſolubilitate & impedimentis Matrimonii, quod hæc contractum ipſum reſpicere videantur: ſed quoniam meo quidem judicio ad Matrimonium Chriſtianorum hæc potiſſimum attinent, non abs re erit examinare antea, num Matrimonium ſit verum novæ Legis Sacramentum, quænam ſit ejus materia & forma, quis Miniſter.

C A P U T IV.

An Matrimonium ſit verum novæ Legis Sacramentum?

CErtum eſt apud omnes Matrimonium Chriſtianorum eſſe Sacramentum, hoc ſenſu quod ſit ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, *An non audis Paulum*, inquit S. Chryſoſtomus Homil. 56. in Geneſi, *dicentem quod Sacramentum ſint Nuptiæ & Imago dilectionis Chriſti quam erga Eccleſiam declaravit Chriſtus*.

Quæſtio eſt utrum Matrimonium in nova Lege ſit verum ac proprie dictum Sacramentum, hoc eſt non modo ſignum ſit rei cujuſpiam ſacræ, ſed inſuper ſit collativum gratiæ & in eum finem inſtitutum fuerit a Chriſto. Negant Lutherani & Calviniſtæ, eam ob rem damnati in Concilio Tridentino, in quos ſit

C o n c l u s i o.

Matrimonium eſt verum novæ Legis Sacramentum.

Non deſunt Theologi qui hoc Eccleſiæ dogma probant ex iſtis S. Pauli verbis ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, ſed meo quidem judicio locus iſte non videtur aptus ad id probandum, quia id unum vult Apoſtolus, Matrimonium Chriſtianorum eſſe magnum, quatenus analogiam & ſimilitudinem habet cum Chriſti & Eccleſiæ conjunctione, quod non ſufficit, ut cenſeatur verum Sacramentum, uti Baptiſmus & Euchariſtia, quia non omne ſignum rei ſacræ, hoc modo Sacramentum eſt niſi gratiam producat ex inſtitutione Chriſti, quod utique eo loci non dicit Apoſtolus. Quapropter ſatis erit hanc Catholicam Fidem conſtanti Eccleſiæ traditione aſtruere.

Traditio autem hoc in negotio clara & aperta eſt, quatenus legitur apud SS. Patres & Concilia multa. 1. Matrimonium appellari Sacramentum. 2. Non fieri apud Chriſtianos niſi cum benedictione Sacerdotis, quod probat habitum non fuiſſe inter Fideles tanquam contractum mere prophanum. 3. Per illud produci gratiam ſanctificantem, ſanctificationem, quæ proprius eſt Sacramentorum novæ Legis effectus.

Tertullianus ſic de Matrimonio in nova Lege loquitur lib. 2. ad Uxorem cap. ultimo, *Ad enarrandam fælicitatem ejus Matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, pater ratum habet*. unde patet jam tum per benedictionem Sacerdotis fieri ſolitas nuptias.

S. Clemens Alex. lib. 3. ſtromatum, ejuſdem rei teſtis eſt; cum enim invehitur in Mulieres quæ alienis capillis ſua capita ornabant, ſic habet, *Cui manum imponit Presbyter? cui benedicit? non Mulieri quæ eſt ornata ſed alienis capillis*.

S. Am-

S. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo c. 7. loquens de eo qui alterius Uxori vult nubere, *Qui ſic egerit*, inquit, *peccat in Deum cujus legem violat, gratiam ſolvit, & ideo quia in Deum peccat Sacramenti cœleſtis amittit conſortium*.

S. Auguſtinus hoc Sacramenti nomen multis in locis tribuit Matrimonio lib. de nupt. & concupiſ. cap. 1. *Non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur Fidelibus conjugatis*. & cap. 17. *In nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum*. lib. de bono conjugali cap. 15. *Semel initum Connubium in civitatem Dei noſtri*, id eſt in Eccleſiam, *nullo modo poteſt niſi alicujus earum morte diſſolvi uſque adeo cujuſdam Sacramenti res eſt*. & cap. 17. *In Chriſtianorum quippe nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri*.

Concilium Carthaginenſe IV. cap. 13. hoc ſtatuit: *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus ſuis vel paranymphis offeruntur*.

S. Siricius ſummus Pontifex in Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem cap. 4: *Illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit apud fideles cujuſdam Sacrilegii inſtar eſt ſi ulla tranſgreſſione violetur*.

Innocentius epiſt. 9. ad Probum, *Statuimus*, inquit, *fide Catholica ſuffragante, illud eſſe Conjugium quod primitus erat divina gratia fundatum*. Ex quibus obiter notare eſt, quam falſo dixerit Calvinus lib. 4. inſt. cap. 19. n. 34. neminem ante Gregorium M. qui vivebat in fine ſæculi ſexti, habuiſſe Matrimonium pro Sacramento.

Dehinc & in multis Conciliis res fuit aperte definita, in Concilio *Veronenſi*, ubi Lucius III. eos condemnat, qui dixerint Matrimonium non eſſe Sacramentum. In *Lateranenſi* ſub Innoc. III. extra de Simonia cap. *Cum in Eccleſia*, ubi prohibetur ne pro benedicendis nuptiis ſeu aliis Sacramentis conferendis aliquid exigatur. *Ne igitur hæc de cætero fiant, ſeu pro benedicendis nubentibus ſeu aliis Sacramentis conferendis*. Item in *Conſtantienſi* quod Seſſ. 15. Joannem Hus proſcripſit, quod aſſereret Sacerdotes crimінoſe viventes male ſentire de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis. Ac demum in *Tridentino*, ſic loquente in Seſſ. 24. Can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque conferre gratiam, anathema ſit*. Idque conſentanee ad cenſuram in eoſdem latam a Sacra Facultate Pariſienſi his verbis expreſſam, *Matrimonium non eſt Sacramentum divinitus inſtitutum, ſed ab hominibus inventum, hæc Propoſitio eſt Hæretica & olim damnata*. Præiverat Eugenius IV. qui ſuo in Decreto Matrimonium velut unum ex ſeptem Sacramentis recenſet.

Quin & in eandem Doctrinam ſemper conſenſit Eccleſia Græca, ut conſtat, 1. ex Patribus Græcis mox adductis; 2. ex eo quod tempore Schiſmatis nulla hac in parte diſſenſio fuit inter Græcos & Latinos, nec Græci conqueſti ſunt adverſus Latinos, quod gratis aſſererent Matrimonium eſſe unum ex Sacramentis; nec Latini viciſſim erroris accuſarunt Græcos, quod illud ex albo Sacramentorum expungerent; 3. ex Cenſura Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani in Confeſſionem Auguſtanam ſibi a Lutheranis oblatam, cap. autem 7. legitur, *Matrimonium Divinum Sacramentum eſſe, atque unum ex illis ſeptem quæ Chriſtus & Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt*.

Eſt autem & alia probatio petita ex SS. Patribus qui docent Chriſtum, quando nuptiis adfuit in Cana iiſque benedixit, hoc ipſo Chriſtianorum conjugia ſanctificaſſe; ita S. Epiphanius Hæreſi 67. S. Ambroſius epiſt. ad Siricium Papam; S. Auguſtinus Tract. 9. in Joan. S. Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 22. tum vero in Epiſtola ad Neſtorium quæ ab Ephe-

Epheſino Concilio probata eſt; S. Maximus Homil. 1. de Epiph. & Joan. Damaſc. lib. 4. c. 21.

Objicies: Si Matrimonium eſſet conſtanter unum ex ſeptem Sacramentis, nemo Catholicus id potuiſſet revocare in dubium: ſed ex veteribus Theologis quidam negant aperte Matrimonium conferre gratiam, ut Durandus in 4. diſt. 26. quæſt. 3. & Jacobus de Vitriaco Cardinalis hiſt. Occidentis cap. 36. poſt Magiſtrum-Sent. lib. 4. diſt. 26. ubi ait alia Sacramenta conferre gratiam, conjugium vero non eſſe datum niſi in officium, non autem in remedium, quod probat in mente Magiſtri-Sent. Matrimonium non fuiſſe a Chriſto inſtitutum ad producendam gratiam, & conſequenter non eſſe reponendum inter Sacramenta novæ legis.

Quibus adjungi poſſunt quidam Canoniſtæ citati in Gloſſa ad cap. *honoratur* cauſa 32. q. 2. qui docent conjuges poſſe de dote paciſci, quia conjugium non eſt Sacramentum quod conferat gratiam: igitur.

R. 1. præfatos Theologos minime negaſſe Matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis; immo ipſis locis citatis, teſtantur illud eſſe unum ex ſeptem Sacramentis juxta communem tunc temporis Eccleſiæ Doctrinam, loquuntur aſſertive non dubitando; unde benigne poſſumus eorum verba explicare, quaſi voluerint Matrimonium eſſe in remedium peccati, ſi ſpectetur ſecundum id quod in eo peculiare eſt, licet conveniat tum aliis Sacramentis in eo quod gratiam producit. Quod ſpectat Magiſtrum-Sent. is quidem ait Matrimonium fuiſſe inſtitutum ante Adami lapſum, non ad remedium ſed ad officium; ſed inde nullatenus ſequitur eum exiſtimaſſe Matrimonium non eſſe Sacramentum. Immo illud diſerte affirmat ibidem his verbis, *Conſtat ergo*, inquit, *rem bonam eſſe Matrimonium, alioquin non eſſet Sacramentum: Sacramentum enim ſacrum ſignum eſt*.

2. Tametſi hac in parte vacillaſſent illi Theologi, nihil inde colligere poſſunt Hæretici; his opponeremus univerſam Patrum traditionem, multa Conciliorum Decreta & aliorum Theologorum qui vel ante Concilium Tridentinum ſcripſerunt, autoritatem, qua de cauſa & cenſemus nullius eſſe ponderis quod objicitur ex quibuſdam Canoniſtis, qui in rebus Theologicis verſatiſſimi non ſunt. Nec quicquam valet eorum ratio, cum enim de dote paciſcuntur vir & mulier, id reſpicit Matrimonium ut Contractus eſt, non ut Sacramentum.

Objicies: Si Matrimonia Chriſtianorum eſſent a Chriſto inſtituta, non poſſent unquam ab Eccleſia declarari nulla, quia in ſubſtantiam Sacramentorum nihil poteſt Eccleſia: atqui tamen declaravit clandeſtina eſſe nulla & invalida: igitur.

Reſpondeo Eccleſiam poſſe declarare certas eſſe leges obſervandas in Matrimoniis quarum defectu ſunt nulla, quod unum præſtitit, cum egit adverſus Matrimonia clandeſtina, qua in parte nihil mutavit in ſubſtantia Matrimonii a Chriſto inſtituta.

Objicies: Si Matrimonium eſſet Sacramentum producens gratiam, nemo deberet a Matrimonio repelli, nemo enim repellendus eſt a gratia: ſed multi repelluntur a Matrimonio, nimirum Sacerdotes, Monachi, & Moniales: igitur.

Reſ. 1. neminem, proprie loquendo, repelli a Matrimonio; nubunt enim qui volunt, niſi ſeipſos, quod fit libere, voto obligaverint; 2. Nihil vetat quominus in quodam ſtatu conſtituantur fideles, in quo non poſſint quodlibet recipere Sacramentum; nam Extrema-Unctio non datur niſi ægrotis, quo poſito minus proprie dicuntur fideles repelli a gratia, quia diverſæ ſunt pro diverſis ſtatibus gratiæ.

Quod ſi quæratur quonam tempore Chriſtus hoc Sacramentum inſtituerit. Reſpondeo communem Theologorum opinionem eſſe, hanc inſtitutionem factam a Chriſto, cum nuptiis adfuit in Cana Galileæ, ut teſtantur multi e SS. Patribus.

CAPUT V.

De Miniſtro Matrimonii.

De Miniſtro hujus Sacramenti prius agendum eſt, quam de ejus materia & forma, quia ex ea ſententia quam amplectemur circa Miniſtrum pendebit, quod de materia & forma tenendum eſt.

Duæ ſunt hoc in negotio Theologorum ſententiæ: prima eſt eorum qui contendunt ipſos contrahentes eſſe Miniſtros hujus Sacramenti, quod ſibi mutuo miniſtrant, cum ſibi invicem dant fidem; quoniam, inquiunt, omne legitimum Matrimonium inter Chriſtianos contractum, eſt Sacramentum novæ legis ex inſtitutione Chriſti; aut benedictio Sacerdotis, quæ adhiberi ſolet in celebratione Matrimonii, ſit tantum quædam cæremonia accidentalis.

Secunda eſt eorum qui putant conjuges eſſe quidem Miniſtros Matrimonii, ut Contractus eſt, ſed Matrimonii ut Sacramentum eſt non alium eſſe Miniſtrum quam Sacerdotem: cui ſententiæ ſubſcribimus, ut pote in veterum doctrina fundatæ & a majori nunc Theologorum parte receptæ.

CONCLUSIO.

Miniſter Sacramenti Matrimonii eſt Sacerdos; idque invicte demonſtratur.

1. Ex antiqua SS. Patrum & Conciliorum doctrina: nam ut manifeſte patet ex locis mox adductis uno ore docent Matrimonia Chriſtianorum non perfici niſi per benedictionem Sacerdotis, per benedictionem Eccleſiæ: ſic Tertullianus, Clemens Alex. S. Ambroſius, Siricius, Innoc. I. Concil. Carthag. IV. Iſtud autem momentum tam grave eſt ut non videam quomodo per antiquam Eccleſiæ Traditionem Novatoribus oſtendi poſſit Matrimonium Chriſtianorum habitum ſemper fuiſſe non ut Contractum mere prophanum, ſed ut Sacramentum, ſi ab iſta probatione diſcedamus, & eam amplectamur ſententiam, qua aſſeritur conjuges eſſe Miniſtros Sacramenti Matrimonii. Poſtulat autem ratio, ut inter duas opiniones ea ſeligatur in qua firmius aſtruitur Dogma Catholicum: altera vero rejiciatur, qua poſita, probari non poſſit ex traditione, cum aliunde nullus efficax ſuppetat in Scripturis locus, ut multi cenſent, ex quo clare ac diſerte eliciatur Matrimonium Chriſtianorum eſſe a Chriſto Domino inſtitutum.

2. Non parum favet Concil. Tridentinum, quod Seſſ. 24. cap. 1. ref. ſtatuit ut Parochus dicat miniſtrando Matrimonium, *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, &c.* Ubi Sacerdos manifeſte agit perſonam Miniſtri, non autem ſolum teſtis alicujus, ſicut cum dicit, *Ego te Baptizo, &c. Ego te abſolvo, &c.* exhibet ſe Miniſtrum Baptiſmi & Pœnitentiæ; eandem formam in celebratione Matrimoniorum præſcribunt Gallicana Concilia, Remenſe an. 1583. Rothomagenſe an. 1581. Turonenſe, Aquenſe an. 1585. & alia. Idque confirmatur ex multis Ritualibus eundem ſenſum habentibus: ſic v. g. Mechlinienſe ann. 1589. *Stante viro ad dexteram, muliere vero ad ſiniſtram, Sacerdos hujus Sacramenti Miniſter ſponſum & ſponſam aſpergat aqua benedicta..., dicat, Et ego tanquam Dei Miniſter, ego vos conjungo in Matrimonium*. Sic Atrebatenſe, Iprenſe, Colonienſe, & Romanum juſſu Pii V. editum quod in præfatione teſtatur Matrimonii adminiſtrationem ad Parochos pertinere. Clarius vero Rituale Toletanum his verbis,

Efficiens cauſa Matrimonii ſunt ipſi contrahentes in quantum eſt contractus quidam: at vero ut eſt Sacramentum, Miniſter eſt cauſa inſtrumentalis ſicut in aliis Sacramentis.

3. Ex Decreto Eugenii IV. qui ſtatuit omnia Sacramenta verbis conſtare tanquam forma, ſed in ſententia adverſariorum loco verborum ſufficiunt nutus contrahentium; unde ſequeretur mutum Sacerdotem poſſe baptiſare, abſolvere, &c.

4. Sacramenta proprie dicta Sacræ ſunt Religionis ceremoniæ; ſed ſublato Sacerdotum Miniſterio nulla fit cæremonia in contractu viri & fœminæ, nihil niſi Prophanum eſt; unde fideles nuſpiam in animo habuerunt ſe ſacrilegium committere, quando in ſtatu pecc ti mortalis contrahunt, ſed ſolum quando benedictionem Sacerdotis accipiunt.

5. In ſententia adverſariorum multa involvuntur abſurda; nam 1. in Matrimonio Chriſtianorum nihil erit quod non reperiatur in Matrimonio Judæorum & Paganorum; 2. is dicetur Sacramenti Miniſter non qui dat, ſed qui ſuſcipit Sacramentum, neque alter alteri miniſtrat Matrimonium; 3. ſequitur mulierem eſſe Miniſtrum alicujus Sacramenti, quod alienum eſt a mente Apoſtoli dicentis, I. Corinth. 14. non debere mulieres loqui in Eccleſia; hoc eſt ullum Miniſtri Officium peragere; 4. in illa ſententia vir & mulier adminiſtrabunt Sacramentum, & Sacerdos rem ſolum acceſſoriam & accidentalem, qualem reputant ejus benedictionem; 5. Miniſter ordinarius alicujus Sacramenti erit Laicus, quod menti Eccleſiæ adverſatur; 6. Demum contrahentes nuſquam habuerunt intentionem conferendi Sacramentum, ſed tantum ſuſcipiendi, non exhibent ſe ut Miniſtros rei cujuſpiam ſacræ, quod tamen requiritur eſſentialiter in omni Sacramento; quibus abſurdis alia poſſemus addere, niſi brevitati conſuleremus; hæc reperias quam docte tam eleganter diſcuſſa apud Melch. Canum.

Objicies: Chriſtus evexit Matrimonium Chriſtianorum ad dignitatem Sacramenti: ergo omne Matrimonium modo ſit a Chriſtianis contractum hoc ipſo Sacramentum eſt.

Retorqueo argumentum, Chriſtus evexit Pœnitentiam Chriſtianorum ad dignitatem Sacramenti: ergo quævis Chriſtianorum Pœnitentia eſt Sacramentum, hoc ipſo Sacramentum eſt etiam ſublata Sacerdotis abſolutione; certe nullus hanc admittet conſequentiam. Quapropter dico omne Matrimonium Chriſtianorum eſſe Sacramentum, ſi accedat benedictio Sacerdotis, qua poſita, adeſunt materia, forma & intentio Miniſtri facientis quod facit Eccleſia; ſicut Pœnitentia evadit Sacramentum, quando huic accedit abſolutio Sacerdotis.

At, inquies, Eugenius in Decreto ſcribit cauſam efficientem Matrimonii eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti expreſſum; ubi conſenſus loco eſt materiæ, & verba loco formæ, verba autem illa intelligit contrahentium: ſed qui formam materiæ applicat, eſt Miniſter.

Diſt. maj. Matrimonii ut contractus eſt, C. ut Sacramentum, N. non habetur enim cauſa efficiens Sacramenti, ſed cauſa efficiens Matrimonii: ratio eſt, ut multi docent Theologi, quia Eugenius data opera noluit determinare quis ſit Matrimonii, ut Sacramentum eſt, Miniſter, videns non unam eſſe ea in re Theologorum ſententiam: & neutram definire volens.

Objicies: Conjuges eſſe Miniſtros hujus Sacramenti communior eſt ſententia apud veteres & recentiores Theologos; eſt enim Magiſtri Sent. S. Thomæ in 4. diſt. 26. art. 1. Scoti, Durandi, Bellarmini, Iſamberti, Goneti & multorum aliorum; unde ſequitur, inquit Bellarminus, hanc eſſe legitimam Eccleſiæ Doctrinam, a qua non liceat recedere.

R. 1. non conſtare apud omnes, hanc

ſententiam tenuiſſe laudatos Theologos; nam Sylvius & alii nonnulli Thomiſtæ contendunt S. Thomam, v. g. exiſtimaſſe Sacerdotes eſſe hujus Sacramenti Miniſtros; is enim in ſupplem. q. 8. art. 1. ſic loquitur, *Solus ille Miniſter Sacramentorum in quibus gratia datur, qui habet Miniſterium ſuper Corpus Chriſti verum, quod Sacerdotis eſt*. & lib. 4. contra gentes cap. 78. *In quantum ordinatur Matrimonium ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat Regimini Eccleſiaſtico, ea autem quæ populo per Miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, Sacramenta dicuntur ... unde & quædam benedictio nubentibus per Miniſtros Eccleſiæ adhibetur*.

2. His Theologis quorum autoritas objicitur, opponimus totam retro antiquitatem quæ docet nubentibus, ſemper, datam benedictionem a Sacerdote; niſi autem, ut ſupra diximus, hæc benedictio cenſeatur forma eſſentialis huic Sacramento, nunquam ex Traditione probari poterit Matrimonium eſſe Sacramentum. Item opponimus multos alios Doctores Guilelmum Pariſ. Tract. de Matrim. cap. 9. Melchiorem Canum, Simonem Vigor, Magiſ. Pariſ. & Narbonenſem Archiepiſ. Petrum Ledeſma & Banneſ. utrumque Dominicanum, & Toletum lib. 7. Sacerdotalis inſt. cap. 6. Eſtium, Sylvium Maldonatum, Illuſtriſſimum Petrum de Marca opuſculo Gallico de Matrimonio, ubi hujus ſuæ ſententiæ Patronum inſuper aſciſcit Joannem Gropperum a quo adornata ſunt acta Concilii Colonienſ. an. 1530. ſic loquentis par. 7. c. 4. *Quod Sacramentum ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione confert donum Spiritus*. Præterquam quod jam a multis annis hæc fere ſola tenetur ſententia in cholis Sorbonicis.

Ob. Matrimonia clandeſtina rata & valida fuerunt ante definitionem Concilii Tridentini: ſed Matrimonia illa fiebant vel omnino ſine teſtibus ullis, vel altem ſine Miniſterio Sacerdotis: igitur Sacerdos non eſt Miniſter Matrimonii.

Diſt. maj. rata & valida in ratione Contractus, C. in ratione Sacramenti, N. eo loci Concilium ſpectare Matrimonia ut Contractus tantum, patet, 1. quia certum eſt noluiſſe Patres hujus Concilii quidquam definire circa hoc caput, nimirum, an Matrimonia clandeſtina fuerint Sacramenta, demum expreſſe teſtatur Palavicinus l. 23. c. 9. *Omitto*, inquit, *nunquam declaraſſe Concilium Matrimonia clandeſtina fuiſſe Sacramenta; adeo ut graves Theologi id negent*. Unde, cum aliunde Synodus declarat Matrimonia clandeſtina rata & valida, ea ſumit dumtaxat in ratione Contractus. Deinde Melch. Canus qui huic Concilio interfuit, docet aperte non aliam fuiſſe Patrum Tridentinorum mentem, & contendit ſolum Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum.

Inſtabis: Concilium Tridentinum ſtatuit de fide Matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis; ſed iſtud intelligit de omni Matrimonio valido, ejuſmodi erant matrimonia clandeſtina: igitur.

Diſ. min. cui accedunt omnia neceſſario requiſita ad rationem Sacramenti, C. ſecus, N. huic difficultati mox reſpondimus, Pœnitentia & Ordo ſunt Sacramenta novæ legis ex Concilio Tridentino, ſed ſicut non omnis Pœnitentia, neque omnis Ordo eſt Sacramentum; ita non omne Matrimonium licet validum, Sacramentum eſt.

Inſt. Sic loquitur Concilium in Decreto de Matr. ut requirat ſolum Sacerdotem velut teſtem non tanquam Miniſtrum, *Qui aliter*, inquit, *quam præſente Parocho, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit*, ubi ſtatuit quidem Parochum debere hæc verba pronuntiare, *Ego vos conjungo, &c.* ſed non declarat Matrimonium eſſe irritum ſi deſint illa verba, & contra Matrimonium irritat, niſi fiat præſente Parocho: igitur.

R. ex

R. ex illo argumento colligi ſolum poſſe Concilium Tridentinum noluiſſe hanc Quæſtionem de Miniſtro Matrimonii definire, utpote inter Theologos controverſam; quod quidem lubenter confitemur, quamvis, ut dictum eſt, noſtræ ſententiæ magis faveat quam oppoſitæ.

Neque vero objici debet declaratio Cardinalium in hujus Tridentini Decreti interpretationem dicentium, *non pertinere ad ſubſtantiam Matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat*. Conſtat enim apud eruditos ejuſmodi declarationes quæ in certis collectionibus habentur, non eſſe genuinum opus Cardinalium in explicationem Tridentini præfectorum, ut aliæ poſtea monuerunt Cardinalium Congregationes, & declaravit Urbanus VIII. in Decreto quod ea de re emiſit an. 1631.

Ob. Primis Eccleſiæ ſæculis non benedicebantur ſecundæ nuptiæ, ut patet ex Can. 7. Concil. Neocæſarienſi, ſed habebantur tamen vera Sacramenta; imo & nunc ſecundæ nuptiæ carent benedictione: ergo benedictio Sacerdotis non eſt neceſſaria.

Reſpondetur diverſimode huic objectioni. 1. Cauſam negatæ benedictionis rationem eſſe; quod cum ea ſit inſtar conſecrationis, & ideo in primis nuptiis data non amittatur, proinde non reiteranda cenſeretur. 2. Reſpondetur vetitum ſolummodo fuiſſe a Conc. Neocæſ. ne Presbyteri in ſecundis nuptiis adeſſent convivio, *Presbyter in nuptiis ejus qui duas uxores ducit, ne conviretur*, 3. Alii fatentur in ſecundis & ulterioribus nuptiis nullam fuiſſe Benedictionem ſacerdotalem, ſed inde ſolum ſequitur ejuſmodi Matrimonia non fuiſſe Sacramenta, cujuſmodi ſunt conjugia eorum qui ab hæreticis revertuntur ad Eccleſiam, quales ſunt Lutherani & Calviniſtæ, quorum Matrimonia defectu Benedictionis ſacerdotalis non ſunt Sacramenta, ſed tamen veri ac legitimi Contractus. Alii reſpondent ſecundas nuptias celebrari cum benedictione Sacerdotis, quia juxta Rituale Pariſienſe hæc pronuntiat verba, *Deus Abraham & Deus Iſaac, & Deus Jacob ipſe vos conjungat ..... & ego conjungo vos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Obj. Eugenius IV. in ſuo Decreto ait cauſam efficientem Matrimonii eſſe mutuum conſenſum contrahentium per verba de præſenti: ſed cauſa efficiens Sacramenti idem eſt plane ac ejus Miniſter: ergo.

Reſpondeo Eugenium loqui hoc in loco de Matrimonio quoad vinculum, non autem quoad rationem Sacramenti, nemo enim neſcit noluiſſe Eugenium rem illam de Miniſtro Matrimonii inter Theologos controverſam definire.

CAPUT VI.

De Materia & forma Sacramenti Matrimonii.

HÆC quæſtio, ut diximus, pendet maxime ex præcedenti, aliud enim pro materia & forma hujus Sacramenti aſſignant qui Miniſtros eſſe conjuges putant, aliud vero qui Sacerdotes.

Materia igitur Matrimonii, ut Sacramentum eſt, remota, ſunt perſonæ contrahentes, proxima vero eſt Contractus validus quo vir & fœmina ſibi mutuo corporum ſuorum poteſtatem tradunt, & qui per benedictionem Sacerdotalem informatur & ad dignitatem Sacramenti erigitur; ſicut in Pœnitentia actus Pœnitentis ſunt materia Sacramenti, qui videlicet informantur per Abſolutionem Sacerdotis, ita ratiocinatur S. Thomas in 4. diſt. 26. & p. 3. q. 84. art. 3. ad 1.

Forma hujus Sacramenti conſequenter conſiſtit in verbis quæ pronuntiat Sacerdos ſuper conjugibus, dicens, *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Ita enim præſcripſit Con. Tridentinum Seſſ. 24. cap.

24. cap. 1. *Si nullum*, inquit, *opponatur impedimentum ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat, Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujuſque ritum*. Ex quibus poſtremis verbis ſequitur diverſa in diverſis locis adhiberi poſſe verba in adminiſtratione Matrimonii, ſed quæ tamen ad eundem finem & effectum tendant, puta ad ſupernaturalem conjugii ſanctificationem, in quo vera elucet ratio Sacramenti.

CAPUT VII.

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

DUo ſunt effectus Sacramenti Matrimonii, nimirum confert gratiam ſanctificantem & inſuper jus ad habenda in tempore auxilia actualia, quibus indigent conjuges ad chriſtiane vivendum in Matrimonio.

1. Sacramentum Matrimonii confert gratiam ſanctificantem, eſt enim de ratione cujuslibet Sacramenti novæ legis, ut gratiam producat ex opere operato. Id intelligitur de ſecunda gratia ſeu gratiæ augmento pro conjugatis ſcilicet recte diſpoſitis & in ſtatu gratiæ conſtitutis; unde Matrimonium dicitur Sacramentum vivorum non mortuorum, unde Concilium Tridentinum, ſeſſ. 24. cap. 1. hortatur conjuges, *ut antequam contrahant, ſua peccata diligenter confiteantur*.

2. Iisdem conjugatis præbet jus accipiendi a Deo auxilia actualia ſeu gratias actuales, quibus onera Matrimonii portare poſſint, ut caſte vivant, mutuas animi & corporis infirmitates æquo animo perferant, in timore & charitate Dei educationem liberis ſuis procurent, & ita juxta Apoſtoli mentem, honorabile ſit eorum conjugium: Jus illud eſt gratia Sacramentalis in Matrimonio, qualem diximus a quolibet Sacramento præter gratiam ſanctificantem, dari gratiam Sacramentalem.

CAPUT VIII.

De indiſſolubilitate Matrimonii.

QUæſtio hic non eſt de Matrimonio infidelium, certum eſt enim verum & legitimum eſſe Matrimonium quod ab infidelibus contrahitur juxta leges Principum quibus ſubditi ſunt. An vero Matrimonium illud in infidelitate contractum per Profeſſionem Chriſtianæ Religionis diſſolvatur, mox ſumus examinaturi.

Duplex diſtinguitur Matrimonii ſolutio, una quoad thorum, & quæ ſolum efficit ut ſecum non cohabitent conjuges; altera quoad vinculum, & quæ efficit, ut conjuges ſeparati novum poſſint inire connubium: agitur, 1. De Matrimonio quoad vinculum, de eodem quoad thorum, & cohabitationem poſtea diſſeremus, & quæritur an Matrimonium ſit indiſſolubile quoad vinculum & quomodo.

Suppono 1. Matrimonium in primæva ſui inſtitutione vi legis divinæ fuiſſe indiſſolubile, ut docet Chriſtus Dominus, Matth 19. *Libellum repudii*, inquit, *conceſſit Moyſes ad duritiam cordis, ab initio non fuit ſic*. Unde Concilium Tridentinum Seſſ. 24. *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens Divini Spiritus inſtinctu pronuntiavit, cum dixit: Nunc os ex oſſibus, &c.*

Suppono 2. in lege Moſaica per Libellum repudii vere ſolutum fuiſſe Matrimonii vinculum, Deo ita ſtatuente, Deuteron. 24. his verbis, *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet Libellum*

bellum repudii & dabit in manu illius, & dimittet eam de Domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, &c. ubi manifeſte venia datur marito dimittendi uxorem, & uxori alterum maritum ducendi, quod aperte ſignificat veram Matrimonii diſſolutionem quoad vinculum, quando quidem conceditur conjugibus ſeparatis facultas ad alias nuptias convolandi.

Theologi, qui contendunt hanc legem non fuiſſe permiſſionem approbativam, ut ajunt, ſed tolerativam tantum, qua ſcilicet Deus minus tolerabat malum, ut majus vitaret, juxta hæc Chriſti verba Marci 10. *Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit præceptum iſtud.* Nimirum, inquit Eſtius in 4. diſt. 33. ſect. 9. *Hæc permiſſio illius generis fuit, ut non excuſaret a culpa, ſed tantum liberaret a pœna*, neque audiendi ſunt nonnulli, verum gratis iſtud aſſeritur; dato enim quod prima lex quæ indiſſolubilitatem Matrimonii ſtatuerat, fuerit ad duritiam cordis Judæorum relaxata, verum eſt tamen per illam poſteriorem tolerantiæ legem licitum fuiſſe divortium. Cui accedit quod neque Moyſes, neque poſt illius tempora alii Legislatores, uti nec Prophetæ ejuſmodi Matrimonia cum mulieribus repudiatis tanquam adulteria unquam rejecerunt.

Atqui hinc ſequitur minus accurate dici a quibusdam Theologis Matrimonium jure naturæ indiſſolubile, quandoquidem Matrimonia licite diſſolvebantur apud Judæos, Deo ita permittente, quod certe Deus non permiſiſſet, ſi Matrimonii ſolutio pugnaſſet contra legem naturalem, Deus enim approbare non poteſt quod eſſentialiter malum eſt: ergo Deus non poſſet approbare ſolutionem Matrimonii, ſi ea pugnaret contra jus naturæ. In eo autem falluntur illi Theologi, quod juris naturæ ſignificationem magis, quam pars eſt, extendant, & illud omne dicant jure naturali tale eſſe quod bonum, & honeſtum, & rectæ rationi conſentaneum eſt, quamvis tale ſit ex aliqua poſitiva lege & conſtitutione. Et ita in præſenti materia, dicunt Matrimonium omne eſſe indiſſolubile jure naturali, quia, inquiunt, Matrimonium eſſe indiſſolubile poſtulat educatio prolis quæ finis eſt Matrimonii, & quæ procurari non poteſt niſi a conjunctis: quaſi dicerent bonum eſſe & rectæ rationi conſentaneum quod Matrimonium ſit indiſſolubile, qua de re non diffitemur, ſed inde non ſequitur jure naturali Matrimonium omne eſſe indiſſolubile.

Jus itaque naturæ ſumi non debet ſemper pro eo omni quod eſt bonum & honeſtum, ſed pro eo tantum quod eſt ab ipſa natura ſtabilitum & inſpiratum, quatenus jus naturæ juri poſitivo opponitur; ſolemnis eſt enim diviſio juris in naturale & poſitivum, & jus naturæ definiri debet, jus illud quod ubique inſtinctu naturæ, non aliqua conſtitutione habetur. Quibus recte intellectis, nemo non videt indiſſolubilitatem Matrimonii jure quidem poſitivo divino & humano ſtabilitam, ut mox oſtendetur, ſed non jure naturæ. Niſi conſequenter indirecte quatenus conſideratus in his conjugibus qui contraxerunt, ea lege ut ſola morte alterutrius diſſolveretur, quilibet enim jure naturæ tenetur ſuis ſtare promiſſis.

Quapropter difficultas ſupereſt examinanda de Matrimonio Chriſtianorum, an ſcilicet & quomodo ſit indiſſolubile quoad vinculum. Tres autem ſuper ea re agitari ſolent quæſtiones: prima & præcipua, utrum diſſolvatur per adulterium. Secunda an per Profeſſionem Religionis Chriſtianæ. Tertia demum an diſſolvatur per ingreſſum alicujus Religionis approbatæ. Quæ quidem tria ſigillatim ſunt expendenda.

CA-

cæ; S. Chryſoſtomus Homil. 17. in Matth. Primaſius in cap. 7. I. ad Corinth. Iſidorus lib. 2. de Divinis Officiis cap. 19. Theophilactus in cap. 19. Matthæi; S. Anſelmus in cap. 5. Matth. quibus aſtipulati ſunt omnes ac ſinguli Theologi.

Item ex ſummis Pontificibus citari merito poſſunt inter alios Innocentius I. Epiſt. 3. ad Exuperium, ubi hac de quæſtione interrogatus reſpondet, non licere poſt divortium aliam uxorem ducere, ſed virum & mulierem adulteros eſſe, ſi aliis ſe conjungant; Nicolaus I. Epiſt. 59. ad Adonem cap. 1. Innocentius III. extra De divortiis. cap. *Gaudemus*. Alexander III. extra. De ſponſalibus. cap. *Ex parte*. ac demum Eugenius IV. in Decreto ubi ſic habet, *Quamvis ex cauſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit*.

Denique Traditio Eccleſiæ colligitur ex Conciliis, ex Illiberitano Can. 9. *Fœmina fidelis*, inquit, *quæ adulterum Maritum reliquerit, fidelem & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat*; Arelatenſe Can. 10. *De his qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt....... placuit, ut in quantum poſſit, eis conſilium detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant*. Conſilii nomine utuntur Patres quia hoc vitium corrigere malebant ſuadendo, quam cogendo, cui nimirum favebant leges Romanæ; Trullanum Can. 87. *Quæ Maritum reliquit eſt adultera, ſi venerit ad alium, ut vult ſacer & Divus Baſilius. Qui legitime ſibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, ex Domini ſententia eſt adulterii judicio obnoxius*. Sic Forojulienſe cap. 10. Triburienſe cap. 46. Nannetenſe cap. 12. & tandem Tridentinum Seſſ. 24. Can. 7. *Si quis dixerit Eccleſiam errare cum docuit & docet juxta evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque vel etiam innocentem qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimiſſa adultera aliam duxerit & eam quæ dimiſſo adultero alii nupſerit, anathema ſit*.

Quibus accedit judicium Sacræ Facultatis Pariſienſis quæ nonnullas Eraſmi Propoſitiones ſic notavit an. 1526. *Hæ Propoſitiones quatenus per eas prætendi videtur Matrimonium per adulterium diſſolvi quantum ad vinculum, Hereticæ ſunt; eſt enim Matrimonium jure Divino indiſſolubile*.

Objicies: Manifeſtum eſt Chriſtum permiſiſſe divortium in caſu fornicationis, ait enim Matthæi 5. *Dictum eſt autem: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari. & qui dimiſſam duxerit adulteratur*, & 19. *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic, dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur*. Unde ſic argumentari juvat, poſtulat ratio exceptionis, ut quod cum appoſita exceptione non licet, liceat in caſu exceptionis: ſed Chriſtus prohibet, ne quis dimittat ſuam uxorem & aliam ducat, excepto caſu fornicationis: ergo hoc ipſum licet in caſu fornicationis.

Diſt. min. ita ut exceptio hæc appoſita a Chriſto cadat ſolum in priorem Propoſitionis partem, in hæc nempe verba *qui dimiſerit uxorem*, C. ita ut cadat in iſta verba, *& aliam duxerit*, N. ſic autem intelligendam eſſe Chriſti Propoſitionem conſtat, 1. Quia hæc eſt exceptionis ratio, ut cadat in quod præcedit, nequaquam vero in id quod ſequitur, ut ratiocinatur S. Thomas in 4. diſt. 33. art. 5. ad 4. 2. ex aliis Scripturæ locis in quibus abſolute & ſine ulla appoſita exceptione, prohibetur Matrimonii ſolutio Marci. 10. Lucæ 16. & Rom. 7.

 Putat

Putat S. Auguſtinus lib. 1. De adul. conjug. cap. 9. locum S. Matthæi ex Luca & Marco eſſe intelligendum. Denique ex Traditione Eccleſiæ quæ in hunc ſenſum verba Chriſti interpretata eſt, ut patet ex locis mox laudatis.

Inſt. Cum Chriſtus permittit divortium in caſu fornicationis, loquitur de divortio quoad vinculum, nam de illa dimiſſione loquitur, de qua interrogabatur: ſed interrogabatur a Phariſæis de ſolutione Matrimonii quoad vinculum, quæ nimirum fiebat apud Judæos per repudium a Moyſe permiſſum, Deuteron. 24. igitur.

Reſp. Chriſtum de utroque divortio fuiſſe locutum, quod utrumque ſcilicet reperiebatur in repudio de quo interrogabatur a Judæis, nimirum ait, 1. Uxorem non eſſe dimittendam, quoad thorum ſcilicet niſi in cauſa fornicationis. 2. Aliam duci non poſſe ſine mœchia. Primum exprimit his verbis, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem*. Secundum iſtis, *Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur*. ubi loquitur ſine exceptione.

Inſt. ſi Chriſtus locutus fuiſſet tantum de dimiſſione quoad thorum, non modo in exceptione fornicationem, ſed & multas alias cauſas attuliſſet, in multis quippe aliis cauſis fit dimiſſio quoad thorum: ergo.

Nego ant. Chriſtus enim pro cauſa dimiſſionis fornicationem affert, non quod unica ſit, ſed quia præcipua eſt cauſa dimiſſionis, reliquæ ſunt generales; hæc autem ſola proprie divortii cauſa eſt in conjugio, quatenus conjuges per fornicationem ſeipſos privant jure conjugii.

Objiciunt Græci nunc Schiſmatici, hanc ſemper conſuetudinem viguiſſe in Eccleſia ſaltem Græca, ut Matrimonia ſolverentur etiam quoad vinculum in caſu fornicationis, ut patet, inquiunt, ex antiquis Patribus Græcis.

Ac 1. proferunt S. Epiphanium qui Hæreſi 59. n. 4. ſic loquitur, *Sed cui mortua una non ſufficiat cum occaſione aliqua ſtupri, adulteriique, aut alterius flagitii, cum ea divortium fecerit, is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, Sacrarum Litterarum autoritas ab omni culpa illos abſolvit*. igitur divortium jure Divino licitum eſt.

Reſp. loci hujus, cujus ſuſpectam integritatem fatetur Petavius, verſionem ſic emendandam, *Cui una mortua non ſufficit ob aliquam fornicationem ſeu adulterium, id eſt quod timeat ne in adulterium fornicationemve incidat, ſi a novo conjugio abſtinuerit, in adulterium quidem, ſi cum nupta, & in fornicationem, ſi cum ſoluta coierit*. Et ratio eſt, 1. quia S. Epiphanius ibi agit contra Novatianos qui ſecundas nuptias rejiciebant; 2. quia Hæreſi 30. n. 18. increpat Ebionitas, quod divortium permitterent, 3. Veriſimile non eſt Patres Græcos his temporibus permiſiſſe ſecundas nuptias vivente altero conjugum, qui nempe eas univerſim Pœnitentiæ publicæ ob incontinentiæ ſignum addicebant.

Obj. hæc S Greg. Nazian. verba orat. 31. *Lex quidem omnes ob cauſas Libellum dat repudii: at Chriſtus non ab omnibus, ſed ab impudica tantum & adultera uxore, viro ſeparari permittit*. Hinc ſequitur Chriſtum permiſiſſe in caſu fornicationis quod per Libellum repudii a Moyſe permittebatur, adeoque ſolutionem Matrimonii quoad vinculum.

R. Nazianzenum loqui duntaxat de dimiſſione quoad thorum, quia utitur nomine *ſeparari*, nec de aliis nuptiis ullum habet verbum. Neque vim facias in eo quod Chriſti permiſſionem opponit Libello repudii in antiqua lege uſitato; hic enim Libellus duo continebat, dimiſſionem, & facultatem alteri uxori nubendi.

Obj. S. Chryſoſtomus Homil. 19. in cap. 7. I. ad Corinth. docet per fornicationem ſolutum eſſe Matrimonium, mulierem fornicando abolere jura Matri-

trimonii, fieri conjugem alterius, & Maritum quoque jus amittere Mariti & jam non eſſe ſuæ conjugis Maritum, quæ quidem ſignificant aperte Matrimonium diſſolvi per fornicationem.

Reſp. hæc omnia recte intelligi de dimiſſione quoad thorum, 1. quia nuſpiam S. Doctor permittit conjugibus ſecundas inire nuptias; 2. quia paulo ante dixerat, *Quid eſt quod Dominus præcipit iis qui juncti ſunt Matrimonio uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*. Vide Homil. 63. in c. 19. Matth.

Obj. S. Baſil. Epiſt. ad Amphilochium Can. 9. ſcribit 1. ſe ignorare an adultera ſit quæ cohabitat cum viro dimiſſo in cauſa fornicationis; 2. virum dimiſſum ab uxore dignum eſſe venia, etiam ſi alteri nupſerit; 3. illam, cui iſte nupſerit, non debere condemnari: igitur non putabat Matrimonium ſola morte diſſolubile.

R. S. Baſilium toto hoc Canone expendere non crimen quod admittebant conjuges divortio, ſed pœnas quibus ſubjacere debebant. Unde cum ait ſe neſcire, an ſit adultera quæ cohabitat cum viro dimiſſo, dubitat ſolum, an plecti debeat tanquam adultera; & tum ait, virum dimiſſum, ſi aliam duxerit *eſſe dignum venia*, Balſamon ad Can. 87. Trullanum interpretatur, eo ſenſu quod *non punietur* nimirum ut adulter.

Objicitur etiam autoritas nonnullorum e Patribus Latinis, Tertulliani qui lib. 4. adverſus Marcionem cap. 74. ubi probat legi Moyſis ideo contrariam non eſſe legem Chriſti, quia Chriſtus non omnino prohibuit divortium, quod ſcilicet permiſit in caſu adulterii, *Ita ſi conditionaliter prohibuit uxorem dimittere, non tamen totum prohibuit, quod non prohibuit in totum, permiſit*.

Item S. Hilarii qui Can. 4. in Matth. ſic habet, *Nullam aliam cauſam deſinendi a conjugio præſcribens, quam quæ viro proſtituta uxoris ſocietate pollueret*. & Lactantii in Epitome cap. 8. *Ideo*, inquit, *præcepit Deus non dimitti uxorem niſi crimine adulterii revictam, & nunquam fœderis conjugalis vinculum, niſi quod perfidia ruperit, reſolvatur*. Ubi ſupponit Lactantius ipſum Matrimonii vinculum per adulterii perfidiam diſſolvi.

Verum illos ſimiliter Patres intelligendos eſſe de divortio quoad thorum, ſeu de ſimplici dimiſſione uxoris fornicariæ manifeſtum eſt, 1. Ex ipſorum contextu, qui ex eo ſolum non nihil difficultatis creare poteſt, quod autores tunc temporis ſimplicem dimiſſionem quoad thorum quam Chriſtus permittit in caſu fornicationis non ſatis accurate diſtinxerunt ab ipſius vinculi diſſolutione; 2. quia nullus ex citatis ſcriptoribus expreſſe affirmat licitum eſſe viro propter uxoris adulterium alteri nubere. Sic, v. g. Tertullianus ſcribit tantum conſenſionem Chriſti cum Moyſe ſitam in eo quod generaliter non prohibuit Chriſtus divortium, ſed in cauſa adulterii permiſit, ut permiſerat Moyſes, divortium, inquam, ſimplex in ſola thori ſeparatione poſitum; unde ſequitur Chriſtum non eſſe Moyſi ex omni parte contrarium: legantur attentius quæ ſcribit lib. de Monog. cap. 9.

Quod objicitur ex S. Hilario nihil efficit, quia loquitur duntaxat de ſeparatione conjugum quoad thorum & cohabitationem. Quod & recte dici poteſt de Lactantio, ut his ſignificatur verbis, *non dimitti uxorem*. Nec oppoſitum colligi debet ex voce *vinculi*, quia ſeparatio quoad thorum appellatur ſæpius apud autores conjugalis vinculi ſolutio, ut patet ex citato capite 1. Concilii Forojulienſis, *Placuit ut reſoluto, fornicationis cauſa, jugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere*. Deinde vero dici poteſt Lactantium, qui ſcribit lib. 6. capit. 23. divortium lege Chriſti prohibitum,

in loco objecto dixiſſet vinculum conjugii diſſolvi per fornicationem, loquendo juxta leges Civiles Imperatorum, quæ quidem, ut fatemur, ejuſmodi divortia permittebant ægre id ferente Eccleſia, & reclamantibus ſemper SS. Patribus. Quo ſenſu explicari debet mens Concilii Arelatenſis I. Can. 10. utentis nomine *Concilii*, cum loquitur de hiaqui uxores ſuas in adulterio deprehendunt, *Placuit ut, in quantum poſſit, concilium eis detur ne viventibus uxoribus ſuis alias accipiant*. Sic enim loquuntur Patres quod noverant ſe non poſſe impedire, ne fideles uxoribus relictis alias ducerent propter leges Civiles, quæ id permittebant, aliunde ſignificando rem a Chriſto & Eccleſia eſſe prohibitam; *De his*, inquiunt, *qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt & ii ſunt adoleſcentes & prohibentur nubere* in foro ſcilicet interno.

Certe adverſus illas principum etiam Chriſtianorum leges reclamaſſe SS. Patres manifeſtum eſt ex S. Hieronymo, qui ſic loquitur Epiſt. 3. *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti, aliud Papinianus, aliud Paulus præcepit*. & ex S. Ambroſio lib. 1. de Abrah. cap. 4. *Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum, omne ſtuprum adulterium eſt*; & cap. 7. *Vinctus es uxori, noli quærere ſolutionem; quia non licet tibi uxore vivente uxorem ducere*.

Quæres utrum hæc noſtra aſſertio, qua ſtatuimus Matrimonium Chriſtianorum ſola morte alterius conjugum diſſolvi poſſe, pertineat ad fidem.

Reſpondeo ut certum atque indubitatum hoc affirmare non poſſe Theologos, ſi ad eum modum advertatur, quo ſe geſſerunt PP. Tridentini, cum quæſtio in deliberationem miſſa fuit. Teſtatur Palavicinus lib. 22. Hiſt. Conc. Tridentini cap. 4. Canonem ſic primo formatum fuiſſe, ut anathemate percelleret eos omnes, qui docerent Matrimonium quoad vinculum diſſolvi per adulterium, ſed reformatum fuiſſe poſtea, & eo modo qui nunc extat adornatum Can. 7. *Si quis dixerit Eccleſiam errare cum docuit & docet, &c.* Ex eo nimirum quod poſtulavit orator reipublicæ Venetæ & conqueſtus eſt, quod Græci qui ſub eorum ditione erant, contrariam tenerent ſententiam. Quo fit ut certo affirmari non poſſit Patres Tridentinos valuiſſe ea in re quicquam determinare tanquam de fide certum atque indubitatum.

CAPUT X.

An Matrimonium in infidelitate contractum diſſolvatur per Profeſſionem Religionis Chriſtianæ.

SUpponimus tanquam certum apud omnes Matrimonium ab infidelibus in infidelitate contractum, eſſe verum ac legitimum, etiam poſtquam fidem per Baptiſmum ſuſceperunt, tum quia non videmus in Hiſtoria & Traditione Eccleſiæ, infideles fide ſuſcepta ad iterum nubendum fuiſſe unquam adactos; tum quia rem ita definivit Innocentius III. Cap. *Gaudemus & quanto*. De divortiis. *Reſpondemus*, inquit, *quemadmodum oſtendit Apoſtolus (ſi quis frater infidelem habet uxorem, & hæc conſentit habitare cum eo, non illam dimittat) quia*, ut ibidem ait, *per Sacramentum Baptiſmi non ſolvuntur conjugia, ſed dimittuntur peccata*. Ita Concilium Trid. Can. 9. quod tamen eſt intelligendum de iis infidelibus qui Matrimonia contraxerunt legitima tum in ordine ad legem naturalem, tum in ordine ad leges Principum quibus ſubjiciebantur, Eccleſia enim approbare non poteſt quidquam de ſe malum, & ſic ratum non haberet conjugium alicujus infidelis, qui nupſiſſet mulieri, nondum mortua priori uxore, verum.

Quæritur utrum, ſi ex duobus infidelibus qui contraxerunt Matrimonium, unus ex illis ad Religionem Chriſtianam tranſeat, altero manente ſemper in infidelitate, liceat conjugi Chriſtiano con-

jugem

jugem infidelem dimittere & ad ſecundas nuptias convolare, quo poſito Matrimonium diſſolveretur etiam quoad vinculum per Profeſſionem Religionis Chriſtianæ.

Reſp. juxta communem Theologorum & Canoniſtarum Doctrinam, licitum eſſe Chriſtiano aliam conjugem ducere in caſu propoſito; ſic enim definitum eſt in jure Canonico, ut legitur apud Gratianum 28. q. 2. ubi hæc citantur verba Greg. *Si infidelis diſcedit odio Chriſtianæ fidei, diſcedat, non enim eſt frater aut ſoror ſubjectus ſervituti in hujuſmodi non eſt enim dimiſſio peccatum propter Deum ſi alii ſe copulaverit. Contumelia quippe creatoris ſolvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur.*

Idem docet Innocentius III. cap. *quanto*. Tit. De divortiis, *Si alter infidelium conjugum*, inquit, *ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia Divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit.*

Nititur hæc Doctrina his Apoſtoli verbis, I. Corinth. 7. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in ejuſmodi.* Quibus ſignificat conjugem fidelem apud Chriſtianos non eſſe ſubjectum ſervituti, qua nimirum teneatur abſtinere ab uſu conjugii, ſi alter infidelis & in infidelitate permanens diſceſſerit, ac proinde ad alias nuptias tranſire poſſe.

Quærunt hic Theologi, utrum, ſi alter conjugum infidelis velit habitare cum fideli pacifice & abſque ulla Chriſtianæ Religionis injuria, fidelis tamen poſſit licite illam dimittere.

Reſp. cum Eſtio juxta probabiliorem ſententiam, licitum non eſſe aut ſaltem non expedire, ut fidelis dimittat infidelem in caſu mox propoſito; quia, ut ait, verba Apoſtoli, I. Corinth. 7. expreſſa ſunt, ait enim, *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*, cum inſuper hæc verba ſic interpretati ſunt Tertullianus lib. 2. ad uxorem; S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum; S. Ambroſius in cap. 16. Lucæ.

Dehinc quæritur, quandonam præciſe dirimatur hoc Matrimonium, an per Profeſſionem Religionis Chriſtianæ, vel per Matrimonium, quod poſtea contrahit fidelis, poſt infidelis diſceſſum.

Reſp. communiorem ſententiam eſſe, tunc tantum ſolvi Matrimonium, quando fidelis aliud Matrimonium contrahit, quia ex Innocentio III. cap. *Gaudemus. Quod ſi converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur.* Porro ſi tenetur fidelis Maritus recipere conjugem infidelem converſam priuſquam ipſe tranſierit ad ſecundas nuptias, argumento eſt certiſſimo diſſolutum non fuiſſe Matrimonium, niſi per aliud ſubſequens.

CAPUT XI.

Utrum per Monaſticam Profeſſionem Matrimonium diſſolvatur.

Quæſtio proponi poteſt & de Matrimonio rato & conſummato, & de Matrimonio non conſummato: quoad Matrimonium quidem conſummatum, Græci exiſtimant ipſum quoque diſſolvi per Profeſſionem Religionis Monaſticæ; cui ſententiæ favent quædam leges Civiles, quæ ſine ulla exceptione facultatem concedunt uni ex conjugatis vitam Monaſticam profiteri invito altero. Id ſtatutum fuit a Juſtiniano in Novella 22. ſed hanc praxim, quæ nunc etiam obtinet apud Orientales, improbavit ſemper Eccleſia Latina, ut patet ex autoritatibus ſupra citatis, ad aſſerendam conſtantem & perpetuam de Matrimonii indiſſolubilitate, traditionem.

Quoad

Quoad Matrimonium non conſummatum docuit] Magiſter-Sent. nequaquam diſſolvi poſſe per ingreſſum Religionis, qua in re ab ejus Doctrina recedunt communiter cæteri Theologi & Canoniſtæ, quapropter ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Matrimonium ratum nondum tamen conſummatum diſſolvitur per Monaſticam Profeſſionem alterutrius conjugatorum, ita ut relicto liberum ſit alias inire nuptias.

Probatur ex clara & expreſſa definitione Concilii Tridentini quod Seſſ. 24. Can. 6. ſic habet, *Si quis dixerit Matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem Religionis Profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit*: Id intelligitur, ut patet ex his verbis, ſi ingreſſus fiat in Religionem approbatam per votum ſolemne; neque enim ſolvetur Matrimonium etiam inconſummatum per ſimplex continentiæ votum, ut declaravit Gregorius XIII. in ſua Bulla *Aſcendente Domino*; neque per vitam eremeticam ſolum, nec demum per Sacri Ordinis ſuſceptionem.

Hanc Concilii Tridentini definitionem præceſſerant multæ Conſtitutiones ſummorum Pontificum quæ leguntur in jure Canonico, ut patet ex lib. 3. Decretalium tit. 32. de converſione conjugatorum, ubi ſic loquitur Alexander III. *Verum poſt conſenſum legitimum de præſenti licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere Monaſterium, ſicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti, ſi commonitus continentiam ſervare noluerit, licitum eſt ad ſecunda vota tranſire*. Ubi ſummus Pontifex teſtatur nonnullos extitiſſe Sanctos qui poſt ſuas nuptias perpetuam amplexi ſunt continentiam, cum inter eos non interveniſſet ulla carnis commixtio; ita S. Thecla de qua loquitur S. Ambroſius lib. 2. de Virginibus cap. 3. quod idem confirmavit Innocentius III. cap. *Ex parte.* eodem titulo, ubi teſtatur ſe hac in parte ſequi veſtigia ſuorum Anteceſſorum, *Nos*, inquit, *nolentes a Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare*, &c.

Favet etiam nonnihil ratio quæ ſumitur ex eo quod per ſolemnem Religionis approbatæ Profeſſionem homo quadantenus moritur morte nimirum Civili, quia jam nullius eſt proprietatis capax, nullam habet voluntatem propriam, ſe & ſua omnia tradidit, adeo ut id immutandi poteſtatem ulterius non habeat. Unde quemadmodum per mortem naturalem fatentibus omnibus, Matrimonia diſſolvuntur etiam quoad vinculum, ſic & recte judicavit Eccleſia Matrimonium ratum & non conſummatum dirimi per ſolemnem vitæ Religioſæ Profeſſionem, quæ quidem per leges etiam civiles reputatur mors civilis.

Obj. Hæc Doctrina multis Scripturæ locis aperte contradicit, nam Matth. 19. habetur *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet.* ad Rom. cap. 7. & I. Corinth. 7. pronunciatur generaliter quod *Mulier vivente viro alligata eſt legi*. Immo vetat Chriſtus Matth. 5. ne quis dimittat uxorem niſi propter fornicationem, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*. igitur non licet dimittere uxorem & aliam ducere ob ingreſſum Religionis.

R. Chriſtum Dominum loqui de Matrimonio conſummato, ut interpretatur Alexander III. cap. *Ex publico*, his verbis, *Quod Dominus in Evangelio dicit non licere viro niſi ob cauſam fornicationis uxorem ſuam dimittere, intelligendum eſt ſecundum interpretationem ſacri eloquii de his quorum Matrimonium carnali copula eſt conſummatum*. Nimirum omnes fere qui loquuntur de Matrimonii indiſſolubilitate, eam repetunt imprimis ex unitate carnis, ex eo quod conjuges ſunt una caro, quod fit per conſummationem,

ita

Digitized by Google

ita Lactantius lib. 6. cap. 23. S. Amb. in cap. 16. Lucæ; S. Chryſoſtomus Homil. 63. in cap. 19. Matth. & alii multi, quod & ſatis aperte inſinuat ipſe Chriſtus Matth. 19. *Itaque*, ait, *jam non ſunt duo ſed una caro, quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet*. In quem ſenſum intelligi quoque debent multa Patrum & ſummorum Pontificum Decreta quæ citantur a Gratiano 27. q. 2. & extra. De converſione conjugatorum. cum pro aſſerenda indiſſolubilitate hoc uſurpent argumentum, qua conjuges facti ſint una caro & unum corpus.

Inſt. Non videtur quomodo recentiores quidam ſummi Pontifices & poſtea Concilium Trid. definire potuerint Matrimonium diſſolvi poſſe per ingreſſum Religionis, cum hujuſce Doctrinæ nullum appareat veſtigium, neque in Scriptura neque in tota Traditione.

R. Concilii Trid. definitionem increpari neutiquam poſſe, quia Eccleſia in Concilio Generali congregata, eſt legima interpres verbi Divini, Patres autem Tridentini legitimo cum fundamento judicaverunt hæc Scripturæ loca, quibus aſſeritur Matrimonii indiſſolubilitas, intelligenda tantum ſunt de Matrimonio conſummato, quia videlicet id non leviter inſinuant SS. Patres & aperte definiverant citati ſummi Pontifices, qui dicunt ſe hac in parte ſuorum Prædeceſſorum veſtigiis inhærere. Præterquam quod, ut aliquid iſtiuſmodi definiretur, ſatis erat quod oppoſitum non foret revelatum neque in Scriptura neque in Traditione.

Obj. Si Matrimonium inconſummatum non eſt, omnino indiſſolubile jure Divino: igitur non ſolum propter ſolemnem vitæ Religioſæ Profeſſionem, ſed & propter alias cauſas dirimi poterit, vel ex mera ſummorum Pontificum diſpenſatione: abſurdum conſ. ergo & antec.

Huic objectioni reſpondent nonnulli Theologi fatendo hanc ineſſe ſummis Pontificibus poteſtatem in multis aliis gravibus cauſis Matrimonia non conſummata diſſolvendi, & eos revera non numquam diſſolviſſe. Verum mihi placet Eſtii reſponſio dicentis, Matrimonia Chriſtianorum extra caſum præſentem, qui ſolus ab Eccleſia agnitus & probatus eſt, dirimi non poſſe: aliter quilibet Epiſcopus idem præſtare poſſet in ſua Diœceſi.

At, inquies, videretur a fortiori Matrimonium diſſolvi debere per ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, cui annexum eſt ſolemne votum continentiæ: atqui tamen hoc modo non ſolum Matrimonium definivit Joan. XXII. in extrav. *Antiquæ*. ergo.

Nego ant. Diſparitas eſt, quia mors Civilis non incurritur per Sacros Ordines, quibus conjugium repugnat non per ſe & ex natura ſua, ſed ex definitionibus Eccleſiæ; at vitæ Religioſæ in Monaſterio approbato ut repugnat proprietas, ita & conjugium.

Obj. Matrimonium natura ſua indiſſolubile, non poteſt jure quodam novo ſeu Divino, ſeu Eccleſiaſtico dirimi: ſed tale eſt Matrimonium Chriſtianorum; cum aliunde maxima fieret injuria conjugi relicto, cui alter qui diſcedit & Religionem approbatam ingreditur, negaret debitum, tametſi per contractum Matrimonii poteſtatem corporis ſui alteri dediſſet: igitur.

R. nos jam præmonuiſſe, Matrimonium minus proprie dici natura tua indiſſolubile, quandoquidem in certis caſibus & circumſtantiis dirimitur. Nimirum ſolubilitas vel indiſſolubilitas ſequitur rationem contractus, qui ſub ea conditione ſaltem tacita conſentaneæ ad leges tum civiles, tum Eccleſiaſticas ſit inter Chriſtianos; ut ſi unus è conjugibus ante conſummationem vitam Religioſam amplectatur, alter erit ſolutus, & iterum nubere poterit, quocirca conjugi relicto nulla fit injuria. Hac reſponſione utens S. Thomas in Supplem.

q. 61.

q. 61. art. 2. ait Matrimonium non eſſe indiſſolubile, niſi conditionate.

Obj. Matrimonium ratum & non conſummatum eſt verum Sacramentum; ergo & omnino indiſſolubile.

Nego conſ. Indiſſolubilitas enim Matrimonii conſummati non ſumitur ex ratione Sacramenti quam ſibi vindicat apud Chriſtianos, ſed ex Chriſti inſtitutione & Eccleſiæ Decretis; unde Matrimonia clandeſtina ſine Sacerdotum Miniſterio celebrata ante Concilium Trid. erant indiſſolubilia, nec tamen erant Sacramenta ſaltem in ſententia eorum qui putant Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum.

Porro Matrimonii rati vinculum non ſolvitur ſtatim atque unus e conjugibus aliquod Monaſterium ingreditur, nec per totum anni probationis curriculum, ſed ſolum tempore Profeſſionis quo ſolemne votum emittitur, tunc enim moritur morte civili, & proinde alter relictus non habet ante id tempus facultatem iterum nubendi.

Secunda Conclusio.

Matrimonium conſummatum non ſolvitur per ſolemnem vitæ Religioſæ Profeſſionem.

Probatur, ex autoritatibus ſuprà adductis ut oſtenderetur Chriſtianorum Matrimonia non diſſolvi per adulterium. Ex iis enim habetur ſola morte & nullo alio modo ea dirimi, ut ex cap. 7. ad Rom. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri, &c.* Si autem ſola morte ſolvitur Matrimonium juxta illas generales ſententias, id ſaltem accipi debet de Matrimonio conſummato; præſertim cum in tota Traditione nulla ſit autoritas, quæ alium in ſenſum Scripturam explicet, ſed immo nonnulli Canones mox citati permiſſionem divortii ad ſola reſtringant Matrimonia nondum conſumata.

Neque objici debet lex Juſtiniani cod. de Epiſcopis & Clericis, ubi facultas datur conjugatis ſub caſtitate vivendi. Nam Gregorius Mag. lib. 9. Ep. 39. ad Theotiſtum hanc legem improbat, docetque legi humanæ præferendam eſſe Divinam; vel intelligi poteſt ejuſmodi lex eo ſenſu quod alterius conjugis conſenſus præſupponatur.

Objici quoque non debet quod ſcribit Caſſianus Coll. 21. lib. 9. de quodam Thoma Abbate viro Sanctiſſimo, qui invita uxore in Monaſterium ſeceſſit. Namque, ut reſpondet Eſtius, ſi vera eſt hæc narratio, inter ea Sanctorum facta reponi debet, quæ admiranda magis ſunt quam imitanda.

At, inquies, Matth. 19. ſic loquitur Chriſtus, *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, igitur licet viro uxorem dimittere, ſi vitæ perfectionis genus propter nomen Dei amplectatur.

R. 1. hoc argumentum nimis probare, inde enim ſequeretur diſſolvi poſſe Matrimonium non modo per ingreſſum Religionis, ſed & in omni caſu in quo vellent conjuges aliquod vitæ ſanctioris genus amplecti propter nomen Dei & in ordine ad ſalutem, quod certe non pertendunt adverſarii; quamobrem hæc Chriſti verba intelligi debent ad ſummum de dimiſſione quoad thorum, quatenus, ut mox dicturi ſumus, licet viro ſic dimittere uxorem ſervatis ſervandis.

Quæres utrum duo conjuges poſſint de communi conſenſu in Monaſteria ingredi & Monaſticam Religionem profiteri.

Reſpondeo id licitum eſſe, ut patet ex cap. *Sunt qui dicunt*. 2. cauſa 7. q. 2. & cap. *Uxoratus* tit. *De converſione conjugatorum*, ita tamen ut ſerventur conditiones in Canonibus requiſitæ, ſi, v. g. filiis

filiis ex eorum Matrimonio ortis provideatur, &c. Conſuli debent Canones.

CAPUT XII.

De divortio quoad Thorum & cohabitationem.

Circa ſeparationem conjugatorum quoad thorum & cohabitationem, manente ſemper vinculo Matrimonii, hæc ſunt tenenda.

1. Separatio quoad thorum aliquo modo differt a ſeparatione quoad habitationem; quatenus nempe; ſi vir, v. g. certo notam habeat uxoris fornicationem, ſed quæ aliunde ſit occulta & minime notoria, poterit quidem ei negare debitum, in quo poſita eſt ſeparatio quoad thorum, quia hoc ipſo ſolutus eſt ab obligatione reddendi debiti, ſed non poteſt eam e domo ſua repellere, in quo conſiſtit ſeparatio quoad habitationem, donec adulterii ſufficienter convicta fuerit uxor.

2. Supponendum eſt jus divortii æqualiter ad utrumque conjugem pertinere, ita ut pari jure mulier virum & vir mulierem dimittat. Quod enim permiſit Chriſtus loquens de Maritis, Matth. 5. *Quicumque dimiſerit uxorem niſi ob fornicationem, &c.* Id permiſit S. Paulus uxoribus I. Corinth. 7. *Iis autem*, inquit, *qui Matrimonio juncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam aut viro reconciliari.* Ubi ſermo eſt de licito mulieris diſceſſu, quia penes ipſam eſt ut vel innupta maneat, vel viro reconcilietur. Id porro aſſeritur multis Eccleſiæ Canonibus qui habentur apud Gratianum 32. q. 5. & 7.

3. Separatio quoad thorum & habitationem etiam poſt Matrimonii conſummationem, manente tamen vinculo, fit propter continentiam, ſi nempe ambo conjuges & conſenſu perpetuam continentiam voveant quod fundatur in his Chriſti verbis, Matth. 9. *Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut uxorem & propter nomen meum vitam æternam poſſidebit.*

4. Separatio quoad thorum etiam altero ex conjugatis non conſentiente, non modo fit in caſu fornicationis, ſed & propter alias multas cauſas, ut adverſus Lutheranos definivit Concilium Trid. Seſſ. 24. Can. 8. his verbis, *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum ſeu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.* Id quidem licitum eſſe in caſu fornicationis apertum eſt ex ſæpius citatis Scripturæ locis, Matth. 5. & 19. & I. Cor. 7.

Quod autem & ob alia crimina ejuſmodi ſeparatio fieri licite poſſit, conſtat ex perpetua Eccleſiæ praxi, ut videre eſt in Decretalibus, tit. *De Divortiis*. Idque fundatur in his Scripturæ teſtimoniis, quæ docent id omne arcendum quod Saluti noſtræ impedimentum eſſe poteſt, & ruinæ cauſa, Matth. 18. *Si oculus tuus ſcandaliſat te, erue eum & projice abs te.* Quod intelligendum eſt generaliter de iis graviſſimis ſceleribus, quæ innocentem conjugem ad peccatum vel etiam ad corporis mortem pertrahere poſſent.

Neque opponi debet quod Chriſtus videtur iſtud reſtringere ad ſolum fornicationis caſum, Matth. 5. *Omnis qui dimiſerit uxorem, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari:* nam 1. non negat abſolute uxorem extra illum caſum dimittendam, ſed ait dimittentem extra illum caſum facere mœchari. 2. Excipere voluit ſolum cauſam quæ Matrimonium ſpectat: aliæ enim cauſæ quaslibet diſſolvunt ſocietates, ſolo adulterio proprie diſſolvuntur jura Matrimonii.

Putat tamen S. Hieronymus in cap. 19. S. Matthæi licitum non eſſe marito ſuam dimittere uxorem, excepta fornicationis cauſa, & ſi habeat illa mores ad ſervandam ſocietatem male accommodatos, quia onus iſtud Matrimonii eſt, cur enim homines, cum ſint liberi, tali ſervituti

ſeſe ſubjiciunt? *Grave pondus*, inquit, *uxorum eſt*, *ſi*, *excepta fornicationis cauſa*, *eas dimittere non licet*. *Quid enim? Si temulenta fuerit*, *ſi iracunda*, *ſi malis moribus*, *ſi luxurioſa*, *ſi guloſa*, *ſi vaga*, *ſi jurgatrix*, *ſi maledica*, *tenenda erit hujuſmodi? Volumus*, *nolumus*, *ſuſtinenda eſt*, *cum enim eſſemus liberi*, *voluntarie nos ſubjecimus ſervituti*. Quod tamen intelligi debet, ſi conjux alterum conjugem non ſolliciter ad peccandum, tunc enim licita eſt ſeparatio propter periculum ſubverſionis.

Obſervandum eſt tamen licitum ſemper non eſſe uxorem dimittere etiam in caſu fornicationis, puta, ſi ejuſmodi fornicatio non fuerit voluntaria, ſed ſi vim paſſa fuerit mulier; vel ſi vir ipſe uxorem ſuam proſtituerit, hoc ipſo enim jus amittit illam dimittendi; vel ſi poſt adulterium cognitum cum uxore fuerit reconciliatus; vel demum ſi ipſe adulterii ſit convictus, quia, ut ait Innoc. III. extra. De adulteriis cap. Tua. *Paria crimina mutua compenſatione delentur*.

Quæritur utrum non modo vir poſſit licite, ſed etiam teneatur uxorem adulteram dimittere.

Reſp. cum diſtinctione, ſi nimirum uxor ſigna pœnitentiæ & emendationis dederit, tunc non tenetur vir eam dimittere, quia S. Paulus I. Cor. 7. docet debere mulierem quæ a viro ſuo diſceſſit, innuptam manere aut viro ſuo reconciliari; ſi autem reconciliationi locus eſt poſt ſeparationem, a fortiori antequam fiat; ſed ſi mulier in adulterio perſeverat, tenetur vir eam dimittere, ne videatur ejus delictum approbare, ut habetur in Canonibus apud Gratianum 32. q. 1. cap. *Apud*. id etiam colligitur ex ſcripturis, nam Proverb. 8. *Qui tenet adulteram ſtultus eſt & impius*. Quam tamen dimittendi obligationem in mulieribus non eandem ac in viris agnoſcunt Canoniſtæ & Theologi, quia uxor quæ non eſt viri caput, pari cum autoritate virum revocare non poteſt; unde non cenſetur in ejus crimen conſentire non recedendo.

Caput XIII.

De ſecundis nuptiis.

Secundas nuptias velut de ſe malas & illicitas damnarunt olim Montaniſtæ, quibus hac in parte adhæſit Tertullianus, ut patet ex ejus Libro de Monogamia. Item Novatiani, teſte Theodoreto lib. 3. Hæret. Fabul. contra quos ſit

Conclusio.

Licitæ ſunt ſecundæ, tertiæ, & ulteriores nuptiæ.

Probatur 1. ex Scripturis nimirum Apoſtolus I. Corinth. 7. hæc ſcribit *Mulier alligata eſt legi*, *quanto tempore vir ejus vivit*, *quod ſi dormierit vir ejus*, *liberata eſt*, *qui vult*, *nubat tantum in Domino*. Ad Rom. cap. 7. dicit idem Apoſtolus, mulierem, ſi poſt viri ſui mortem alteri nupſerit, non fore adulteram; & I. ad Timoth. 5. loquens de viduis, *Volo*, inquit, *juniores nubere*, *filios procreare*, *&c.* Quæ quidem aperte demonſtrant in doctrina S. Pauli licitas & de ſe honeſtas eſſe ſecundas nuptias.

2. Probatur ex perpetua Eccleſiæ doctrina & praxi, Patres enim ab omni ævo ſecundas & ulteriores nuptias ſemper approbarunt, ut facile colligitur ex Origene Homil. 17. in Lucam, ex S. Chryſoſt. Homil. 19. & 20. in Epiſt. ad Epheſ. ex S. Clemente Alex. lib. 3. Stromatum, ex S. Epiphanio Hæreſi 48. ex S. Gregorio Nazianzeno oratione 29. item S. Hieronymus, lib. contra Jovinian. cap. 8. ſic habet: *Non damno Bigamos*, *imo nec Trigamos & ſi dici poteſt Octogamos*; S. Amb. lib. de viduis, *Neque enim prohibemus ſecundas nuptias*, *ſed non probamus ſæpe repetitas*, *licet enim nubere*, *ſed pulchrius eſt abſtinere*; & S. Auguſtinus lib. de bono viduitatis cap. 12. *Breviter reſpondeo nec ullas nuptias audeo*, *nec eis verecundiam numeroſita-*

tatis auferre quid Pauli & ſententiæ quantum ad hanc rem pertinet, addi vel detrahi poſſit ignoro. Conſuli etiam poſſunt quæ ſcribit lib. de Hæreſibus 26. 36. & 38. tum & Theodoretus loco ſupra citato; S. Fulgent. lib. de fide ad Petrum; & alii paſſim SS. Patres.

3. Id probatur ex Concilio Nicæno M. quod Canone 8. Novatianos recipit ea lege ut *Catholicæ Eccleſiæ dogmata ſuſcipiant & ſequantur, id eſt & Bigamis ſe communicare:* unde patet Novatianos erroris contra fidem redargui, quod ſecundas nuptias damnarent & cum Bigamis communicare nollent. Quo circa his poſtremis temporibus Eugenius IV. in ſuo Decreto ſic loquitur de nuptiis, *Declaramus non ſolum ſecundas ſed etiam tertias & quartas atque ulteriores, ſi aliquod impedimentum non obſtat, licite contrahi poſſe*.

Obj. Ea fuit veterum Patrum præſertim Græcorum doctrina, ſecundas nuptias per ſe malas. 1. Quia eas expreſſe condemnant vel etiam ut iniquas & velut quandam caſtigatam fornicationem; ita S. Gregor. Nazian. orat. 31. *Hac enim oratione deprecari mihi videtur Apoſtolus, ſecundas nuptias ...... quod ſi ſecundam prohibeat, de tertia quid dicendum? Primum lex eſt, ſecundum venia, & indulgentia, tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane eſt*.

Sic & S. Baſilius Epiſt. ad Amphil. Can. 4. *Trigamorum & Polygamorum eumdem Canonem definimus, quem in Bigamis, proportione, annum enim in Bigamis, alii vero duos annos, Trigamos autem ſæpe tribus & quatuor annis ſegregant. Id autem non amplius conjugium ſed Polygamiam appellant, vel potius caſtigatam fornicationem*.

2. Id merito colligitur, ex eo quod ejuſmodi ſecundas nuptias & ulteriores, Pœnitentiæ publicæ ſubjiciebant, ut patet ex Can. 4. S. Baſilii mox allato, & ex Concilio Neocæſarienſi Can. 3. ubi ſic loquitur: *De his qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem præfinitum manifeſtum eſt*. Sciunt autem omnes non niſi propter gravia crimina impoſitam fuiſſe Pœnitentiam publicam.

3. Id conſtat ex eo quod idem Concilium Neocæſarienſe Can. 7. vetat, ne quis presbyter interſit convivio ſecundarum nuptiarum. Quod nimirum videretur eas approbare, *Presbyteris in nuptiis Bigami prandere non convenit, quia cum pœnitentia Bigamus egeat, quis erit Presbyter qui propter convivium talibus nuptiis poſſit præbere conſenſum*. Igitur nuptiæ de ſe ſunt malæ & illicitæ.

Reſp. falſum eſſe Græcos Patres improbaſſe ſecundas nuptias ut de ſe malas, quemadmodum colligitur ex laudatis ſupra autoritatibus; quibus addi poteſt Canon. I. Concilii Laodicæni, hæc ſtatuentis, *De his qui ſecundum eccleſiaſticam regulam libere ac legitime ſecundis nuptiis juncti ſunt, &c.*

Quod autem in ſecundas nuptias, vel etiam velut in quaſdam fornicationes *caſtigatas*, ut ait S. Baſilius, quandoque invehantur, merito reſpondetur Patres illos hyperbolice & improprie ſic locutos, eo quod vellebant Chriſtianos avocare a ſecundis nuptiis quæ ſpeciem quandam libidinis & incontinentiæ præ ſe ferre videntur. Duo hæc magnopere differunt, quod quidam Patres improbent ſecundas nuptias, & quod illas condemnent ut malas & illicitas. Et certe iidem Patres in aliis locis ſecundas nuptias approbant, ſic Gregorius Nazianz. orat. citata Novatum increpat, quod contra S. Pauli doctrinam viduis junioribus nuptias non permittat, *Anne junioribus quidem viduis*, inquit, *propter ætatis lubricum ineundi Matrimonii poteſtatem facis?* & Baſilius citata Epiſt. Can. 41. *Quæ in viduitate*, inquit, *habet ſui poteſtatem & viro cohabitat, ab omni accuſatione eſt libera, ſi nemo eſt qui conjugium divellat, cum dicat Apoſtolus, Si mortuus ſit Maritus, libera eſt, cui vult nubat, tantum in Domino*. 2. Id ſolum objici poteſt de uno aut altero

e SS. Patribus, qui forſan hac in parte ſeveriores extiterunt. Quomodo ſolvendum eſt quod objicitur ex Concilio Neocæſarienſi, cui merito nos opponimus allata Nicæni Mag. & Laodiceni Decreta.

Quod autem juxta antiquum Eccleſiæ ritum ſecundæ nuptiæ non benedicuntur, imo id prohibeatur *extra*. de ſecundis nuptiis. cap. *Capellanum*. & cap. *Vir autem*. ſolent reſpondere benedictionem ejuſmodi, per quam Eccleſia mulieri fœcunditatem apprecatur, non videri propterea iterandam. Unde nec minimum innuitur ſecundas nuptias cenſeri in Eccleſia malas & illicitas. Quibus adde a multis Conciliis Provincialibus & in multis ſtatutis Synodalibus prohibitos eſſe certos ludos, quibus irridere ſolet populus ſecundas nuptias, quas nempe appellant gallice *Des charivaris*, unde colligitur ſecundas & ulteriores nuptias nec malas nec etiam nunc odioſas apud nos haberi.

Caput XIV.

De Polygamia.

Agitur de Polygamia qua quis plures ſimul haberet uxores, & quæritur an ſit illicita & ſemper fuerit prohibita. Tria autem ſuper ea re mihi videntur certiſſima: 1. Polygamiam initio generis humani non fuiſſe licitam; 2. eam poſtea nempe temporibus Patriarcharum poſt diluvium & ſub lege Moſaica fuiſſe, Deo ita volente, licitam; 3. demum eam a Chriſto fuiſſe prohibitam & nunc merito culpandam.

Prima Concluſio.

Polygamia non fuit initio generis humani licita, ſed videtur jure divino prohibita, id colligitur, 1. ex cap. 2. Geneſeos, ubi ait Scriptura quod *Vir adhærebit uxori ſuæ*, non ait uxoribus. Deinde *Erunt duo in carne una*, quod & Chriſtus injunxit, cum de Matrimonio locutus eſt Matth. 19. *Itaque jam non ſunt duo ſed una caro*. Inde ſignificans hanc fuiſſe primævam conjugii inſtitutionem, ut conjugati ſint una caro, quod certe cum Polygamia pugnat.

2. Quia licet contra Polygamiam nulla in veteri Teſtamento expreſſa lex habeatur, eam nihilominus juri divino non fuiſſe conſonam, probatur ex eo quod non legimus quemquam ante Abrahamum duas habuiſſe ſimul uxores, præter Lamech quem propterea reprehendunt nonnulli e SS. Patribus, ut S. Hieron. Epiſt. 85. & 91. Nicolaus I. Epiſt. ad Lotharium; imo Tertullianus ait lib. de Monogamia cap. 5. eum divinam inſtitutionem violaſſe, *vim paſſa inſtitutio Dei per Lamech*.

Quod ſi quæratur, cur initio mundi, cum multiplicatio generis humani videbatur maxime procuranda, Deus non permiſit Polygamiam quam poſt diluvium propter eundem finem Judæis ſaltem conceſſit, ut mox oſtendetur. Reſpondeo hujus rei magis appoſitam rationem eſſe, qua dicitur ita rem fuiſſe, quia voluit Deus, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, & viæ inveſtigabiles.

Secunda Concluſio.

Polygamia poſt diluvium fuit licita.

1. Quia ſic loquitur Scriptura, ut aperte ſignificet licitam tunc & probatam fuiſſe Polygamiam, Deuteron. cap. 21. *Si habuerit homo uxores duas unam dilectam & alteram odioſam genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, &c.* Ubi clare aſſeritur tunc temporis videlicet apud Judæos receptam fuiſſe conſuetudinem plures ſimul habendi uxores.

2. Abraham, Jacob, David & alii paſſim plures ſine dubio habuerunt uxores; ſed nuſpiam criminis & adulterii propterea accuſantur in Scripturis, ubi contra tamquam electi & viri Sanctiſſimi prædicantur, ut patet ex iſtis verbis,

bis, Matth. cap. 8. *Ut recumbant cum Abraham, Iſaac, & Jacob in Regnum Cælorum.*

3. Quia Scriptura cum loquitur de illis mulieribus quas ſecundo loco ducebant Patriarchæ; eas vocat uxores, neutiquam vero fornicarias, vel adulteras: nam, v. g. Lia & Rachel, duæ fuerunt Jacob conjuges, utraque ejus uxor ſemper nominatur.

4. Quia hæc communis fuit SS. Patrum ſententia: S. Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. ait conjugium Abrahæ cum Agar peccatum non fuiſſe, ſed myſterium; S. Hieronymus Epiſt. 85. hæc habet, *Sciebat* Apoſtolus, *lege conceſſum & exemplo Patriarcharum ac Moyſi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos ſpargere*. Sic Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 38. & lib. 22. contra Fauſtum cap. 47. S. Chryſoſtomus Homil. 56. in Geneſ. Innocent. III. cap. *Gaudemus*. de divortiis, & omnes paſſim Theologi.

Objicies: Licitam non fuiſſe Polygamiam Patriarcharum multis colligitur momentis.

1. Quia Scriptura mulieres illas præter primam uxorem, appellat Concubinas Geneſ. 25. *Dedit Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera.*

2. Joan. 8. ut Judæi ſignificarent ſe non deſcendere ex Agar Concubina Abrahæ, ſed ex Sara uxore dicunt, *Nos ex fornicatione non ſumus nati.*

3. Favent nonnulli Patres, S. Ambroſius lib. 1. de Abrah. cap. 4. ex eo defendit Abrahamum qui Agar aſſumpſerat, vel quod adulterium nondum erat lege prohibitum; vel quod conſentiente Sara id fecerat; vel quod ibi ſit aliquod myſterium: & ſimiliter S. Auguſtinus contra Manichæos ab adulterii crimine hunc Patriarcham ex eo vindicat quod cogente Sara & gratia prolis, non ardore libidinis id egerat. lib. 2. contra Fauſtum c. 3. & l. 2. contra adverſ. legis C. G. ſi autem exiſtimaſſent illi Patres licitam fuiſſe Polygamiam Abrahami, hoc ſtatim & facile reſpondiſſent. Item S. Leo Epiſt. 2. ad Ruſticum docet expreſſe Concubinam non eſſe uxorem: igitur.

Reſp. hæc argumenta nihil omnino efficere.

1. Quidem revera mulieres illæ quæ poſt primum conjugium aſſumebantur, quandoque in Scripturis appellantur Concubinæ, ſed & vocabantur etiam uxores; nam Agar, Cethura, Bala, & Zelpha modo uxores, modo Concubinæ vocantur, ut videre eſt Geneſ. 16. 25. 30. & 35. & ſimiliter quæ II. Reg. Davidis vocantur Concubinæ, eædem cap. 12. uxores vocantur. Id tamen diſcriminis erat inter primam uxorem & ejuſmodi Concubinas, quod iſtarum filii ad hereditatem non admittebantur: nam Geneſ. 21. Sara dixit ad Abraham: *Ejice ancillam* Agar, *& filium ejus, non enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

Ad ſecundum dico cum interpretibus hunc locum intelligi de idololatria quæ fornicatio ſpiritalis ſæpius dicitur in ſcripturis, quaſi dixiſſent Judæi, nos non deſcendimus ex idololatris, ſed ex Patriarchis verum Deum colentibus; dicunt enim ibidem, *Pater noſter Abraham eſt.* Deinde ſi hoc intelligas cum Euthymio ad ſenſum objectionis, inde ſolum ſequitur quoſdam Judæos putaſſe Agar meram fuiſſe concubinam.

Ad tertium. Reſpondeo illos Patres non aſſerere Abrahami cum Agar commixtionem fuiſſe malam, namque S. Ambroſius teſtatur, ut diximus, hocce conjugium fuiſſe myſterium, non adulterium, & S. Auguſtinus clare docet Polygamiam tunc temporis nulla lege prohibitam, ejus loca mox referemus. Denique S. Leo dicit Agar fuiſſe ancillam Abrahæ, nec eam fuiſſe uxorem negat.

Quæres utrum divina hæc diſpenſatio ad omnes Judæos ſe extenderit.

Reſpondeo affirmative, ut aperte conſtat ex his verbis Deuteron. cap. 21. *Si habuerit homo uxores duas, unam di-*

le-

lectam & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum. Lex illa fertur pro tota Judæorum gente, non pro ſolis Patriarchis.

TERTIA CONCLUSIO.

Illicita eſt Polygamia in hoc legis Evangelicæ ſtatu, eſt contra Lutherum & Anabaptiſtas.

Prob. 1. ex ipſius Chriſti verbis, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam*, inquit, Lucæ 16. *& aliam duxerit, mœchatur*, profecto ſi mœchatur qui priori uxore dimiſſa aliam ducit, a fortiori mœchatur qui aliam ducit priori retenta, unde cum Apoſtolus Rom. 7. & I. ad Cor. 7. loquitur de Matrimonio, ſupponit ſemper unicam eſſe cuilibet viro uxorem, uti ſemper obſervatum fuiſſe apud Chriſtianos docet Hiſtoria Eccleſiaſtica. Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi ..... igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*.

2. Hanc doctrinam tradunt SS. Patres, & videre eſt apud Siricium epiſt. 1. Innocent. I. epiſt. 9. Auguſtinum lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 8. Nicolaum I. epiſt. 13. quæ eſt ad Lotharium; Innocent. III. extr. de divortiis cap. *Gaudemus*; & tandem Concilium Trid. quod Seſſ. 24. Can. 2. ſic rem definit adverſus Lutherum, *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit*.

Neque objici debet quod ſcribit Socrates lib. 4. Hiſtoriæ cap. 31. Imperatorem Valentinianum duas duxiſſe uxores, & hanc propterea tuliſſe legem, *Ut cuilibet volenti liceret duas uxores habere legitimas*. nam ejuſmodi lex, ſi lata fuit a Valentiniano, contraria fuit legi divinæ & a nemine probanda.

Neque etiam dici debet S. Auguſtinum docere lib. 22. contra Fauſtum cap. 47. nulla lege prohibitam fuiſſe Polygamiam, *Quid tandem*, inquit, *criminis eſt, quod de pluribus uxoribus ſimul habitis objicitur Sancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi ſed gignendi cauſa illis mulieribus utebatur, ſi præceptum, nulla lege prohibebatur*. ergo.

Facilis eſt reſponſio, nam S. Auguſtinus loquitur de veteri teſtamento, & de Judæis apud quos nulla extabat lex quæ Polygamiam prohiberet, quod quidem locum non habet pro Chriſtianis, ut mox oſtenſum eſt.

Quæritur hic utrum Polygamia ſit juri naturali contraria?

Reſp. Theologos hac in parte diſſidere. Sentiunt multi Polygmiam legi naturali adverſari hoc præcipue momento, quod ſequeretur non peccare Gentiles qui plures habent uxores, eos nempe qui ſola lege naturali ducuntur, & quibus annuntiatum non fuit Chriſti Evangelium; non peccant enim in iis quæ lege ſolum poſitiva præcipiuntur, & quæ invincibiliter ignorant; abſurdum conſequens: ſic enim excuſarentur Mahometani & innumeri alii qui uxorum multiplicitatem admittunt.

Deinde, inquiunt, ratio dictat Polygamiam multas parere diſcordias & tranquillitati domeſticæ maxime contrariam eſſe.

Alii vero docent Polygamiam de ſe juri naturali non eſſe contrariam, & iſta quidem ſententia mihi videtur probabilior; 1. Quia quod legi naturali adverſatur, de ſe eſſentialiter & ex natura ſua malum eſt, ita ut licitum evadere non poſſit: ſed talis non eſt Polygamia; Deus enim illam permiſit Patriarchis in veteri teſtamento. Certe ſibi hac in re non conſtant Theologi, qu docent ex una parte Deum non poſſe diſpenſare a præceptis legis naturæ, fatentur autem Deum diſpenſaſſe cum Patriarchis circa Polygamiam, & volunt tamen eam lege naturali prohibitam.

2. Quia

2. Quia Polygamia non adverſatur proprio & legitimo fini Matrimonii, puta, liberorum procreationi, quæ quidem ratio eo magis eſt efficax, quod idcirco legi naturali contrarium cenſeatur uxorem habere plures Maritos, quia id directe pugnat contra primarium Matrimonii finem, ſcilicet prolis generationem; quod peræque dici non poteſt de Polygamia, quæ in eo poſita eſt, quod vir plures ſimul habeat uxores.

3. Hæc ſine dubio fuit S. Auguſtini ſententia lib. 22. contra Fauſtum 47. hæc ſcribentis: *Peccata alia ſunt contra naturam, alia contra morem, alia contra præcepta. Quæ cum ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus ſimul habitis uxoribus objicitur Sancto viro Jacob. Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed generandi cauſa, illis mulieribus utebatur: ſi morem, illo tempore atque illis terris factitabatur; ſi præceptum, nulla lege prohibebatur*, quem ſecuti ſunt multi Theologi Durandus, Abulenſis, Maldonatus, Valentia &c.

Priori autem adverſariorum momento reſpondetur, nihil abſurdi eſſe, quod dicatur infideles, qui de Chriſto, & de lege divina Polygamiam prohibente nihil unquam audierunt, hancque conſequenter legem invincibiliter ignorant, non peccare præciſe propter Polygamiam, nemo enim peccat in eo quod cavere non poteſt. Deinde docent communiter Theologi jus naturale, ſi non quoad prima principia ſaltem quoad concluſiones a principiis remotioribus invincibiliter ignorari poſſe; fatentur autem adverſarii Polygamiam non pertinere ad jus naturale quoad prima principia, ſed quoad concluſiones ſpectatum; *Pluralitas uxorum ſimul*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 33. quæſt. 1. *non pertinet ad primaria, ſed ad ſecundaria dumtaxat naturæ præcepta*, ergo fateantur neceſſe eſt legem quæ vetat Polygamiam poſſe invincibiliter ignorari ab infidelibus.

Poſteriori argumento reſpondemus non omne quod ratio dictat eſſe malum, hoc ipſo pugnare contra legem naturalem, ſed quod de ſe & natura ſua malum eſt, ita ut non poſſit eſſe licitum. Unde Polygamia quam Deus permiſit Patriarchis, minus proprie dici poteſt juri naturæ contraria.

CAPUT XV.

De impedimentis Matrimonii.

IMpedimenta Matrimonii duplicis ſunt generis, alia quæ dicuntur prohibentia, alia vero dirimentia. Prohibentia ſunt ea, propter quæ Matrimonium illicite contrahitur, licet ſit validum, ut ſi, v. g. contrahatur tempore prohibito. Dirimentia vero ſunt ea, propter quæ Matrimonium nullum eſt, & plane invalidum ſi contrahatur, ut ſi cognati in gradu prohibito Matrimonium inire tentent; dicuntur dirimentia, non quod dirimant Matrimonium antea contractum, quia Matrimonium eſt de ſe & ex natura ſua indiſſolubile; ſed quia efficiunt ut habeatur pro nullo & invalido, ſi cum aliquo ex illis impedimentis contrahatur: quænam ſint illa utriuſque generis impedimenta juxta præſentem Eccleſiæ uſum & diſciplinam mox aperiendum eſt.

Prohibentia impedimenta numerantur quatuor, quæ hoc verſu continentur.

Eccleſiæ vetitum, votum, ſponſalia, tempus.

Eccleſiæ vetitum, ſcilicet ſi prohibitum eſſet ab Epiſcopo aut Judice Eccleſiaſtico nubere volentibus ne Matrimonium contraherent ob aliquam ſcilicet cauſam legitimam, quod, v. gr. parentum ſuorum conſenſum non haberent. Vocatur illud impedimentum prohibitio Superioris Eccleſiaſtici, cui ſubmittere ſe debent lubenter qui nubere ambiunt.

Votum, quod intelligitur de voto ſimplici ſive caſtitatis ſervandæ, ſive Religionis amplectendæ; ut enim poſtea dicetur, votum ſolemne Religionis approbatæ eſt impedimentum dirimens. Cap. *Veniens*, & cap. *Meminimus*. *Cum enim in voto*

voto ſimplici, inquit S. Thomas in quartum, diſt. 38. qu. 1. art. 2. *non ſit niſi ſimplex promiſſio proprii corporis ad continentiam ſervandam Deo facta*, *poſt votum ſimplex adhuc remanet homo dominus ſui corporis*.

Sponſalia, nimirum ſponſalia legitime contracta impediunt, ne contrahentes novum inire poſſint Matrimonium, antequam ea juridice fuerint diſſoluta, cap. *Ex litteris*, *de ſponſalibus*. Vide quæ dicta ſunt infra, ubi de Sponſalibus.

Tempus demum, ſcilicet prohibetur ab Eccleſia, ne in certo tempore celebrentur nuptiæ, juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam, interdicuntur *ab adventu Domini noſtri Jeſu-Chriſti uſque in diem Epiphaniæ*, *& a feria IV. Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive*. *Antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari ſancta Synodus præcipit*, inquit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 10. de reformatione.

Impedimenta dirimentia jam ante Concilium Trid. numerabantur duodecim, nimirum error quantum ad perſonam, error quantum ad conditionem; ſolemne continentiæ votum; cognatio in certis gradibus prohibitis; crimen, hoc eſt certa crimina graviſſima; cultus ſeu Religionis diſparitas; vis ſeu coactio; Ordo, hoc eſt, ſi quis ſit uno ex ſacris Ordinibus initiatus; ligamen, id eſt, ſi alterutec e contrahentibus ab alio Matrimonio non ſit ſolutus; honeſtas publica; affinitas in certis gradibus; & impotentia. His impedimentis duo alia de novo adjunxit Synodus Trid. ſcilicet clandeſtinitatem, & raptum; quibus & additur amentia, ideoque ſolent in toto numerari quindecim juxta hos verſus,

Error, *conditio*, *votum*, *cognatio*, *crimen*,
Cultus diſparitas, *vis*, *Ordo*, *ligamen*, *honeſtas*,
Amens, *affinis*, *ſi clandeſtinus*, *& impos*,
Si mulier ſit rapta loco, *nec reddita tuto*,
Hæc facienda vetant connubia, *facta retractant*.

Hæc impedimenta dicuntur dirimentia, quia ſubſtantiam ipſius Matrimonii attingunt, illudque reddunt invalidum, & plane nullum, ſingula ſigillatim & paucis explicabimus.

ERROR.

Multiplex diſtinguitur error in hoc caſu, videlicet error perſonæ, error conditionis, vel etiam error fortunæ.

Error, ut ſit impedimentum dirimens, debet eſſe circa perſonam, ut ſi quis crederet Matrimonium contrahere cum aliqua puella, & altera ipſi ſupponeretur, intendens, v. g. cum Anna contrahere, ipſi ſupponeretur Paula. Hoc Matrimonium eſſet nullum & invalidum; ratio eſt, quia conſenſus eſſentialiter requiritur ad Matrimonium, talis autem error tollit conſenſum nubentis, cui puella falſo ſupponitur, non enim conſenſit in hanc, ſed in eam quam putabat eſſe; unde ut habetur in jure Canonico cauſa 29. q. 1. conjugium Jacob cum Lia non fuit verum, niſi per conſenſum ſubſequentem, quo Liam acceptavit poſtea in uxorem. Quæ quidem doctrina eſt S. Thomæ in 4. diſt. 30. qu. 1. artic. 1. hæc ſcribentis: *Matrimonium quod fuit inter Liam & Jacob non fuit perfectum ex ipſo concubitu qui ex errore contigit*, *ſed ex conſenſu qui poſtmodum acceſſit*.

Ejuſmodi impedimentum juris eſt naturalis, ut ibidem probat S. Thomas. *Error perſonæ*, inquit, *de jure naturæ Matrimonium impedit*, *quicumque impedit cauſam de ſua natura impedit effectum ſimiliter*, *conſenſus autem eſt cauſa Matrimonii*, *& ideo quod evacuat conſenſum*, *evacuat Matrimonium*.

Dixi ſolum errorem in perſona eſſe impedimentum dirimens, alius enim quivis error circa conditionem, qualitatem aut fortunam, ut ſi quis crederet nubere cuidam puellæ diviti, quæ non eſſet dives, nobili & quæ plebeia eſſet ac ignobilis, ejuſmodi Matrimonium eſſet validum; & ratio eſt, quia

ut

ut ait S. Thomas ibid. *error fortunæ vel qualitatis non excludit conſenſum, non ſecus ac ſi quis emerit agrum vel vineam quam putabat eſſe uberrimam, quamvis ille erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non poteſt tamen venditionem reſcindere. Diverſitas qualitatis non variat aliquid eorum quæ ſunt de eſſentia Matrimonii.*

Obſervat tamen S. Doctor errorem nobilitatis quandoque ſecum importare errorem perſonæ, ut ſi quis intendit contrahere cum filia Regis natu majore & Regni herede præſumpta, contrahit tamen cum natu minore, in quo caſu ejuſmodi error Matrimonium impedit, *Sed ſi error*, inquit, *nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit Matrimonium.*

Quæres quid facto ſit opus, quando Matrimonium cum tali errore perſonæ fuit contractum.

R. 1. reddi validum ex ſolo accedente novo conjugum conſenſu, modo fuerit celebratum in facie Eccleſiæ; & talis error perſonæ non fuit notorius. 2. Si fuit notorius & a Judice Eccleſiaſtico declaratus fuit nullus & invalidus, debet iterum celebrari in facie Eccleſiæ. Ubi notandum eſt, ſatis non eſſe ad hoc, ut ejuſmodi Matrimonia reſcindantur in foro exteriori, quod alteruter conjugatorum dicat ſe fuiſſe deceptum, ſed debet inſuper id certiſſimis probationibus oſtendere, quod alioquin hunc errorem multi falſo prætenderent. 3. Si Matrimonium revera & jure declaratum fuit invalide contractum, dubium non eſt, quin partes poſſint aliis pro nutu nubere.

CONDITIO.

Hoc impedimentum eſt, quod perſonæ in ſtatu ſervili conſtitutæ non poſſint valide contrahere, de quo plura dicere non curabimus, quia hic ſervitutis ſtatus jam locum non habet in Regno. Servus gallice *Eſclave* dicitur ille qui ſic eſt ſub poteſtate domini, ut illum poſſit locare vel vendere; quemadmodum uſitatum olim fuit apud Romanos, atque etiam nunc fit apud Turcas. Unde famuli noſtri & domeſtici hoc ſenſu non ſunt ſervi.

In eo conſiſtit hoc conditionis impedimentum, quod perſona libera non cognoſcat ſervitutem alterius; tunc enim ſi contrahit, Matrimonium non erit validum, ut habetur in jure Canonico lib. 4. tit. 9. *De conjugio ſervorum* & cap. 4. *Ad noſtrum.*

Sed ſi perſona libera quando contraxit, noverat ſervitutem alterius, validum eſt conjugium ex cap. *Si quis* 29. q. 2. item ambæ perſonæ ſervituti obnoxiæ valide contrahere poſſunt etiam invitis dominis & parentibus, cap. *Dignum* de conjugio ſervorum; quod tamen uſurpatum non eſt antiquitus, nam ex S. Baſilio epiſt. ad Amphi. Can. 40. ex Concilio Vermerienſi & Cabillonenſi II. nulla erant olim Matrimonia inter ſervos, hoc ipſo quod contracta fuerant ſine conſenſu dominorum. Putant multi mutatam hac in re diſciplinam in Occidente circa XII. ſæculum.

Quæritur utrum pro ſervis habeantur ii, qui per ſententiam Judicis fuerunt, vel e Regno expulſi, vel ad Triremes damnati, eorumque Matrimonia ſint invalida.

R. nullam eſſe legem quæ horum hominum conjugia reſcindat, nec uſpiam declaraſſe Eccleſiam eos ad contrahendum eſſe omnino inhabiles. Sunt qui putant ejuſmodi homines invalide contrahere quoad effectus civiles, ut judicavit Senatus Pariſienſis referente Fevreto lib. 5. de abuſu cap. 3. quia cenſentur civiliter mortui, quorum tamen Matrimonium validum eſt quoad vinculum & Sacramentum.

Digitized by Google

VOTUM.

Agitur hic de voto caſtitatis aut Religionis, & duplex diſtinguitur, ſimplex & ſolemne. Votum ſimplex quod ſine ſolemnioribus cæremoniis emittitur Deum inter & voventem; ſolemne vero quod fit per ſacri alicujus Ordinis ſuſceptionem, aut per Profeſſionem factam in aliqua Religione approbata. Prius eſt impedimentum Matrimonii tantum prohibens; poſterius vero eſt dirimens in utroque caſu: tria hæc breviter ſunt probanda.

Primo quidem votum ſimplex, eſt tantum prohibens, quia videlicet ejuſmodi votum nunquam ab Eccleſia ullo Decreto recenſitum eſt inter impedimenta dirimentia, cum contra votum ſolemne declaraverit impedimentum dirimens. Et ratio eſt quia, ut ait S. Thomas, per votum ſimplex non fit niſi ſimplex promiſſio proprii corporis ad continentiam Deo ſervandam facta, & ideo qui tale votum emiſit, remanet dominus ſui corporis, & poteſt illud dare per Sacramentum Matrimonii.

Illicitum tamen foret Matrimonium quod contraheretur poſt emiſſum votum ſimplex, quia tunc violaretur fidelitas Deo debita, ſaltem niſi adeſſet cauſa legitima, ut ſi quis Matrimonium contraheret animo non conſummandi illud, ſed ingrediendi Religionem.

Notandum eſt autem quædam vota recenſeri mere ſimplicia, ac proinde non eſſe impedimenta dirimentia, quamvis emittatur non privatim & in domo, ſed publice cum adhibitis & nonnullis ſolemnitatibus & benedictionibus, qualia ſunt vota quarumdam Congregationum Sæcularium, ut, v. g. Sacerdotum Doctrinæ Chriſtianæ.

Item notare eſt Gregorium XIII. declaraſſe in Bulla ſua quæ incipit *Aſcendente*, vota ſimplicia Jeſuitarum, hoc eſt vota quæ emittunt poſt annos probationis, & antequam ſint, ut aiunt, Profeſſi, *Prof.s*, eſſe impedimenta dirimentia in iis qui ex Societate egreſſi non ſunt cum legitima diſpenſatione, quod utique fit contra communem Eccleſiæ diſciplinam, juxta quam votum ſimplex non eſt impedimentum dirimens.

Secundo votum ſolemne quod emittitur ab iis qui ſacris Ordinibus initiantur, eſt impedimentum dirimens, ut ſanxit adverſus Novatores Concilium Trid. Seſſ. 24. Can. 9. his verbis, *Si quis dixerit clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nihil eſſe quam damnare Matrimonium, poſſeque omnes contrahere Matrimonium qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum, anathema ſit*.

Idem antea definierant Concilium Lateranenſe I. anno 1123. Lateranenſe II. an. 1139. Alexander III. c. *Meminimus*. & *Veniens*. & Bonifacius VIII. cap. unico *De voto & voti redemptione* in 6. nec putamus Ordines ſacros ante illa tempora, hoc eſt ante ſæculum duodecimum fuiſſe impedimentum dirimens Matrimonii, quia licet Eccleſia ſemper ab ipſis Apoſtolorum temporibus in votis habuerit, ut Miniſtri ſacris Ordinibus initiati perpetuam ſervarent caſtitatem, ut manifeſte conſtat ex iis quæ diximus in Tractatu Ordinis, ubi de Cœlibatu; non videmus tamen ſacros Ordines fuiſſe impedimentum dirimens, quia in illis Conciliorum Decretis & SS. Patrum Oraculis interdicuntur Eccleſiæ Miniſtris conjugia, ſed hæc non declarantur nulla & invalida. Quin potius Concilium Ancyranum ibidem citatum Can. 10. veniam facit Diaconis poſt ordinationem uxores ducendi; & Concilium Neocæſarienſe declarat Can. 10. Preſby-

byterum qui uxorem duxerit non tam ſevere puniendum, quam ſi in fornicationem incidiſſet, qui quidem Canon citatur in Capitularibus Caroli M. lib. 7. c. 138. quod probat hanc adhuc fuiſſe noni ſæculi diſciplinam.

Quæres utrum per Ordinem ſacrum, quo quis initiatur jam legitime conjugatus, dirimatur Matrimonium.

R. Negative, quia hoc tantum ſenſu Ordines ſacros eſſe impedimenta dirimentia declaravit Eccleſia in laudatis Canonibus, quod poſt Ordinum ſuſceptionem valide contrahi non poſſint Matrimonia. Quapropter homo conjugatus ordinari poteſt, modo ejus uxor conſentiat, & ſimplex ſaltem caſtitatis votum emittat, ut definivit Joannes XII. cap. unico *De voto & voti redemptione*. Ubi etiam docet per ſacri Ordinis ſuſceptionem Matrimonium contractum etiam non conſummatum, ſecundum Eccleſiæ regulas non diſſolvi nec cenſendum eſſe invalidum; quod ſi quis Ordines ſuſcipiat ſine propriæ uxoris conſenſu, hujus Ordinis functiones obire non poterit, niſi poſtquam vitam Religioſam fuerit amplexus, ut decernit idem Papa: ſi Matrimonium autem fuit conſummatum, tenetur ad uxorem redire, vel etiam ſi vitam Monaſticam fuiſſet profeſſus. Apud Græcos ea eſt ab omni ævo diſciplina; ut qui ſacris Ordinibus ſunt initiati habitare poſſint cum ſuis uxoribus ante ſuam ordinationem ductis, ut teſtatur Matthæus Blaſtares, exceptis tamen Epiſcopis, quorum uxores in Monaſteria releguntur, ut definierat Concil. Trullanum Can. 48.

Tertio votum ſolemne Religionis approbatæ eſt impedimentum dirimens Matrimonii, ut aperte ſanxit Concilium Trid. loco ſupra citato, cujus diſciplinæ initium multi revocant ad finem ſexti ſæculi, quod Gregorius M. lib. epiſt. 7. epiſt. 9. ad Vitalem, ubi decernit quamdam Virginem Religioſam quæ contraxerat, a Marito ſuo ſeparandam & in Monaſterium detrudendam. Idem poſtea definierunt Conc. Tolet. IV. an. 633. Can. 52. Triburienſe an. 895. Can. 23. & Concil. Later. an. 1139. Can. 8. & porro profeſſio nulla neutiquam cenſetur impedimentum dirimens, quia, ut habet Concil. Trid. Seſſ. 25. de ref. c. 15. *Profeſſio nulla nullam inducit obligationem ad alicujus Regulæ vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut alios quoſcumque effectus.*

Profeſſio autem Religioſa, nulla eſt; 1. Quando coacta fuit non libera; 2. Quando ab aliquo facta eſt qui non eſt habilis ad tale votum emittendum, qualis eſt conjugatus aut conjugata; 3. Quando fit ante annum decimum ſextum expletum ex Concil. Trid. ibidem; 4. Si fiat non tranſacto anno in probatione poſt ſuſceptum habitum, ex eadem Synodo ibidem; 5. Demum nulla cenſetur ſi non fuit a ſuperioribus legitimis recepta, nec authenticis teſtimoniis comprobari poſſit. Verum exiſtimandum non eſt licitum eſſe Religioſo Profeſſo, qui Profeſſionem ſuam nullam eſſe contendit, vel habitum dimittere vel cum habitu ſine licentia ſuperioris diſcedere atque etiam nubere quando voluerit, debet enim ſervatis ſolemnitatibus aſſuetis intervenire ſententia Judicis, & quidem Eccleſiaſtici, ut fertur in edicto Regio pro Juriſdictione Eccleſiaſtica an. 1695.

COGNATIO.

Cognatio ſeu conſanguinitas eſt vinculum quod contrahitur a perſonis ab eodem ſtipite deſcendentibus, quod ut intelligatur nonnulla ſunt prænotanda.

1. Qui deſcendunt ab eodem ſtipite, ſunt alii propinquiores, alii remotiores: & propterea diſtincti gradus obſervantur in conſanguinitate; 2. Duplex in conſanguinitate diſtinguitur linea, una recta & altera collateralis.

Linea recta complectitur eos qui recte deſcendunt ab eodem ſtipite, ut pater, filius, nepos: linea collateralis complectitur eos qui ab eodem ſtipite deſcendunt ſed indirecte; ita ut unus ex deſcendentibus non ſit ab alio genitus, ut frater & ſoror, conſobrini & eorum filii.

3. Juxta computationem juris civilis etiam in linea collaterali tot ſunt gradus quot ſunt perſonæ, & ſic pater & filius duos conſtituunt grádus, frater & ſoror ſunt in ſecundo gradu, conſobrius & conſobrina in quarto; ſed in jure Canonico cujus compenſatio nunc in uſu eſt, ratio habetur generationum & duo deſcendentes ſunt in pari gradu, frater & ſoror dicuntur eſſe in primo gradu, conſobrinus & conſobrina in ſecundo gradu, & ſic deinceps.

4. Duplex iterum diſtinguitur gradus unus æqualis, alter inæqualis. Gradus eſt æqualis cum deſcendeotes æqualiter diſtant a ſtipite: & ita frater & ſoror æqualiter diſtantes a patre ſunt uterque in primo gradu. Gradus vero eſt inæqualis cum deſcendentes æqualiter non diſtant a communi ſtipite & ita ſi conferatur frater reſpectu filiæ ſui fratris vel ſororis dicitur eſſe de primo ad ſecundum.

5. Cum duo, qui contrahere volunt, ſunt in diverſo gradu conſanguinei, alter in ſecundo, alter in tertio; non cenſetur inter eos eſſe conſanguinitas niſi in tertio gradu, quia generatim loquendo ſemper ratio habetur gradus remotioris qui vincit proximiorem; his poſitis,

Cognatio ſeu conſanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ dirimit Matrimonium, & ideo, *Inter patrem & filiam, vel avum & neptem & uſque in infinitum nuptiæ contrahi non poſſunt.* inquit Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum cap. 39. quod conforme eſt juri Civili lib. 1. inſt. tit. *De nuptiis*.

In linea autem collaterali cognatio ad quartum uſque gradum incluſive nec ulterius, eſt impedimentum dirimens, quod in Eccleſia obtinet a tempore Concilii Lateranenſis M. antea enim valde diverſa fuerat Eccleſiæ diſciplina; nam quatuor primis ſæculis parentes in ſecundo gradu poterant valide contrahere. *Id nec*, inquit S. Auguſtinus lib. 25. de civit. Dei cap. 16. *Divina prohibuit & nondum prohibuerat lex humana*. Dehinc legibus a S. Gregorio M. a Nicolao II. tum a Carolo M. & quibuſdam Conciliis invaluerat Eccleſiæ praxis, ut uſque ad ſeptimum gradum cognatio eſſet impedimentum.

Porro cum conſanguinitas ſit ex generatione tam extra Matrimonium quam in Matrimonio, conſtat etiam illam ſimiliter conſanguinitatem eſſe impedimentum dirimens, ita ut filius *legitimus* valide contrahere non poſſit cum ſpuria & cognata uſque ad *quartum* gradum.

Quæritur utrum *Eccleſia* diſpenſare poſſit ab impedimento conſanguinitatis.

Reſp. Eccleſiam non poſſe neque in gradibus lineæ directæ, neque in primo gradu lineæ collateralis, ut fatentur omnes, id enim adverſaretur juri naturali, quatenus ejuſmodi Matrimonia directe lædunt pudorem & reverentiam filiorum in parentes, conjugati enim pares ſunt, & una caro. *Sed Eccleſia* diſpenſare poteſt in ſecundo, tertio, & quarto gradu; ita ut tamen in ſecundo gradu non concedatur diſpenſatio niſi ob cauſam publicam & inter magnos principes; ut ſanxit Concilium Tridentinum Seſſ. 24. c. 5. his verbis, *In ſecundo gradu nuſquam diſpenſetur niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſam*. Ubi decernit Synodus in aliis etiam gradibus diſpenſationem non eſſe concedendam, niſi raro & gratis, *Nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa & gratis concedatur*.

CRI-

CRIMEN.

Impedimentum hoc duobus contrahitur criminibus nempe adulterio, & homicidio, ſed quæ ſpectari poſſunt in triplici caſu, nimirum ſi ſit adulterium ſolum, ſi homicidium ſolum, & ſi adulterio jungatur homicidium.

1. Adulterium ſolum, eſt impedimentum dirimens pro viduo aut pro vidua, ſi cognoverint ſe commiſiſſe adulterium, non ſimplicem fornicationem; *Si enim*, ut habetur in Rituali Pariſienſi, *alter illorum ignoraverit alterum eſſe conjugatum, non incurritur hoc impedimentum*.

2. Tale adulterium debet eſſe conſummatum, quia hæc eſt juris regula in 6. *Non præſtat impedimentum quod de jure non ſortitur effectum*.

3. Satis non eſt quod committant adulterium, ſed inſuper ſibi mutuo ſpondere debent per verba de futuro Matrimonium contrahendum poſt obitum conjugis innocentis cap. *Propoſitum* de eo qui duxit.

Deinde homicidium ſolummodo impedimentum eſt dirimens; quando Maritus propriam uxorem interficit; conſpirante cum eo aliqua fœmina, tunc non poteſt cum iſta valide contrahere, extra. c. *Laudabilem*. lib. 3. de converſione infidelium: Debuit inſuper qui commiſit homicidium id criminis perpetraſſe eo fine ut poſtea cum illa fœmina contraheret.

Denique ſi cum homicidio jungatur adulterium, a fortiori occurrit impedimentum dirimens. Et in hoc caſu ſi Maritus propriam uxorem occidiſſet, ut alteri fœminæ, quam vitiaverat, poſtea nuberet, quamvis hæc in dictum homicidium non conſpiraſſet, non poteſt cum ea valide contrahere, & viciſſim, quia quando adulterium cum homicidio conjunctum eſt, ſufficit quod alteruter homicidium perpetraverit cap. *Super hoc*, & cap. *Significaſti*. Cod. tit.

Quod ſi quæras quo jure incurratur hoc impedimentum. Reſpondeo incurri tantum jure Eccleſiaſtico, quia David in Matrimonium duxit Bethſabee, tametſi reus foret adulterii ſimul & homicidii. Jure autem merito hoc impedimentum dirimens ſtatuit Eccleſia ut vitarentur adulteria & cædes inter conjugia, quod utique fit, cum illis novi inter ſe Matrimonii ſpes tollitur.

Porro ſi quis propria uxore vivente promittat ſe cum alia contracturum, nec aliunde intervenit ullum adulterium, nec homicidium, poterit quidem poſt mortem ſuæ conjugis iſtam cui promiſit in uxorem ducere; graviter peccat promittendo, peccat etiam mulier hanc promiſſionem acceptando; uterque enim exponit ſe periculo adulterium vel etiam homicidium committendi.

CULTUS DISPARITAS.

Cultus diſparitas eſt diverſitas Religionis, quæ duplex diſtingui poteſt, nimirum ſi Chriſtiani conferantur cum infidelibus, vel ſi cum hæreticis comparentur Catholici.

Impedimentum autem hoc dirimens non eſt niſi inter Chriſtianos & infideles, qui juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam non modo licite, ſed valide contrahere poſſunt, & in eo præcise poſitum eſt, quod baptiſatus contrahere non poſſit cum fœmina nondum baptiſata, & viciſſim baptiſata cum non baptiſato. Hæc autem cultus diſparitas debet Matrimonium præcedere; ut illud dirimat, ſi quis enim poſt initum conjugium fieret Apoſtata, maneret ſemper hujus Matrimonii vinculum indiſſolubile.

Quod ſi quæratur quo jure invalida ſint Matrimonia Chriſtianorum cum infidelibus contracta. Reſpondeo id non videri juris eſſe divini, tum quia non conſtat hæc S. Pauli verba, II. Corinth. cap. 6. *Nolite ducere jugum cum infidelibus*; præcepti eſſe non conſilii duntatat,

Digitized by Google

xat, eodem Apoſtolo dicente I. ad Corinth. cap. 7. *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*. Tum quia ejuſmodi conjugia aut probata aut ſaltem tolerata fuerunt in Ecclefia; nam Sancta Monica nupſit ethnico, ut teſtatur S. Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum cap. 9. & ſancta Clotildis conjugium iniit cum Clodoveo Francorum Rege & adhuc infideli; cujus rei multa alia exempla proferri facile poſſent, vel etiam ex veteri teſtamento, nam Eſther nupſerat Aſſuero gentili.

Vere quidem Matrimonia illa Chriſtianorum cum infidelibus fuerunt ſæpius prohibita, ut patet ex Canonibus 15. & 16. Concilii Eliber. ex Can. 14. Concilii Chalcedonenſis, &c. tum ex nonnullis SS. Patribus qui ea declararunt periculoſa, quatenus timendum eſt, ne in aliquo fideli, qui Matrimonio jungeretur cum infideli, fides Chriſtiana ſubverteretur, uti contigit Salomoni de quo hæc dicta ſunt III. Reg. 22. *Cor ejus depravatum eſt per mulieres, ut ſequeretur deos alienos*. Sed in iis Canonibus & Patrum Decretis ejuſmodi conjugia non declarantur nulla & invalida.

Certe conjugia fidelium cum infidelibus nullo in loco novi Teſtamenti prohibita docet S. Auguſtinus lib. 1. de conjugiis adult. cap. 25. *Non enim*, inquit, *tempore revelati Teſtamenti novi in Evangelio vel ullis Apoſtolicis litteris ſine ambiguitate declaratum eſſe recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles infidelibus conjungi. Quamvis beatiſſimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis conſtituat, jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii*. Qua in re conciliari poſſunt Cyprianus & Auguſtinus, & neuter a vero aberrat, quia licet jure merito dixerit S. Auguſtinus nullo in loco Evangelii prohibita fuiſſe fidelium cum infidelibus Matrimonia, tamen ea declarare illicita potuit S. Cyprianus, in quantum ratio timendi eſt, ne fides Criſtianorum aut ſubvertatur inde, aut ſaltem multum periclitetur.

Quocirca communis eſt Theologorum opinio ſolo jure Eccleſiaſtico inductum eſſe hoc impedimentum dirimens, idque ſola Eccleſiæ conſuetudine, quæ vim legis obtinet, & nullo emiſſo Concilii Canone quo declaretur Matrimonia fidelium cum infidelibus eſſe nulla & invalida; ex iis enim quæ apud Gratianum leguntur c. 28. q. 1. colligi ſolum poteſt illa fuiſſe illicita, ut & Matrimonia Catholicorum cum hæreticis, ibi peræque damnata & prohibita, qui hujus Eccleſiaſticæ conſuetudinis initium quærunt, exiſtimant veriſimiliter Eccleſiam adoptaſſe eam Theodoſii M. legem qua nulla & invalida declaravit Matrimonia Chriſtianorum cum Judæis l. *Ne quis* c. De Judæis.

Quod ſpectat Matrimonia Chriſtianorum cum hæreticis, fatentur omnes Theologi ea eſſe valida; cum nulla lege Eccleſiaſtica declarentur nulla & oppoſitum doceat Eccleſiæ praxis; quam multa enim in hoc regno celebrata ſunt poſtremo ſæculo nuper elapſo, cum nondum extirpata hæreſi, nec revocato Edicto Nannetenſi cum Catholicis Matrimonio ſatis frequenter jungebantur Calviniſtæ. Atque id expreſſe docet S. Thomas in 4. diſt. 39. q. 1. art. 1. ad 3. his verbis, *Matrimonium Sacramentum eſt, & ideo quantum pertinet ad neceſſitatem Sacramenti requirit paritatem quantum ad Sacramentum fidei ſcilicet baptiſmum, magis quam quantum ad interiorem fidem. Unde etiam hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei ſed diſparitas cultus qui reſpicit exterius ſervitium, & propter hoc, ſi aliquis fidelis cum hæretica baptiſata Matrimonium contrahit, verum eſt Matrimonium, quamvis peccet contrahendo, ſi ſciat eam eſſe hæreticam, ſicut peccaret ſi cum excommunicata contraheret, non tamen propterea Matrimonium dirimitur*.

Quot

Quot vero inde evenirent incommoda; quorum certe hoc eſſet maximum, ſi hæreſis impedimentum dirimens induceret? Nimirum multi conjugati falſo prætenderent ſe crimine hæreſeos fuiſſe commaculatos quando contraxerunt, ut ſua hoc pacto Matrimonia diſſolvere poſſent, cui malo medetur Concilium Trident. hoc ſuo Decreto Seſſ. 24. Can. 5. *Si quis dixerit propter hæreſim ... diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum, anathema ſit*.

Certum eſt aliunde ejusmodi Matrimonia ſemper fuiſſe prohibita tanquam mala & periculoſa, vel a primis Eccleſiæ temporibus, ut patet ex Concilio Laodiceno Can. 10. ex Eliberitano Can. 16. & Chalcedonenſi Can. 14. & aliis paſſim. Hanc doctrinam propugnant Theologi hoc præſertim momento, quod inde manifeſta ſequi videtur hujus Sacramenti profanatio, quatenus ſi quis Catholicus uxorem ducat hæreticam, Matrimonii Sacramentum adminiſtratur ab hæretico in ea ſententia, quod conjuges ſint Miniſtri: vel ſi Benedictionem accipiant a Sacerdote, tunc indigno & hæretico adminiſtratur illud Sacramentum.

Gravis difficultas hic agitatur inter Theologos an ejusmodi Matrimonia Catholicorum cum hæreticis ſint prohibita jure divino, vel ſolum jure Eccleſiaſtico.

Contendunt nonnulli talia conjugia juri divino eſſe contraria, quia vetat lex divina ne Sacramenta adminiſtrentur publicis peccatoribus excommunicatis, uti nec ea quisquam indigne recipiat; quod tamen contingeret, ſi Matrimonium adminiſtraretur hæreticis.

Verum alii docent hujusmodi conjugia non eſſe jure divino prohibita, quia in iis aliquando diſpenſarunt ſummi Pontifices. Clemens VIII. qui an. 1602. permiſit Duci Barrienſi Catholico, ut Catharinam Henrici IV. Francorum Regis ſororem, ſed Calviniſtam duceret; & Urbanus VIII. qui ann. 1625. diſpenſavit cum Henrica Ludovici XIII. ſorore Catholica, ut Carolo Anglorum Regi Lutherano nuberet, quæ quidem ſententia videtur probabilior; neque enim abuſivæ merito dici poſſunt allatæ diſpenſationes ptopter reverentiam Sedi Apoſtolicæ debitam, & quia adverſus illas & innumera ejusmodi Matrimonia inter Catholicos & Hæreticos publice contracta in noſtro, v. gr. Regno, quando cum Calviniſtis commixti eramus, nuſpiam reclamatum eſt in Eccleſia.

His tamen non obſtantibus putant nonnulli Theologi nec Epiſcopos, nec ipſum ſummum Pontificem legitime diſpenſare in hac materia, & permittere, ut Catholicus contrahat cum hæretica, & viciſſim; quod videlicet, ut ajunt, jure naturali & divino illicita ſunt illa conjugia, id ſenſit Gamacheus Tract. de Matrim. cap. 28. *Non enim*, inquit, *ſummus Pontifex habet poteſtatem mutandi jus divinum, & inſtitutionem Chriſti, imo non ſolum eſt jus divinum, ſed etiam naturale, ut Sacramenta digne & reverenter tractentur*. Quam opinionem totis viribus & nervis aſſerere conatur Sambovius Tom. II. ſuarum reſolutionum. Ubi tamen ſcribit quam multos in oppoſita ſententia verſari, imo & quosdam alios videlicet Iſambertum, Sanchez, Pontium, & Azor aperte docere, non ſolum Epiſcopos hoc in negotio diſpenſare poſſe, ſed nec opus eſſe petere & obtinere ullas diſpenſationes in iis locis in quibus ſimul vivunt & commorantur Hæretici & Catholici. Quæ poſtrema ſententia a nemine, ut puto, approbari poteſt; quia, ut habetur in Rituali Pariſienſi, *Quamvis hæreſis non ſit impedimentum dirimens, numquam tamen poteſt* Parochus *Hæreticum vel Hæreticam Matrimonio conjungere ſine gravi peccato*. Certe Theologi, qui ſolent in hac materia, uti & in aliis multis, affirmare aliquid eſſe vetitum Jure naturali, manifeſte abutuntur his vocibus *Jure naturali*: nihil etenim dici debet eſſe contra jus naturale; adverſari-

ri juri naturali, niſi quod de ſe eſſentialiter malum eſt, & in quo a nemine dari poteſt diſpenſatio.

V I S.

Poſtulat jus naturæ & ratio ipſa, ut vis ſeu coactio uni ex contrahentibus illata reddat Matrimonium nullum & invalidum, quia eſt de eſſentia talis Contractus, ut fiat ex mutuo & libero contrahentium conſenſu. Unde mihi videtur hoc impedimentum juris eſſe naturalis; quamvis multi putent veriſimilius, illud ſolum jure Eccleſiaſtico fuiſſe inductum.

Porrò cum vulgo dicitur metum alterutri contrahentium incuſſum, impedimentum eſſe dirimens, id intelligitur: 1. ſi motus ſit gravis, & cadat in conſtantem virum, ut habetur cap. *Veniens*, & cap. *Conſultationis*, de ſponſalibus; ſi nimirum gravia impendant mala, ut docet S. Thomas in 4. diſt. 2. quæſt. 1. artic. 2. *Mors*, inquit, *verbera*, *dehoneſtatio per ſtuprum & ſervitus*: 2. ejuſmodi metus non debet habere cauſam legitimam & publica autoritate ineuti; unde ſi judex virum quempiam cogat ſub pœna mortis alieni puellæ nubere quam vitiavit, tametſi metus ſit gravis, Matrimonium erit validum, quia nempe in cauſa ſua voluntarium eſt; 3. Ratum & validum cenſeri debet Matrimonium etiam ex metu gravi & injuſte incuſſo contractum, ſi poſtea acceſſerit conſenſus, quod potiſſimum cognoſcitur ex eo quod pars quæ fuerit coacta ad nubendum copulæ carnali conſenſit poſt mortem illius qui metum incuſſerat ex cap. *ad id*, de ſponſalibus.

O R D O.

Hoc impedimentum reſpicit ſolum eos qui Sacris & majoribus Ordinibus ſunt initiati, puta Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros, cap. *Ex litterarum*, extra. tit. *Qui Clerici*, & inſuper eos anathemate percuſſit Concil. Trid. Seſſ. 24. Can. G. qui contrarium docere auderent, *Si quis dixerit*, inquit Synodus, *Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, Contractum validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe quam damnare Matrimonium ... anathema ſit.*

L I G A M E N.

In eo poſitum eſt hoc impedimentum, quod conjux non poſſit valide tranſire ad ſecundas nuptias ante mortem prioris conjugis, quod aſſeritur jure Divino & Eccleſiaſtico. Divino quidem, namque Polygamiam expreſſe damnavit Chriſtus, ut dictum eſt in præcedenti quæſtione. Eccleſiaſtico vero, ut colligitur ex cap. *Gaudemus*, de Divortiis, de ſponſa duorum; ac demum ex Concil. Trident. Seſſ. 24. Can. 2.

Quæritur hic quid agendum ſit mulieri, cum a longo tempore abeſt ejus marito, & a pluribus annis de eo nihil quidquam audiit.

R. Mulierem illam non debere novum contrahere Matrimonium, niſi ipſi certitudine morali conſtet de mariti ſui morte, ut habetur in jure Canonico, cap. *In præſentia*, de ſponſalibus, & cap. *Dominus*, de ſecundis nuptiis, conſentanee ad authenticam *Hodie* Juſtiniani, cap. *de repudiis*. Quapropter ſi Parochus vel minimum dubitet, num certa ſint teſtimonia quæ ſolent in illis caſibus proferri, debet rem ad Epiſcopum vel Judicem Eccleſiaſticum remittere.

Quod ſi maritus tandem redierit, poſtquam ad ſecundas nuptias tranſiit ejus uxor, hæc debet ſecundum maritum relinquere, & redire ad primum, cap. *Dominus*.

Ho-

Honestas Publica.

Hoc impedimentum ſic dicitur, quia non eſt decorum & honeſtum, ut vir qui ſponſalia contraxerat, vel Matrimonium cum puella, aliam ex ejus conſanguineis ducat, quia ſponſalia ſunt Matrimonium inchoatum & promiſſum, quod utique a fortiori conſtat de Matrimonio rato licet non conſummato. Definitur accurate hoc impedimentum, *Propinquitas orta ex ſponſalibus aut Matrimonio rato non conſummato cum perſonæ deſponſatæ conſanguineis*. In jure Canonico ejuſmodi propinquitas differt ab affinitate quæ oritur ex Matrimonio conſummato, vel ex commercio carnali. Oritur itaque iſtud impedimentum ex duplici cauſa nimirum ex ſponſalibus validis & ex Matrimonio rato non conſummato.

1. Ex ſponſalibus, & in eo conſiſtit quod vir in uxorem docere non poſſit valide ſororem, matrem, & filiam illius cum qua ſponſalia contraxerat, ſcilicet hoc impedimentum, quod olim ad ſeptimum gradum & poſt Concilium Lateranenſe Mag. ad quartum duntaxat extendebatur, nunc reſtringitur ad primum gradum, rem ſic ſtatuente Conc. Trid. Seſſ. 24. de ref. cap. 3. *Juſtitiæ*, inquit, *publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant*.

Addit Concilium nullum exurgere impedimentum ex ſponſalibus, niſi valida ſint, *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum*, inquit, *ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat*. Quibus porro de cauſis invalida ſint ſponſalia dicemus infra, cum agetur de ſponſalibus.

2. Publicæ honeſtatis impedimentum oritur ex Matrimonio rato non conſummato, ſive quod unus e conjugibus obierit ante copulam, ſive quia votum ſolemne Religionis approbatæ emiſerit; in utroque autem caſu impedimentum extenditur ad quartum gradum incluſive, quia Concilium Tridentin. veterem diſciplinam ſuper ea re ut in alio caſu ſponſalium, non immutavit; ſic enim mentem Concilii explicuit Pius V. in conſtitutione jam citata ad *Romanum Pontificem*.

Quæritur utrum naſcatur impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus mutuo conſenſu diſſolutis.

R. duas eſſe ſuper ea re oppoſitas ſententias: nonnulli ut Sanchez, affirmantem tenent ſententiam, quia, inquiunt, ſponſalia ſupponuntur fuiſſe valida ac proinde ortum ex illis impedimentum ceſſare non poteſt niſi per accedentem diſpenſationem. Alii vero cenſent in illo caſu nullum remanere impedimentum, quia nulla tunc ſunt ſponſalia & invalida; Concilium autem Tridentinum ſanxit ex ſponſalibus quacumque ratione invalidis non contrahi impedimentum publicæ honeſtatis, ut dictum eſt ſupra.

Amens.

Amentia jure merito ponitur inter impedimenta dirimentia, quia, ut nemo non videt, amens qui rationis non eſt compos, debitum non poteſt dare conſenſum, ſine quo nullus ex natura rei ſit Contractus. Id habetur apud Gratianum cauſa 32. quæſt. 7. *Neque furioſus, neque furioſa Matrimonium contrahere poſſunt, ſed ſi contractum fuerit, non ſeparentur*. Valeret tamen Matrimonium in lucidis intervallis contractum juxta plurimorum ſententiam.

AFFINIS.

Affinitas definitur in Gloſſa perſonarum proximitas ex coitu proveniens omni carens parentela; affinitas enim differt a cognatione & conſanguinitate, quod illa occurrat inter eos qui non ſunt conſanguinei, oriturque ex copula licita & illicita. Exurgit quidem ex Matrimonii legitimi conſummatione, ita ut ſit inter maritum & uxoris ſuæ conſanguineos, ac viciſſim inter uxorem & mariti ſui conſanguineos; ſuos habet gradus affinitas, qui ſequuntur conſanguinitatis gradus, ita ut uxoris in primo gradu conſanguinei, cum marito, in primo quoque gradu affinitatem habeant.

Affinitas legitima, ut & conſanguinitas & cognatio fuit impedimentum dirimens a primis fere Eccleſiæ ſæculis, ut conſtat ex Concil. Eliberitano Can. 76. ex Neocæſarienſi Can. 2. ex multis antiquis Conciliis Galliæ & poſtea ex Lateranenſi Mag. & Trid. quæ definierunt affinitatem dirimere Matrimonium poſtea factum uſque ad quartum gradum incluſive; atque ita maritus quiſpiam poſt uxoris ſuæ mortem, non poteſt citra diſpenſationem contrahere cum alia muliere, quæ uxoris defunctæ conſanguinea ſit ad quartum uſque gradum incluſive.

Deinde non modo ex copula licita, ſed ex illicita etiam contrahitur affinitas, ſed quæ Matrimonium dirimit duntaxat ad ſecundum uſque gradum incluſive, ut expreſſe definivit Conc. Trid. Seſſ. 24. de reform. c. 4. & quoniam exiſtimarunt nonnulli, ex ejuſmodi copula illicita exurgere ſaltem impedimentum prohibens in tertio & quarto gradu, Pius V. ſummus Pontifex definivit in Bulla ſua *Ad Romanum Pontificem* Matrimonia in tertio & quarto gradu illius affinitatis non modo ſed & licite contrahi poſſe.

Quod ſi poſt Matrimonium contractum Maritus rem habeat cum ſorore conſobrina ſuæ uxoris, Matrimonium quidem non diſſolvitur, ſed maritus non poteſt nec debet exigere debitum a propria conjuge, capite *Diſcretionem* de eo qui cognovit. Atque adeo debet recurrere ad Epiſcopum a quo abſolvatur.

Quæres 1. in quo gradu affinitatis in recta linea prohibitum ſit & nullum Matrimonium.

R. prohibitum eſſe in omni & quocumque gradu, & ſic nullum eſt inter ſocerum *Beau-Pere* & nurum *Belle-Mere*; inter privignum *Beau-Fils* & novercam *Belle-Mere*. Sed in linea collaterali ex definitione Concil. Lateranenſis IV. ad quartum gradum incluſive reſtrictum fuit illud impedimentum Can. 50.

Quæres 2. quo jure affinitas dirimat Matrimonium.

Reſpond. non dirimere Matrimonium niſi jure Eccleſiaſtico ſaltem in linea collaterali: nam in veteri lege Geneſ. 38. Jacob duas ſorores Liam & Rachelem duxit uxores. In nova lege plurimæ datæ ſunt diſpenſationes a ſummis Pontificibus ad contrahenda ejuſmodi Matrimonia, nam, v. g. Julius II. permiſit Henrico VIII. Angliæ Regi ut viduam ſui fratris Catharinam in uxorem duceret, quod quidem Matrimonium habitum eſt validum ex conſenſu Catholicorum.

Præter affinitatem ex copula carnali provenientem, duplex iterum admittitur, una quæ dicitur ſpiritalis, altera quæ vocatur legalis.

Affinitas ſpiritalis oritur ex Baptiſmo & contrahitur inter miniſtrum, v. g. baptiſmi & Baptizatum, inter Miniſtrum & patrem ac matrem Baptizati, inter ſuſceptores & Baptizatum, ac denique inter eoſdem ſuſceptores, hoc eſt, patrinum, aut matrinam, & inter patrem aut matrem Baptizati. Hæc por-

porro affinitas eſt impedimentum dirimens, ut colligitur ex Juſtiniano C. de nuptiis lib. 28. ex Concil. Trullano Can. 53. ex Capitul. Caroli M. lib. 5. C. 100. & tandem ex Conc. Trident. Seſſ. 24. C. 2. ſed quæ non contrahitur ab his qui patrini & matrinæ perſonam agunt erga Baptizatum in caſu neceſſitatis, ut cæremoniæ duntaxat ſuppleantur, quia non concurrunt ad ejus ſpiritalem regenerationem; & quia Concilium Trid. eum ſolum appellat patrinum, *qui de Sacro fonte infantem ſuſcipit*. Nota patrinos non eſſe adhibendos, cum Baptiſmus datur extra Eccleſiam.

Quæritur an qui in caſu neceſſitatis baptizavit infantem, affinitatem cum eo & ejus parentibus contrahat.

R. Patrem hujus filii non contrahere affinitatem, cap. *Si vir*. lib. 4. tit. 11. de cognatione ſpirituali, alios vero contrahere, quia in præfata conſtitutione non excipiuntur.

Quæritur 2. quando patrinus agit per procuratorem quis contrahat affinitatem an patrinus vel procurator?

R. Non unam eſſe hac in quæſtione omnium Theologorum ſententiam; ratio dubitandi eſt, quia procurator tangit ipſe Baptizatum; patrinus vero cujus nomine agit, præcipuas habet in ea re partes, procurator eſt merum inſtrumentum; ea ſententia mihi videtur probabilior quæ ſtatuit patrinum qui miſit procuratorem contrahere affinitatem, non ipſum procuratorem qui nihil proprio nomine agit, ſicut in Matrimonio procurator nullam contrahit affinitatem.

Item affinitas ſpiritalis contrahitur quoque in Confirmationis Sacramento, quod quidem hoc pacto explicat Concilium Trid. Seſſ. 24. Can. 2. de reform. *Ea quoque cognatio quæ ex Confirmatione contrahitur, inter confirmantem & confirmatum illiuſque patrem & matrem ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis*. De iſta affinitate, quæ contrahitur in confirmatione nihil ſupereſt adjiciendum ad ea quæ mox diximus de cognatione per Baptiſmum contracta, eo magis quod jam in uſu non eſt in Eccleſia, ut in Sacramenti Confirmationis adminiſtratione adhibeantur patrini & matrinæ.

Affinitas legalis, de qua non multum nobis curandum eſt, quia in hoc regno adoptio non eſt in uſu, exurgit ex adoptione & impedimentum eſt dirimens inter fratrem & ſotorem per adoptionem, nec ulterius progreditur; quod tamen impedimentum deſinit, ceſſante adoptione, hoc eſt quando filii adoptati vel per emancipationem, vel adveniente patris adoptantis morte, deſinunt eſſe ſub illius poteſtate cap. unico de cognatione legali lib. 4. tit. 12.

CLANDESTINITAS.

Matrimonium dicitur clandeſtinum quod fit clam & non ſervatis ſervandis, quæ ab Eccleſia & Principe præſcripta ſunt, quoad vero ſpectat clandeſtinitatem Matrimoniorum apud Chriſtianos, an & quomodo ſit impedimentum dirimens, hæc obſervanda ſunt atque tenenda.

1. Duodecim prioribus Eccleſiæ ſæculis hanc firmam fuiſſe Chriſtianorum praxim, ut palam & in facie Eccleſiæ, adhibita Sacerdotum benedictione nuberent, ut conſtat ex his momentis quæ initio hujuſce Tractatus adducta ſunt, cum oſtendimus Matrimonium eſſe verum novæ legis Sacramentum & quibus hæc alia adjungi merito poſſunt, quæ manifeſte indicant, id lege ſancitum & præſcriptum fuiſſe, adeo ut non modo viderentur illicita, ſed & invalida haberentur conjugia clam facta.

Digitized by Google

Tertullianus l. 2. de pudicit. C. 4. *Occultæ conjunctiones*, inquit, *priuſquam ad Eccleſiam profeſſæ ſint, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur*. S. Baſilius Epiſt. ad Ampilochium cap. 4. rem aperte declarat his verbis, *Quæ ſine iis qui habent poteſtatem fiunt Matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo, vivente patre nec domino, ii qui conveniunt, ſunt ab accuſatione liberi, donec conjugio domini annuerint, tunc enim accipit firmitatem conjugium*. Quod intelligi debet non ſolum de illicito ſed & de invalido, ait enim fornicationes eſſe Matrimonia illa quæ clam fiebant inſciis vel invitis parentibus aut dominis.

S. Ambroſius ep. 19. *Conjugium velamine Sacerdotali & benedictione ſanctificari oportet*. S. Hieronymus in c. 5. ad Epheſ. *Omne Matrimonium quo non vira ſecundum præcepta Chriſti uxor jungitur, vile conjugium appellari non poteſt, ſed adulterium*. Extat apud Gratianum 30. q. 5. lex ea de re lata ab Hormiſda his verbis, *Nullus fidelis cujuſcumque conditionis ſit, occulte nuptias faciat, ſed facta a Sacerdote benedictione publice nubat in Domino*. Item in Capitularibus Caroli Magni lib. 7. cap. 127. *Cum benedictione Sacerdotis, ſicut in Sacramentario continetur & non occulte ducenda eſt uxor*. Et revera in illo S. Gregorii Sacramentario habentur orationes quibus benedicebantur conjuges inter Miſſarum ſolemnia ex antiquo Eccleſiæ more, quod idem Religioſe obſervatum eſt ſecutis temporibus, ut colligitur ex Iſidoro Hiſpalenſi lib. 2. de Offic. ex Nicolao I. reſp. ad Bulgaros cap. 3. quam quidem diſciplinam ſemper obſervarunt Græci atque etiam nunc obſervant, firmiter tenentes Matrimonia clandeſtina non ſolum eſſe illicita, ſed prorſus nulla & invalida.

Dehinc communis ſententia Theologorum eſt Eccleſiæ diſciplinam hoc in negotio mutatam circa ſæculum decimum tertium, quatenus ex iſto tempore Matrimonia clandeſtina prohibita quidem fuere, ſed non habita ſunt invalida, uti colligitur ex Decretalibus Gregorii IX. ubi paſſim habetur ſponſalia, cum ſequebatur copula carnalis, hoc ipſo fieri Matrimonia rata, *Mandamus quatenus, ſi inveneris quod primam poſt fidem præſtitam cognoverit, ipſum cum ea facias remanere*.

Id manifeſte patet ex Concil. Tridentino Seſſ. 21. de reformat. cap. 1. ubi hæc habentur. *Tametſi dubitandum non eſt clandeſtina Matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint qui ea vera ac rata eſſe negant*. Quibus verbis nihil clarius deſiderari poteſt, ut oſtendatur Matrimonia clandeſtina ante Conc. Tridentinum fuiſſe valida.

Verum ea deinceps invalida & habenda eſſe prorſus nulla ſanxit Concilium Tridentinum loco mox citato his verbis, *Qui aliter quam præſente Parocho & alio Sacerdote & de ipſius Parochi ſeu ordinarii & licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles redddis & hujuſmodi Contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit & annulat. Inſuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero, & teſtes qui ſine Parocho vel Sacerdote hujuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri præcipit . . . . ſtatuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam niſi ab ipſo Parocho vel ab ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdotem concedi poſſe, quacunque conſuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, licere contendat*.

Ubi

Ubi Matrimonia Chriſtianorum decernuntur nulla & irrita, ſi fint eladeſtina, hoc eſt ſi aliter contrahantur quam præſente Parocho, aut alio Sacerdote de ipſius licentia, & coram duobus vel tribus teſtibus, circa quod Decretum, quod ſemper viſum eſt tam neceſſarium pro bono & honore familiarum, non abs re erit quasdam hic adjungere elucidationes. Ac primo pro certo tenendum eſt in hoc Galliæ regno, tametſi vim legis non habeant, omnia Concilii Tridentini Decreta, quæ ad meram diſciplinam ſpectant, obtinere tamen hunc articulum, eo quod illum acceptarunt Reges noſtri, vel ſimilem publicarunt doctrinam, ut patet ex Edicto Bleſenſi art. 40. ex alio Ludovici XIII. anno 1639. quibus ſimilia emiſit Ludovicus XIV. præſertim in Edicto anni 1697.

2. Cum iſtud Concilii Trident. Decretum eos tantum obliget, qui habitant in iis provinciis, in quibus fuit publicatum, quia univerſim loquendo lex non obligat niſi innoteſcat & ſit authentice promulgata, inde ſequitur Catholicos Matrimonia contrahere poſſe aliter quam præſente Parocho, in iis locis in quibus receptum non fuit nec publicatum Concilium, quod locum non habet in Batavia ubi promovente Philippo II. Hiſpaniarum Rege publicatæ fuerunt Tridentinæ ſanctiones: tenentur enim propterea Catholici contrahere præſentibus Parochis aut aliis Sacerdotibus, ita ſentit Eſtius in 4. diſt. 28. parag. 8.

3. Nomine Parochi in hoc Concilii Decreto intelligitur is in cujus Parochia partes contrahentes habitant, illius enim præſentiam exigit apud quem fieri debent denuntiationes publicæ, qui procul dubio Parochus eſt domicilii. Neque vero cenſetur quis ſufficiens acquiſiiſſe domicilium in aliqua Parochia ad contrahendum Matrimonium, niſi in ea per ſex menſes continuos habitaverit; ſi ex alia Parochia ejusdem Diœceſis acceſſerit, per annum vero ſolidum, ſi ex alia Diœceſi venerit, ut expreſſe ſtatutum eſt in Edicto an. 1697.

4. Controvertitur inter Theologos, num abſoluta requiratur, ut Parochus quo præſente contrahitur Matrimonium ſit Sacerdotali caractere actu inſignitus. Partem affirmantem tenet Eſtius quod illud expreſſe declarare videantur verba Concilii, *Præſente Parocho vel alio Sacerdote*; alii vero contra putant ſatis eſſe, ſi Parochus proxime ſit & intra annum ad Sacerdotium promovendus, quia nempe juxta leges Eccleſiaſticas id ſufficit, ut aliquis ſit proprio nomine Parochus; Concilium autem exigit ſolum, ut Matrimonium celebretur *præſente Parocho*.

5. Nec validitati Matrimonii obſtat, quod Parochus ſit ſuſpenſus vel excommunicatus, quia remanet vere Parochus, illiuſque Miniſterium in celebratione & ſolemnitate Matrimonii non eſt actus jurisdictionis; ut communiter cenſent Canoniſtæ Navarrus, Sylvius, & alii; quod tamen dici non poſſet de Parocho intruſo qui nequidem coloratum, ut ajunt, titulum haberet. Item in ſententia nonnullorum nec invalidum & irritum dici debet Matrimonium cui interfuit Parochus, præter aut etiam contra ſuam intentionem, & ſic valida reputantur in ratione Contractus aut Matrimonia vulgo dicta *a la gaulmine*, cum ſcilicet partes præſente Parocho declarant mutuo, ſe accipere in conjuges nulla accepta benedictione nuptiali. Aliter ſentiunt qui docent Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum, quos etiam contractus nullos & irritos declaravit Ludovicus XIV. in Edicto ſuo anni 1697. Præſens tamen adeſſe debet Parochus, non ſolum præſentia corporis & phyſica ſed humano modo videns & intelligens actionem; aliter enim perſona non cenſetur præſens in quocumque negotio.

6. Præ-

6. Præter Parochi præſentiam ſtatuit Synodus, ut duo aut tres interſint teſtes; unde in rigore duo ſufficiunt quorum defectu Matrimonium foret clandeſtinum. Circa eorum ætatem & ſexum nihil ſtatuit, id relinquitur prudentiæ Parochorum. Addit Concilium, *Habeat Parochus librum in qua conjugum & teſtium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii, deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat.*

7. In præfato Concilii Decreto nomine ordinarii, *Seu de ordinarii licentia*, intelligitur Epiſcopus Diœceſanus, ut communis probavit interpretatio & Eccleſiarum praxis; ſolent enim Epiſcopi quandoque permittere aliis Presbyteris a Parocho, ut Sacramentum Matrimonii adminiſtrent, in certis nimirum caſibus, & cum legitimæ adſunt cauſæ. Unde in Comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1655. tamquam erronea damnata fuit quorumdam opinio, qui jus adminiſtrandi Matrimonium Epiſcopis adimere videbantur. Quapropter eodem jure ordinarii fruuntur Vicarius Generalis Epiſcopi, Vicarii Capituli ſede vacante, & Archidiaconi in Parochis quarum curam gerunt defectu Parochi; non Archiepiſcopus in ſua Provincia, non Officialis qui hoc nomine habet ſolum Juriſdictionem Epiſcopalem in foro contentioſo; nec denique Decani rurales qui hoc ſolum habent ut ab Epiſcopo ſint delegati ad invigilandum vitæ & moribus aliorum Presbyterorum.

Dehinc eadem Synodus ad vitandam Matrimoniorum clandeſtinitatem, præcipit ut eorum celebrationi publicæ præmittantur denuntiationes, quæ hodie *Banna* vocari ſolent, idcirco inquit, *Sacris Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærenda præcipit, ut in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, terra propria contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos ſit Matrimonium contrahendum.* Quæ quidem conſtitutio obſervatur in Gallia, quod idem tunc præſcripſit Henricus III. Rex in Edicto Bleſenſi art. 4. & poſtea Ludovicus XIII. annis 1629. & 1639. tum & Ludovicus XIV. anno 1697.

Verum quæritur an ejuſmodi Banna ſint abſolute neceſſaria ad validitatem Matrimonii tum ut Contractus, tum ut Sacramenti; vel ſolum neceſſitate præcepti, ad majorem conjugiorum ſolemnitatem & ratio quæ pro parte affirmante militat, eſt, quia Concilium ideo præcipit ejuſmodi denuntiationes ut vitetur clandeſtinitas quam ſtatuit impedimentum dirimens; unde non minus neceſſariæ videntur quam præſentia Parochi & teſtium.

R. non unam eſſe ſuper ea re omnium Canoniſtarum & Theologorum ſententiam, ſed communem ac pene ſingulorum, denuntiationes non pertinere ad ſubſtantiam Matrimonii, earumque defectum non reddere Matrimonia invalida; quia Concilium Tridentinum exigit quidem, ut fiant denuntiationes ſed non pronuntiat, ſi deſint, Matrimonia fore nulla; uti declarat de præſentia Parochi & teſtium. 2. Quia permittit Epiſcopis diſpenſare ab ejuſmodi publicis denuntiationibus, quod argumento eſt eas non eſſe eſſentialiter requiſitas.

Neque opponi debet, quod Henricus III. in laudato Bleſenſi Edicto Matrimonia ſuorum ſubditorum ſine Bannis contracta, declarat invalida *Non valablement contractes*; nam ex Canoniſtis Gallicis Fevreto lib. 5. de abuſu cap. 2., ex compilatore probationum libertatum Eccleſiæ Gallicanæ pag. 967. & aliis multis hæc verba denotant ſolum invaliditatem quoad effectus Civiles, non autem quoad ipſum vinculum.

culum Contractus; uti etiam Clero Gallicano reſponſum fuit nomine Regis Ludovici XIII. qui ſimilem diſciplinam ſtatuerat in ſuo Edicto anni 1639. 2. Edictum Bleſenſe in citato art. 40. non obligat niſi ad ſenſum Canonum, ut expreſſe ſignificatur his verbis, *Le tout ſur les peines portées par les Conciles*. Sed in Decreto Concilii Lateranenſis quod primum ex Conciliis Generalibus legem ea de re tulit Can. 51. & cujus doctrinam renovavit ſolum Synodus Trident. ut patet ex laudatis verbis, nulla eſt clauſula irritans Matrimonia eo ipſo quod omiſſæ fuerint publicæ denuntiationes; in ejuſmodi autem rebus quæ ſunt ſtricti juris, verba tantum valent quantum ſonant.

Hæ porro denuntiationes fieri debent a Parocho aut alio de ipſius licentia deputato Presbytero, ut ſanxit Synodus Trident. Seſſ. 24. cap. 1. *Matrimonium*, inquit, *a proprio contrahentium Parocho denuntietur*; Neque id ſine manifeſto abuſu attentare poſſunt Laici, ut colligitur ex Arreſto ſupremi Senatus Pariſienſis qui anno 1614. *Fit deſenſe à tous autres de plus entreprendre de telles choſes ſous peine de punition exemplaire*. Quod idem mandavit Ludovicus XIII. in Edicto art. 1639. artic. 1. his verbis, *Que la proclamation des Bans ſera faite par le Curé*. & addit ibidem, cum parentum aut tutorum voluntate ſibi cognita, ſi filii familias ſunt, *Avec le conſentement des peres & meres, tuteurs ou curateurs, s'ils ſont enfans de famille, ou en la puiſſance d'autrui*. ac demum fieri debere a proprio utriuſque partis Parocho, ſi ambo in diverſis Parochiis habitant, *Que la proclamation des Bans ſera faite par le Curè de chacune des parties*. In multis autem aliis circumſtantiis conſulat Parochus Rituale ſuæ Eccleſiæ, ac Regni leges ac ſtatuta ſequatur.

Cæterum quod ſpectat diſpenſationem a tribus proclamationibus ſeu Bannis, 1. Penes Epiſcopum eſt illam concedere ex Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. eaque conceſſione quandoque utuntur in Regno Epiſcopi, licet Edictum Bleſenſe artic. 40. ſtatuat contrarium, ibi enim legitur, *Qu'on ne diſpenſera jamais de la premiere publication des Bans*; 2. Quidam Epiſcopi non diſpenſant niſi a duobus Bannis; 3. diſpenſare non poſſunt Parochi; id enim ordinariis conceſſit Synodus; 4. ſi contrahentes ſint e diverſis Diœceſibus, diſpenſatio concedi debet ab utroque Epiſcopo, ne quis Epiſcopus juriſdictionem exerceat in Diœceſanum alterius Epiſcopi.

Quæres quid ſit ſentiendum de Matrimoniis quæ dicuntur *Conſcientiæ*; quæ nimirum occultantur & non declarantur ab ipſis conjugibus, licet valide & juxta omnes regulas fuerint celebrata.

R. Ejuſmodi nuptias ſemper in Eccleſia fuiſſe improbatas, eo quod varia ſecum trahunt crimina, v. g. favent Polygamiæ, educationi liberorum valde nocent, familias perturbant, ſcandalum faciunt in republica, &c. ut obſervat Sambovius tom. 1. cap. 65. Legi poſſunt Concil. Senonenſe an. 1528. in Decreto morum artic. 39. Concil. Veronenſe an. 775. tum variæ Epiſcoporum Synodales Conſtitutiones, Capituli Caroli M. lib. 7. cap. 127. & Edictum Ludovici XIII. Regis an. 1639. ubi ſic habetur art. 5. *Deſirant pourvoir a l'abus qui comence a s'introduire dans notre Royaume par ceux qui tiennent leurs Mariages ſecrets & cachès pendant leur vie, Nous declarons les enfans qui naitront de ces Mariages, & que les Parties ont tenu juſques ici ou tiendront a l'avvenir cachès pendant leur vie, qui reſſentent plutot la bonté d'un Concubinage que la dignité d'un Mariage, incapables de toutes Succeſſions, auſſi bien que leur poſterité*.

Sic

Sic tamen id intelligas, ut nonnunquam licita & juſta eſſe non deſinant ejuſmodi conjugia, cum legitimis ex cauſis occultantur, uti ſentire videtur Alex. III. cap. *Quod nobis*. De clan. deſpon. *Ab Eccleſia*, inquit, *non compellendi, ſed ſi perſonæ contrahentium hæc publicare voluerint, niſi rationalis cauſa præpediat*. Quia clandeſtinitas nec jure naturali nec jure divino adverſatur legitimis nuptiis.

Cæterum ex iis quæ acta ſunt hoc in negotio a Patribus Tridentinis, qui Matrimonia clandeſtina declararunt nulla & irrita in poſterum, inferri non poteſt eos immutaſſe materiam Sacramenti Matrimonii. Si quidem ejuſmodi mutatio ad meram pertinet diſciplinam, manet ſemper Contractum nubentium eſſe materiam legitimam hujus Sacramenti, quamvis Concilium certas leges præſcribat neceſſarias ad validitatem illius Contractus. Id fit ſalva Sacramenti ſubſtantia.

Neque vero dicas hanc ſententiam, qua dicitur conſenſum parentum filiis eſſe neceſſarium, ut valida ſint Matrimonia favere quidquam errori Novatorum; nam in eo errare cenſentur illi, quod dicant ejuſmodi conſenſum parentum eſſe jure naturali neceſſarium, quod falſum eſt. Unde Concilium Tridentinum anathemate ferit eos, *qui falſo affirmant Matrimonia a filiis-familias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe*. Id enim tale eſt ſolum jure Eccleſiaſtico, ut factum eſt a Conc. Tridentino juſtiſſimis de cauſis ut honori ipſius Sacramenti & paci ac tranquillitati publicæ conſulerent.

Impotentia.

Tunc reperitur impotentia quæ nimirum impedimentum eſt dirimens, cum vel ex parte viri, vel ex parte mulieris eſt inhabilitas conſummandi Matrimonium. Ex variis cauſis oriri poteſt illud impedimentum, ſcilicet ex frigiditate tam in viro quam in muliere, aut ex arctatione in muliere, aut ætatis defectu in alterutro, aut denique ex maleficio dæmonis.

Impotentia vel eſt perpetua, vel ſolum ad tempus. Cenſetur perpetua, quando præter divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo ſubmoveri non poteſt, ut habetur in jure Canon. cap. *Fraternitatis* de frigidis. Contra vero impotentia non cenſetur perpetua, quando remediis naturalibus tolli poteſt.

Item impotentia vel eſt abſoluta, quæ talis eſt reſpectu omnium perſonarum alterius ſexus, v.g. in viro reſpectu omnium fœminarum, ut in Eunuchis; val reſpectiva, quæ talis non eſt niſi relative ad aliquam perſonam, v. g. in viro relative ad fœminam nimis arctam.

Deinde impotentia vel Matrimonium antecedit, vel Matrimonio rato & conſummato ſupervenit, quibus poſitis hæc communiter tenentur in quæſtione quæ proponi ſolet, an & qualis impotentia ſit impedimentum dirimens.

1. Univerſim loquendo, impotentia operis conjugalis impedimentum eſt dirimens Matrimonii, quia, ut ait S. Thomas in ſuppl. q. 57. art. 1. *Matrimonium eſt Contractus quidam quo unus alteri obligatur ad debitum carnale ſolvendum; unde ſicut in aliis Contractibus non eſt obligatio, ſi quis ſe obliget ad hoc quod non poteſt dare vel facere; ita non eſt conveniens Matrimonii Contractus, ſi fiat ab aliquo qui debitum carnale ſolvere non poſſit*.

2. Impotentia quæ temporaria tantum eſt, non eſt impedimentum dirimens; unde, v.g. inter juniores ſi ætatem habeant legibus præſcriptam ratum eſt Matrimonium; quamvis impotentia nondum ſit ſublata, aut ſaltem ratum effici poterit accedente potentia

& novo

& novo contrahentium conſenſu. Et ſimiliter aliæ ſpecies impotentiæ temporariæ, quæ ſine peccato, & vitæ periculo auferri poteſt, Matrimonium non dirimit, quia ſpem omnem procreandæ prolis non adimit.

3. Si perpetua eſt, quod intelligi debet de relativa uti de abſoluta, ut habetur in jure Canonico tit. *De frigidis & maleficiatis*, eaque Matrimonium antecedat; tunc impedimentum eſt dirimens propter rationem mox allatam, quia per hujuſcemodi impotentiam tollitur id quod ad Matrimonii ſubſtantiam requiritur, ut videlicet vir & mulier ſibi mutuo dent corporum ſuorum poteſtatem ad actum conjugalem.

4. Addimus impotentiam, ſi Matrimonio ſupervenerit, non eſſe impedimentum dirimens, licet oppoſitum ſentiant nonnulli Theologi & Gratianus ipſe 33. q. 1. quia, ut diximus, Matrimonium etiam non conſummatum ſola Religionis approbatæ profeſſione diſſolvitur.

At inquies, quomodo diſcerni poterit, an impotentia ſit temporaria tantum vel perpetua?

R. Jure Canonico ſtatuitur, ut per triennium conjugati cohabitent ſimul a tempore celebrati conjugii, ut conſtare poſſit an revera tolli queat necne impotentia tit. de Frig. & Malef. cap. *Laudabilem*. Quod ſi Matrimonium conſummare non potuerint, Judex Eccleſiaſticus decernere ſolet ſeparationem, quamquam circa omnes caſus, qui hanc materiam ſpectant, eadem non fuerit in diverſis temporibus & locis, nec adhuc ſit in hoc Galliarum Regno eadem agendi ratio: id prudentiæ Judicis Eccleſiaſtici relinquitur.

Quod ſi quæras, quo jure impotentia ſit impedimentum dirimens.

R. impedimentum eſſe dirimens tum jure naturali propter rationem mox adductam, tum jure Eccleſiaſtico ut conſtat ex multis Canonibus & Conſtitutionibus ſummorum Pontificum, quæ videri poſſunt in Decreto tit. *De Frigidis & Maleficiatis*. Quibus conſentiunt leges Civiles Imperatorum Juſtinian. in Nov. 98. & Caroli M. in Capitul. lib. 6. cap. 55.

Quæres quid ſit ſentiendum de impotentia per maleficium dæmonis inducta.

R. 1. per maleficium dæmonia nonnunquam impediri copulam conjugalem, ut aperte ſignificatur in jure Canonico, ſic enim habetur 33. q. 1. Can. *Si per ſortiarias maleficas occulto ſed nunquam injuſto Dei judicio permittente, & diabolo præparante ſit, ut concubitus non ſequatur*. Quod & in omnibus fere Ritualibus ſupponitur. Dicam tamen obiter multa ſæpe tribui dæmonum maleficiis, quæ ab aliis cauſis proveniunt, ut in hac materia maleficio tribuitur, quod ſæpe vel a nimio amore aut odio vel a junioris puellæ verecundia, vel demum ab alia cauſa proficiſcitur.

2. Ejuſmodi maleficium tollere aut avertere non licet, beneficio alterius maleficii, vel ope dæmonis, vel adhibita aliqua ſuperſtitione; id enim expreſſe ſtatuit Sacra Facultas Pariſienſis in Cenſura data, an. 1478. ubi ſic habetur, *Quod licitum ſit magicis artibus vel aliis quibuſdam ſuperſtitionibus a Deo aut ab Eccleſia prohibitis aliqua facere pro quocunque bono fine, error, quia, ſecundum Apoſtolum, non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona*.

3. Inſinuat jus Canonicum per preces Deo factas & bona opera repelli poſſe illa maleficia, *Si agant pœnitentiam, forte placere Deo qui Matrimonium fuit inſtitutor & autor, ut opus Matrimonii conſummarent*. cap. *Litteræ* de Frigidis.

4. Si adhibitis precibus & aliis piis operibus quæ in Eccleſiarum Ritualibus præſcribuntur, non poſſit demum repelli illud maleficium, tunc impotentia impedimentum eſt dirimens, adeoque ſi Matrimonium præceſſerit, debet judex declarare Matrimonium eſſe nullum.

Quæres utrum ætatis defectus ſit impedimentum dirimens propter impotentiam.

R. Eccleſiæ praxim obtinere, ut impuberes non poſſint valide contrahere, puella nimirum antequam duodecim annos completos attigerit, & puer quatuordecim, quamquam Alexander III. declaravit validum aliquod Matrimonium ab impubere puella contractum, *Si autem*, inquit, *fuerit ætati proxima, ut in* 11. *vel circa* 12. *annum & cum ſuo aſſenſu deſponſata & cognita ab eodem viro, ſeparari non debet*, cap. *Continebatur de deſp. impub.* Quia malitia, ut dicitur, nonnumquam ſupplet ætatem. Putant nihilominus Canoniſtæ Matrimonium ab impuberibus vel ab uno e conjugibus impubere contractum declarari poſſe invalidum, & reſcindi, uti aliquando præſtitum eſt a ſupremo Pariſienſi Senatu, niſi carnaliter commixti fuerint, in quo quidem caſu tenentur Matrimonium ſuum in facie Eccleſiæ rehabilitare.

Quæres quid ſit ſentiendum de Matrimoniis ſenum qui videntur impotentes & ad generandum plane inhabiles.

R. juxta Doctrinam & praxim Eccleſiæ valida & licita eſſe illa Matrimonia, quæ ipſis conceduntur, ſi non velut infirmitatis remedium, ſaltem ut humanitatis ſolatium, ut habetur in jure Canonico c. 27. q. 1. Can. *Nuptiarum*.

Quin nec ſterilitas orta ex temperamento vel alia quavis cauſa quæ ab impotentia differat, non eſt impedimentum dirimens, nec reſcindi ſolent Matrimonia contracta, eo quod unus e conjugibus conqueratur alterum eſſe ſterilem; tum quia cujusdam prolis procreatio non eſt Matrimonio eſſentialis; tum quia deſinit ſæpius illa ſterilitas mutato corporis temperamento, imminuto, v. g. ſanguinis & ſpirituum calore.

Quæres an Matrimonium ſit validum, quod contraxerunt volentes & ſcientes alterutrum laborare impotentia. Ratio dubitandi eſt quia conſummatio non eſt Matrimonio eſſentialis; unde non deberet reputari invalidum, ſi in propoſito caſu eſſet contractum.

R. negative, quia, ut ait S. Thomas in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 1. *Impedimentum per quod aliquis non poſſit de jure reddere debitum, ut conſanguinitas, annullat contractum Matrimonii, ſive ſciat alter, ſive neſciat*. Revera ad eſſentiam Matrimonii neceſſario non requiritur, ut a conjugatis conſummetur, ſed neceſſe eſt ut ſibi mutuo dent jus illud conſummandi, quod ſupponit neutrum eſſe impotentem.

RAPTUS.

Conſentanee ad antiquas Imperatorum leges quæ extant in cod. Theodoſiano lib. 9. tit. *De raptu Virginum*, & varia Conciliorum Decreta, Ancyrani Can. 11. Chalcedon. Can. 27. Aurel. I. Can. 2. Pariſ. III. Can. 6. Meldenſis ann. 845. Can. 66. Aquiſgranenſis II. Can. ultimo & aliorum multorum, ſtatuit Concilium Trid. Seſſ. 24. de ref. Can. 6. raptum eſſe e numero impedimentorum dirimentium, *Decernit Sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata & in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat*.

Duplex autem diſtinguitur raptus, alter violentiæ, alter ſeductionis; violentiæ quæ fit vi aperta & renitente perſona rapta; ſeductionis vero cum perſona blanditiis & promiſſionibus allecta conſentit domum paternam relinquere, ut Matrimonium contrahat.

Sunt qui contendunt ſolo raptu violentiæ dirimi Matrimonium, quia legem ſuam de raptu ſeductionis expreſſe non tulit Synodus Trid. loco mox adducto;

Digitized by Google

ducto ; ita Sanchez lib. 7. diſput. 13. num. 13. & quidam alii. Sed falluntur, quia propter ſeductionem potius quam propter vim illatam perſonæ raptæ, raptus cenſetur impedimentum dirimens; quandoquidem poteſt quis puellam, v. g. per vim e domo patris abducere, nec iſtud raptus impedimentum contrahere ſi nempe illam abducat ut fornicetur, non ut nubat. Quocirca non minus artes & ſeductionem quam vim apertam condemnant leges tum Eccleſiaſticæ tum Civiles, in Capitularibus lib. 7. cap. 395. ſic legitur, *Placuit ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur aut ſeducunt eas nullatenus habeant uxores*. In Edicto Bleſenſi art. 42. hæc declarat Henricus III. *Voulons que ceux qui ſe trouveront avoir ſuborné fils ou filles mineurs de vingt-ans ſous pretexte de Mariage, ſans le gré, ſcu, vouloir, & conſentement exprès des Peres, Meres & Tuteurs, ſoient punis de mort*. Unde irrita & nulla declarantur Matrimonia a judicibus ſupremis, hoc ipſo quod probata conſtat ſeductio. Sic Ludovicus XIII. in Edicto ann. 1629. art. 169. utrumque raptum violentiæ & ſeductionis damnat ; additque, *conformément aux Saints Decrets & Conſtitutions Canoniques*. Concilii nempe Tridentini & aliorum.

Porro uterque raptus violentiæ & ſeductionis non eſt impedimentum dirimens niſi ſub certis conditionibus.

Quoad raptum quidem violentiæ ; 1. Vis debet inferri puellæ raptæ quæ invita & non conſentiens abducatur ; 2. Si puella ſit minor & in poteſtate alterius, cum violentia infertur ejus Patri aut Matri, aut Tutoribus in quorum poteſtate eſt, tunc ſalvatur ratio raptus, licet ipſa conſentiat ; 3. Neceſſe eſt in raptu, ut puella rapta in poteſtate raptoris ſit, ut patet ex laudatis Concilii Tridentini verbis ; 4. Requiritur ut raptus fiat in finem contrahendi Matrimonii, nec ſatis eſt quod fiat explendæ libidinis cauſa Can. *Si quis* 36. qu. 2.

Item nec raptus ſeductionis impedimentum eſt dirimens, niſi in his caſibus ; 1. Quando raptor puellam circumvenit verbis, precibus, blanditiis, promiſſionibus ; 2. Neceſſe eſt, ut puella rapta de conſilio raptoris abducta fuerit e domo Patris ſui aut tutorum & tranſierit in poteſtatem raptoris ; 3. Ejuſmodi raptus fieri debet ex conſenſu Virginis ſeductæ, quia ex hoc differt uterque raptus, quod qui dicitur violentiæ, fit invita & nolente rapta ; raptus autem ſeductionis fit ipſa ultro conſentiente ; 4. Ejuſmodi raptus fieri debet neſcientibus Virginis parentibus, quia raptus ſeductionis eſt quædam furti ſpecies qua junior puella iis aufertur, in quorum poteſtate eſt ; 5. Requiritur, ut diximus de raptu violentiæ, quod raptus fiat in finem contrahendi Matrimonii ; 6. Demum non fit iſte raptus niſi puella ſit in minoritate, quæ enim ætatem majoritatis attigerunt non præſumuntur ſeductioni obnoxiæ.

Sunt qui dicant raptum cenſeri duntaxat impedimentum dirimens, cum ab homine abducitur puella, non autem viciſſim, quod iſtud ſignificare videtur Concilium Tridentinum his verbis, *Inter raptorem, & raptam*. Verum ſic locuti ſunt Patres, quod raro aut fere numquam contingit, ut a fœmina raptus perpetretur, qui tamen ſi eveniat, eadem ratione verus erit raptus & impedimentum dirimens, ut patet ex Edictis Regum noſtrorum quæ ab iis poſt Concilium Tridentinum lata ſunt. In Edicto Bleſenſi art. 42. ſic habetur, *Voulons que ceux qui ſe trouveront avoir ſuborné fils ou filles Mineurs de* 25. *ans*. & poſtea Ludovicus XIII. an. 1629. *Voulons que tous ceux qui commettent rapt & enlevement des veuves, fils, ou filles, ſous la puiſſance d'autrui*.

CAPUT XVI.

Cujus ſit poteſtatis ſtatuere impedimenta Matrimonii.

COmmunis eſt Theologorum ſententia penes utramque poteſtatem Eccleſiaſticam & Civilem eſſe ſtatuere impedimenta Matrimonii, hoc nimirum fundamento quod duo diſtinguuntur in Matrimonio Chriſtianorum; ſcilicet contractus eſt civilis, & rationem habet Sacramenti novæ legis. Quatenus eſt contractus civilis, ſubjicitur dominio principum qui curam habent communitatis, & quorum munus eſt invigilare bono publico; Matrimonium autem unus eſt ex præcipuis contractibus reipublicæ a quo pendet tranquillitas familiarum. Quatenus Sacramentum eſt, pendet ab Eccleſia, cujus eſt ſtatuere quid prærequirendum ſit, quid obſervandum in adminiſtratione cujuslibet Sacramenti, quod, ut magis conſtet atque elucidetur, ſit

Prima Conditio.

Eccleſia poteſt legitime ſtatuere impedimenta Matrimonii. Eſt contra Launojum Doctorem Parienſem qui in libro quem edidit ſub titulo *De regia in Matrimonium poteſtate*, auſus eſt aſſerere ad ſolos principes ſæculares pertinere autoritatem ſtatuendi impedimenta Matrimonii, ita ut ex mera Principum indulgentia fiat, ut jure illo utatur Eccleſia.

Probatur, quia ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad noſtram uſque ætatem ea fuit Eccleſiæ doctrina & praxis ut certas quaſdam leges præſcriberet ad aſſerendam Matrimoniorum validitatem, ut perſpicuum eſt ex variis Conciliorum Decretis, tum ex SS. Patrum teſtimoniis. Horum nonnulla adinſtar cæterorum brevitatis cauſa referemus, ſic, v. g. S. Ignatius ad Polycarpum, *Decet vere ut ducentes uxores & nubentes cum Epiſcopi arbitrio conjungantur*; Athenagoras Apologia pro Chriſtianis: *Uxorem ſuam*, inquit, *unusquiſque noſtrum eam eſſe reputat quam duxit legibus noſtris*, ſcilicet Chriſtianis; Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 3. *Felix connubium quod Eccleſia conciliat*. Iſque agnoſcit diſparitatem cultus eſſe impedimentum, lib. de Corona Militis cap. 13. *Et ideo non nubimus Ethnicis, ne*, inquit, *nos ad idololatriam uſque deducant*.

S. Baſilius in epiſt. ad Amphilochium plures ſtatuit Regulas, quæ totidem impedimenta Matrimonii exhibent, ut videre eſt Can. 6. 22. 23. 40. 68.

Item multi Patres leges Eccleſiaſticas quæ Matrimonium ſpectabant ſupra legibus humanis extollunt. Ita S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 4. *Nemo*, inquit, *ſibi blandiatur de legibus hominum, nec viro licet quod mulieri non licet*. S. Hieronymus epiſt. 84. ad Oceanum, *Aliæ leges Cæſarum*, inquit, *aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter*. & S. Chryſoſtomus Homilia, *De libello repudii*. *Ne mihi*, inquit, *leges ab exteris conditas legas præcipientes dari Libellum repudii ac duelli, ne quis enim ſecundum illas judicaturus eſt Deus, ſed ſecundum ſuas*. & infra, *Nubat cum legibus a Paulo poſitis*. Eodem modo loquitur Innocentius I. epiſt. 23. uno verbo SS. Patres ubique paſſim laudant leges Eccleſiaſticas, quæ in certis caſibus Matrimonia prohibent, & dirimenda pronuntiant; tum vero declarant in celebratione Matrimoniorum ſequenda eſſe, quæ a Conciliis, Sacerdotibus, & Epiſcopis præſcripta ſunt; unde ſequitur eam conſtantem fuiſſe Catholicorum Doctrinam, ab Eccleſia legitime ſtatui Matrimonii impedimenta.

His adde revera in Conciliis ea fere omnia impedimenta, quæ nunc apud nos obtinent fuiſſe olim appoſita, ut

aper-

Digitized by Google

aperte conſtat ex Concilio Elıberitano Can. 9. 13. 15. 16. & 17. 33. 61. & 66. ex Concilio Neocæſarienſi Can. 2. ex Concilio Ancirano Can. 11. ex Chalcedonenſi Can. 16. & aliis ejusmodi quæ prope innumera citari poſſent. Horum doctrinam ſecuti Patres Tridentini ſic loquuntur Seſſ. 24. Can. 4. *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit*. & Can. 12. *Si quis dixerit cauſas Matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit*. Ubi Synodus errorem præſcribit Novatorum qui cum Matrimonio rationem Sacramenti adimant, docent conſequenter ſolius eſſe Magiſtratus ſæcularis leges circa Matrimonia ſtatuere.

Paulo ante Concilium eandem doctrinam tradiderat Sacra Facultas Pariſienſis in ſua cenſura adverſus Lutherum his verbis, *Matrimonium eſt viri & mulieris conjunctio quocumque modo contra leges humanas contigerit & debent Sacerdotes ea omnia Matrimonia confirmare quæ contra Eccleſiaſticas vel Pontificias leges fuerint contracta, in quibus Papa poteſt diſpenſare, & quæ non ſunt in Scriptura ſacra expreſſa. Utraque harum Propoſitionum eſt falſa, Eccleſiæ poteſtati impie derogativa & ex damnato Valdenſium errore procedens*.

Hæc Decreta & praxis fundatur in his Chriſti verbis, Matth. 16. *Quodcumque ligaveritis ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveritis ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*. Quibus aperte conceditur Eccleſiæ Paſtoribus jus ſtatuendi leges in iis ſaltem quæ ſpectant Sacramentorum adminiſtrationem, tum vero in eo quod Chriſtus ipſe hoc impedimentum conſtituit, quod vocamus *Ligamen* cùm nempe Polygamiam apud Judæos uſitatam ſuſtulit dicens, *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Item Apoſtolus 1. Cor. 7. aliud ſtatuit impedimentum quod dicitur *Diſparitas cultus*, cum mulieri fideli permiſit recedere a viro infideli diſcedente, *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, & alteri nubat*; namque non addit S. Paulus *maneat innupta*, ut ſupra dixerat.

Atque hanc poteſtatem leges condendi circa validitatem Matrimonii, proindeque impedimenta dirimentia apponendi in Eccleſia reſidere, ultro agnoverunt Imperatores, & Reges, ut colligitur, ex eo quod, cum ipſi in ſuis Regnis & Ditionibus data occaſione impedimenta ſtatuerunt, verbis expreſſis teſtati ſunt ſe hac in parte Decreta & Sacros Conciliorum Canones ſequi velle, ſic, v. g. Carolus Magnus Capit. lib. 5. C. 7. poſtquam inceſtuoſa conjugia damnavit, *De reliquis vero propinquis*, inquit, *juxta conſtituta SS. Patrum & juxta Decreta Canonum judicetur*.

2. Ex eo quod his Eccleſiæ legibus lubenter ipſi paruerunt etiam in propria cauſa, non ægre ferentes, ut juxta Deciſiones aut Epiſcoporum ſui Regni, aut ſummi Pontificis, ſua dirimerentur conjugia; quod cum legibus & ſtatutis Eccleſiæ non concordabant, cujus rei quamplurima exempla ſuppeditat Hiſtoria.

3. Ex eo quod volentes contrahere cum parentibus & conſobrinis in gradu ab Eccleſia prohibito, non contraxerunt ante diſpenſationem a ſummo Pontifice petitam & obtentam. Alias quammultas probationes ſuper hoc argumento adduxit D. Gerbais unus è noſtris in libro Gallice ſcripto cui titulus eſt. *Traité du pouvoir de l'Egliſe & des Princes ſur les empêchemens du Mariage*.

Obj. Eccleſia non habet poteſtatem mutandi materiam Sacramentorum; ſed ſtatuendo impedimenta dirimentia tunc materiam Sacramentorum mutat; efficit enim, v. g. legem ferens contra clandeſtinitatem, Matrimonium, ut Contractus clandeſtinus non ſit amplius materia hujus Sacramenti: igitur.

Reſp.

Reſp. hoc argumentum æque militare adverſus poteſtatem principium: cum enim ſtatuunt impedimenta, poterit ſimiliter objici eos mutare materiam Sacramenti; quapropter N. minorem, & dico Eccleſiam, cum impedimenta ſtatuit, declarare ſolum quænam ſint conditiones requiſitæ ad legitimum Contractum, & quoſdam eſſe homines ineptos ad contrahendum Matrimonium; ſed non mutare materiam Sacramenti, quæ poſita eſt in contractu legitimo conjugum: qualis vero debeat eſse ille Contractus & quibus formalitatibus inductus, Eccleſiæ eſt definire conjunctim cum principibus ſæcularibus, ut mox oſtendetur, quia Matrimonium eſt Contractus civilis ſimul & ſpiritalis, adeoque utrique poteſtati obnoxius. Sicut ergo qui aquam ita corrumperet, ut non poſset amplius eſse materia legitima Baptiſmi, ex eo poteſtatem ſuam non exerceret in materiam Baptiſmi, nec materiam Sacramenti mutare cenſeretur; ſic Eccleſia & Principes dum certas ſtatuunt leges ad validitatem Contractus, non idcirco mutant materiam Sacramenti, ſed ſolum deſignant quænam ſit legitima Sacramenti materia; unde manet ſemper ratum & fixum, quod Chriſtus inſtituit, nempe Contractum legitimum eſse materiam hujus Sacramenti.

Obj. Materia Sacramenti Matrimonii eſt Contractus civilis: ſed ad ſolos Principes ſæculares pertinet leges apponere Contractibus civilibus, per quas ſcilicet reddantur validi aut invalidi: igitur Eccleſia non poteſt ſtatuere impedimenta Matrimonii.

Diſt. majorem, civilis ſimul & ſpiritalis, c. civilis tantum, N. Sunt etiam qui negant majorem, & dicunt materiam hujus Sacramenti poſitam non eſse in Contractu civili, ſed in naturali; ſed eodem recidunt duæ iſtæ reſponſiones, quod ut melius intelligatur pro certo habendum eſt, illum Contractum eſse materiam hujus Sacramenti, quem Chriſtus evexit ad dignitatem Sacramenti, ſed iſtud autem dici non poteſt de Contractu pure civili, melius vero de Contractu naturali per leges poſitivas tum Civiles, tum Eccleſiaſticas perfectibili. Chriſtus quidem ad dignitatem Sacramenti non evexit Contractum pure civilem, vel enim iſtud intelligeretur de quolibet Contractu civili univerſim & in genere, vel de Contractibus, quales tunc temporis, cum degeret Chriſtus, fiebant apud Judæos, aut apud Romanos; ſed utrumque falſum eſt, quia Chriſtus evexiſset ad dignitatem Sacramenti Contractus ut plurimum inſanos & plenos ſuperſtitionis ac impietatis, quod nemo dixerit; ſupereſt igitur ut dicatur Chriſtum *pro materia hujus Sacramenti* elegiſse Contractum naturalem in mutuo contrahentium conſenſu poſitum, ſed ita ut poſtea legibus tum Eccleſiaſticis tum ſæcularibus perficeretur, ut reipſa contigit in variis temporibus & locis, & ratio eſt quia ſolus Contractus naturalis eſt *quid* certum & fixum, minime variabile & diverſim in diverſis locis ut Contractus civilis; Chriſtus autem dubio procul pro materia cujusvis Sacramenti aliquid certum & fixum determinavit.

Ergo, inquies, Eccleſia poteſtatem ſuam exercebit ſaltem indirecte in res temporales, ſtatuendo ſcilicet leges ad validitatem Contractus civilis neceſsarias: abſurdum conſequens, quia poteſtas Eccleſiæ tota eſt ſpiritalis, dicente Chriſto: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: igitur.

N. conſequentiam quæ nimirum hoc nititur falſo principio, quod Matrimonium ſit Contractus pure Civilis, namque, ut jam dictum eſt, Contractus eſt naturalis, & inſuper Sacramentum novæ legis: unde diverſis poteſtatibus ſubjicitur, ut egregie docet S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 78. *Matrimonium*, inquit, *in quantum ordinatur ad*

ad bonum naturæ quod eſt perpetuitas ſpeciei dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem, ut ſic dicitur eſſe naturæ officium, in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet ordinationi civilis legis. In quantum autem ordinatur ab bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico. Unde impedimenta Matrimonii quædam ſunt appoſita ab ipſa natura, ut quod infans nubere non poſſit, quod nemo coactus vel impotentia laborans valide contrahat, &c. Quædam vero a principibus & Eccleſia, ut clandeſtinitas, raptus.

Secunda Conclusio.

Ineſt etiam principibus ſæcularibus poteſtas ſtatuendi impedimenta Matrimonii.

Probatur 1. quia hac poteſtate ſemper uſi ſunt Reges & Imperatores & pietate, & virtute conſpicui, qui perſuaſum habebant ſe hac in parte in jura Eccleſiæ non attentare, ut patet ex legibus circa hanc materiam latis a Theodoſio, Juſtiniano, Carolo Magno & aliis paſſim Chriſtianis principibus.

2. Quia non ſolum ejuſmodi leges Principum Eccleſia non improbavit, verum etiam ad eas recurrunt SS. Patres, ſummi Pontifices & Concilia, ut nempe fideles in ſuo contineant officio. S. Auguſtinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 16. laudat Theodoſii legem, qua conſobrinorum conjugia prohibuerat, *Verumtamen*, inquit, *quis dubitet honeſtius hoc tempore etiam conſobrinorum prohibita eſſe conjugia*. Siricius Papa epiſtol. ad Hymer. ubi Monachorum & Monialium damnat Connubia ſic loquitur, *Quod & publicæ leges & Eccleſiaſtica jura condemnant*, Concilium Lateranenſe Can. 5. *Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibemus quia eas & divinæ & ſeculi leges prohibent*.

3. Quia hæc fuit ſemper Eccleſiæ praxis, ut cum ad nos redeunt Proteſtantes, qui nimirum juxta leges civiles Principis contraxerunt, Matrimonia eorum habeantur ut valida in ratione ſcilicet Contractuum.

4. Demum id fundatur in ratiocinio jam allato, ſcilicet cum Matrimonium ſit Contractus civilis, & qui dici poteſt inter omnes Contractus primas tenere, quandoquidem ſocietatis civilis fundamentum eſt & baſis, neceſse eſt ut legibus & poteſtati Principum ſubjiciatur.

Obj. Hæc ſententia conciliari non poteſt cum præcedenti concluſione, quæ jus tribuit Eccleſiæ ſtatuendi impedimenta, niſi ſupponatur utramque illam poteſtatem ſic inter ſe conſentire, ut eadem ſemper nec plura nec pauciora conſtituant impedimenta: atqui hoc gratis ſupponeretur; 1. Quia hoc moraliter eſset impoſſibile; 2. Quia inſigne proferri poteſt exemplum quod probat non concordare Eccleſiam cum Regibus noſtris. Scilicet certum eſt Reges Chriſtianiſſimos in ſuis Edictis, Henricum II. ann. 1556. Henricum III. in Edicto Bleſenſi art. XL. Ludovicum XIII. an. 1639. declaraſse Matrimonia filiorum-familias ſine conſenſu parentum contracta, non eſse valida, *Non valablement contractés*; atqui tamen Concilium Tridentinum Seſs. 25. cap. 1. definit ea eſse rata & valida, *Tametſi*, inquit, *dubitandum non eſt clandeſtina Matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera eſſe Matrimonia, quandiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant, quique falſo affirmant Matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe & parentes ea rata vel irrita facere poſſe, nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit*, igitur, ut vitetur illud incommodum, dicen-

dicendum eſt jus apponendi impedimenta pertinere ad Eccleſiam ſolam aut ad ſolos Principes politicos.

N. min. docet enim experientia utramque poteſtatem Eccleſiaſticam & Civilem mirum in modum ſemper conſenſiſſe in ſtatuendis circa Matrimonium legibus & impedimentis, Prælati Eccleſiæ ex una parte approbarunt leges Principum & Imperatorum, quæ nimirum cum jure naturali & divino non pugnabant, poſtularuntque a Principibus, ut ſuis Edictis impedimenta ſtatuerent. Ex altera vero parte Principes ſæculares, qui norunt Matrimonium eſſe Contractum ſpiritalem apud Chriſtianos, Eccleſiæ Canonum obſervantiam ſua autoritate ſemper promoverunt. Unde huc ſpectat quod olim dicebat Lucius III. *Sicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur*, cap. *Intelleximus*.

Quod ſpectat difficultatem & graviſſimam quidem de Matrimoniis filiorum familias propoſitam, reſpondemus eam dupliciter ſolvi poſſe pro duplici interpretatione, qua ſolent Theologi præfatum Concilii Tridentini locum explicare.

Sunt qui contendant eo loci Patres Tridentinos non condemnare leges Principum qui Matrimonia filiorum-familias deteſtantur & proſcribunt, quia hoc Decretum emiſerunt ſolum adverſus Proteſtantes qui docebant atque etiamnum docent, jure naturali & divino nulla & invalida eſſe Matrimonia à filiis-familias ſine conſenſu parentum contracta, ita ut ratio nulla debeat haberi legum Eccleſiaſticarum. En, inquiunt illi Theologi, error, quem damnare voluerunt Patres nec dubio procul mens eorum fuit ea Matrimonia approbare tamquam vera & rata, quæ teſtantur ibidem Eccleſiam ſemper deteſtatam fuiſſe & prohibuiſſe. In illa ſententia Decretum Concilii pertinet ad fidem non ad meram diſciplinam, & cum ſit latum dumtaxat adverſus præfatum Hæreticorum errorem, nuſpiam pugnare cenſetur adverſus diſciplinam Eccleſiæ & Principum Edicta quæ ſemper ante & poſt Concilium Tridentinum Matrimonia filiorum-familias ſine conſenſu parentum contracta prohibuerunt.

Alii volunt hoc Decretum Concilii Tridentini pertinere ad diſciplinam quod nempe legitur in capite reformationem diſciplinæ ſpectante, non in Canonibus qui fidem continent, & dicunt, etiam poſito quod mens Concilii fuiſſet, intactam relinquere Eccleſiæ conſuetudinem, qua tolerabantur a nonnullis ſæculis ejuſmodi Matrimonia filiorum-familias, & ea non declarare invalida; tamen ex eo minime colligendum, hac in parte diſſentire Eccleſiam, & Reges noſtros, quia Reges Chriſtianiſſimi in citatis Edictis abſolute non declarant hæc Matrimonia eſſe nulla & irrita, tametſi exheredationem & alias pœnas civiles filiis ſine conſenſu parentum contrahentium imponant.

At, inquies, ſolent Judices ſupremi in Parlamentis pronuntiare ejuſmodi Matrimonia eſſe nulla & invalide contracta, *Non valablement contract·s*, hi autem dubio procul ſunt legitimi Regiorum Edictorum interpretes: igitur.

R. plerumque in Parlamentis dijudicari Matrimonia filiorum familias invalide contracta, non præciſe quod ſine conſenſu Parentum fuerunt contracta, ſed quia in ejuſmodi conjugiis quibus non conſenſerunt parentes, occurrit fere ſemper raptus ſeductionis, qui unum eſt ex impedimentis dirimentibus, ut non ſemel declararunt Regis Advocati Catholici, cum ſimiles cauſas & Concilii Tridentini Decretum cum noſtrorum Regum Edictis conciliare ſtuduerunt.

Ter-

Tertia denique reſponſio eſt eorum qui dicunt idcirco utramque poteſtatem Eccleſiaſticam & Civilem in hac parte non diſſentire, quod Concilium ſpectat ſolum Matrimonia in ratione Sacramenti, Reges autem Chriſtianiſſimi ea tantum ſpectant ut Contractus, & quoad effectus civiles, quando declarant in ſuis Edictis Matrimonia filiorum-familias ſine conſenſu parentum contracta eſſe nulla, *Non valablement contractès*, ut manifeſte colligitur, inquiunt, ex ipſis Edictorum verbis, ſic enim Henricus II. loquitur, *Puiſſent être par leurſdits peres & meres & chacun d'eux exheredès & exclus de leur ſucceſſion*, ubi nullum habetur verbum de Sacramento. Quod idem ſtatutum fuit in Edicto Bleſenſi art. XLI. & adhuc clarius a Ludovico XIII. in Edicto an. 1629. quatenus cum ibi loquitur de Matrimoniis filiorum-familias, quibus ſolum deeſt conſenſus parentum, nunquam declarat ea eſſe nulla, *Non valablement contractès*; ſecus vero cum de iiſdem agit Matrimoniis quæ clandeſtinitate laborant, vel a raptoribus contracta, ſtatuens illa eſſe propterea nulla etiam in ratione Sacramenti; quam ſententiam tenent Caballutius, Sambovius, & multi recentiores Canoniſtæ Gallici.

In hanc opinionem gravis proponitur difficultas, ſcilicet in præfatis Principum Edictis Matrimonia declarari invalida etiam in ratione Sacramentis, hoc ipſo quod dicuntur nulla & invalida in ratione contractus civilis, quia Contractus civilis eſt materia Sacramenti in Matrimonio, unde ſequitur conſiſtere non poſſe Sacramentum, ubi Contractus eſt nullus.

Hi autem reſpondent falſum eſſe iſtud ratiocinium, quia conſentiunt omnes in Matrimonio rationem Sacramenti ſubſiſtere poſſe, licet Contractus civilis ſit invalidus, & viciſſim Contractum civilem validum eſſe poſſe ſine ratione Sacramenti. Nam, v. g. ſi raptor & rapta poſt redditam ſibi libertatem ex mutuo conſenſu nubunt, conjugium illorum verum eſt Sacramentum; neque tamen legitimus eſt Contractus civilis juxta Edictum Ludovici XIII. an. 1639. art. III. contra vero Matrimonium aliquod ſervatis omnibus ſolemnitatibus celebratum cum aliquo impedimento dirimente, non eſt Sacramentum, & tamen validus eſt Contractus civilis.

Quæres utrum ſit quoque in ſummis Pontificibus poteſtas ſtatuendi impedimenta dirimentia Matrimonii.

R. 1. Nullum eſſe dubium, quin ſummus Pontifex utpote caput Eccleſiæ, leges poſſit ferre pro tota & univerſa Eccleſia, in eum præſertim finem, ut Canones Eccleſiaſtici, quorum eſt vindex, fideliter ſerventur.

2. Cenſuit S. Thomas ſtatuere poſſe Papam circa Matrimonium, quod forte intelligit de impedimentis quodlibeto 5. q. 8. art. 1. ad. 1. *Eccleſia*, inquit, *in iis quæ ad Matrimonium pertinent, ſe habet tripliciter, uno quidem modo per modum judicantis, alio modo, per modum prohibentis, tertio modo ſtatuentis. Quod autoritate ſummi Pontificis*.

3. Non videri tamen eſſe prudentiæ ſummorum Pontificum, ut hac ſua poteſtate utantur ad nova ſtatuenda impedimenta, tum quia tanti momenti eſt hæc materia, ut in ea novas leges condere videatur Eccleſiæ reſervatum; tum quia, cum, ut diximus, ad Principes ſæculares pertineat etiam impedimenta Matrimonii ſtatuere, & huculque ſemper mirum in modum utraque poteſtas Eccleſiaſtica & Civilis hoc in negotio conſenſerit, vix intelligitur quomodo Papa, inconſultis aliis Epiſcopis, & a Principibus ſæcularibus non requiſitus, vellet nova apponere impedimenta.

4. Quia nullum poteſt proferri exemplum ex quo evidentiſſimum ſit unum ex ſummis Pontificibus novum aliquod impedimentum Matrimonii præſtituiſſe; quando enim aliquid hoc in caſu ſtatuunt & præcipiunt, ſemper ſignificant

Digitized by Google

ſe Decreta & Canones Eccleſiæ ſequi & vindicare, vel aliquid definiunt requiſiti & cum Principum ac Provinciarum conſenſione.

Quæres utrum hæc eadem poteſtas ſtatuendi impedimenta Matrimonii competat Conciliis Provincialibus & Epiſcopis.

R. 1. Certum eſt fere omnia impedimenta quæ hodie ſunt in uſu apud Chriſtianos, fixa primum & impoſita a Conciliis Provincialibus, ut facile colligitur ex antiquis Conciliis, Eliberitano, Neocæſarienſi, Ancyrano, aliiſque multis ubique paſſim habitis, ubi varia identidem Matrimoniis Chriſtianorum oppoſita ſunt impedimenta, quæ poſtea vim & autoritatem obtinuerunt in toto orbe Chriſtiano quod approbata fuerunt in univerſa Eccleſia & Conciliorum Generalium Decretis confirmata. Verum in poſterioribus ſæculis jus illud nova ſtatuendi impedimenta aut alia abolendi videtur ſolis Conciliis Generalibus reſervatum, uti revera præſtitum eſt a Concilio Lateranenſi IV. & Tridentino.

2. Quod ſpectat Epicopos, non apparet eos unquam ſibi arrogaſſe poteſtatem ſtatuendi impedimenta pro ſuis Diœceſanis, id unum ipſis curæ fuit, ut quæ fuerant in Conciliis determinata, accurate ſervarentur, ab iis quandoque raro tamen diſpenſando, qualis etiam nunc viget Eccleſiæ diſciplina.

Quæres utrum per ſolam conſuetudinem aboleri poſſint impedimenta Matrimonii per legem ſtatuta & in Eccleſiis uſitata; tum vero an poſſint nova legitime introduci.

Reſp. 1. per uſum & conſuetudinem aboleri non poſſe impedimenta dirimentia quæ juris ſunt naturalis, & divini, id enim non poteſt conſuetudo, quod nulla efficere poteſt autoritas humana: ſed nulla autoritas humana abolere poteſt quod jure naturali & divino eſt ſtabilitum, cum ſit utroque longe inferior.

2. Nihil vetat quominus per conſuetudinem contrariam aboleantur & ceſſent impedimenta Matrimonii dirimentia, quæ non niſi per leges humanas aut civiles aut Eccleſiaſticas obtinuerant, quia generatim loquendo conſuetudo, ſi ſit legitima, ſi ſit longæva, ſi ſit acceptata ab iis ipſis qui legem contrariam tulerant, vincere poteſt legem, & vim ipſa habet legis, ita Greg. IX. cap. *Cum tanto* de conſuetudine. *Licet*, inquit, *longævæ conſuetudinis non ſit vilis autoritas, non tamen eſt uſque adeo valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitime ſit præſcripta.*

3. Per ſolam conſuetudinem, induci poſſe impedimenta dirimentia, ex eo conſtat quod univerſim loquendo & in omni fere materia, uti habetur in jure, diſt. 1. c. 5. *Conſuetudo eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur cum deficit lex*. Modo tamen, ut aiunt Canoniſtæ, conſuetudo illa juri naturali & divino non adverſetur, modo a pluribus annis obtineat, ac demum ab eo qui curam habet communitatis, & penes quem reſidet *ſuprema* autoritas, aut approbata ſit, *aut ſaltem* tolerata. Quapropter anno 1635. Clerus Gallicanus a Rege Chriſtianiſſimo Ludovico XIII. conſultus reſpondit, Matrimonium Gaſtonis cum *Margareta* Lotharingiæ nullum eſſe & invalidum, eo quod ſine conſenſu Regis contractum fuerat, idque pugnabat contra Regni mores qui tales ſunt, ut Principibus e Regia ſtirpe non liceat ſine conſenſu Regis conjugia inire, quam conſuetudinem, ut aiunt, calculo ſuo comprobavit Eccleſia.

CAPUT XVII.

De diſpenſationibus circa impedimenta Matrimonii.

Certum eſt 1. a nemine dari poſſe diſpenſationes circa impedimenta Matrimonii jure naturali inducta quali

eſt

eſt coactio, impotentia, & ſiquidem ut alibi probatum eſt, nec Deus ipſe diſpenſare poteſt circa jus naturale.

Certum eſt 2. non niſi raro conceſſas olim fuiſſe diſpenſationes etiam in his impedimentis quæ per leges humanas ſuerant appoſita, quas nimirum & ipſis Regibus denegabant ſummi Pontifices. Videntur in hac parte ſeveriorem hanc diſciplinam primi relaxaſſe Alexander III. & Innocentius III. & merito quidem; expedit enim aliquando in lege ſaltem humana diſpenſare, cum ejus obſervantia detrimento eſſet potius quam utilitati.

Quæritur cujus ſit diſpenſationes concedere, an ſummi Pontificis, an Epiſcoporum io qualibet Diœceſi.

R. 1. Non videri jus illud minus competere Principibus ſæcularibus in ſua ditione circa impedimenta quæ ipſi ſtatuerunt, quam Prælatis Eccleſiæ, ſi res in rigore ſumatur; ejus enim eſt diſpenſare a lege, cujus eſt ferre legem. Sed jam a multis ſæculis & forte a temporibus Caroli M. Imperatoris uſus invaluit, tacita Principum conceſſione, ex pio in Eccleſiam ſtudio, non ex ipſius Eccleſiæ invaſione, ſoli Prælati diſpenſent ab impedimentis Matrimonii.

2. Certum eſt nullam extare legem Eccleſiaſticam, nullum Canonem Concilii, quo determinetur penes quem ſit illa poteſtas diſpenſandi. Unde ſequitur inhærendum eſſe communi Eccleſiæ praxi, juxta quam plerumque & in multis caſibus recurritur ad ſummum Pontificem, in aliis vero recurri poteſt ad Ordinarium ſuæ Diœceſeos Epiſcopum: ſunt enim quidam Epiſcopi in hoc Regno qui circa impedimentum cognationis diſpenſant de tertio ad quartum; alii de ſecundo ad tertium, quæ diſpenſationes non poſſunt haberi, nullæ & irritæ. Addi ſolum poteſt univerſim loquendo in uſu eſſe ut Epiſcopi diſpenſent, quando Matrimonium bona fide fuit contractum cum aliquo impedimento occulto, tum etiam quando prope eſt ut contrahatur, rebus omnibus præparatis, adeo ut ſine ſcandalo vel gravi contrahentium detrimento procraſtinari non poſſet recurrendo ad Papam.

Quæres utrum, quando ambo contrahentes commorantur in diverſis Diœceſibus, neceſſe ſit, ut Epiſcopus uterque diſpenſet ab impedimento quo ſunt conſtricti?

R. affirmative, tum quia ita ſentiunt communiter Theologi aſſerentes iterandum eſſe Matrimonium quod contractum fuiſſet invalide niſi ambo Epiſcopi diſpenſaſſent; tum quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis, Epiſcopus autem nullam habet juriſdictionem niſi in proprios Diœceſanos; tum denique quia talis eſt Eccleſiæ praxis; unde quilibet Epiſcopus exprimere ſolet ſe diſpenſare ſuum talem Diœceſanum, de altero nullum habet verbum.

Quæres quid facto ſit opus, cum impetrata fuit diſpenſatio propter detectum impedimentum, ut videlicet convaleſcat Matrimonium invalide contractum.

R. cum diſtinctione, ſi impedimentum eſt occultum, ſatis erit ſi duo conjugati ſecreto ſuum renovent conſenſum, ſed ſi impedimentum ſit publicum, neceſſe eſt ut conjugati ſiſtant ſe coram Parocho, & teſtibus novum conſenſum renovaturi, ut nimirum conſtet eos valide contraxiſſe.

Caput XVIII.

De actu conjugali.

Circa actum conjugalem quædam hic expendemus & breviter quidem; non poſtulat enim inſtituti ratio ut in hac materia caſus ſingulares, prope innumeros deducamus, quod vix decenter fieri poſſet; id abunde a Caſuiſtis præſtitum eſt.

Quæres igitur 1. an & quando actus conjugalis ſit debitus.

R. 1. actum conjugalem ita eſſe debitum,

bitum, ut denegari non poſſit citra peccatum, & quidem quod ex genere ſuo mortale eſt, quia qui debitum conjugale denegat, injuſtitiam committit in re gravi. Id fundatur in his Chriſti verbis, Matth. 19. *Qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*. Qui enim uxori debitum negat, ſimilis eſt dimittenti, quatenus ei mœchandi occaſionem præbet. Unde Apoſtolus ait I. ad Corint. 7. *Nolite fraudare invicem*. Legi poteſt ſuper illo argumento S. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 6. & 7. deinde tria dicuntur a Theologis Matrimonii bona, proles, fides, & Sacramentum; fides autem illa, eſt ea quæ dicitur conjugalis, & quæ duo ſecum importat ſcilicet non commiſceri cum alio, & exigenti conjugi debitum reddere. Magna autem committitur injuſtitia, ab eo qui debitum conjugale denegat, quia conjuges per Matrimonium poteſtatem corporum ſibi mutuo tranſtulerunt, dicente Apoſtolo: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir*.

Obſervat tamen Eſtius ratione circumſtantiarum fieri ſæpe, ut debiti negatio ſit tantum culpa venialis, ut, v. g. ſi petitio ſit immoderata, vel ſi probabile ſit nullum ſubeſſe incontinentiæ periculum.

Quin & debitum conjugale citra culpam denegari poteſt in quibuſdam circumſtantiis; 1. Si reddi non poſſit, ſine detrimento ſanitatis illius qui petit, id enim exigit Ordo charitatis; 2. Si conjux debitum exigens adulteraverit; 3. Si laboret morbo contagioſo, idem ſit judicium, inquit Eſtius, de morbo quem Galli Hiſpanicum, Hiſpani Gallicum vocant; 4. Si exigens ſit ebrius, præſumitur enim non agere humano modo & cum ratione.

Conjuges hortatur Apoſtolus I. Cor. 7. ut ad tempus abſtineant ab actu conjugali, *Ut vacent orationi*, ſunt autem, inquiunt Theologi, orationis tempora, omnes Dies Feſti, ſed præſertim ſolemniores, ut Paſcha, Pentecoſtes, &c. deinde dies jejuniorum, quadrageſimæ, quatuor temporum, &c. Verum hoc ita intelligi debet, quod his temporibus peti non debet a conjugibus debitum conjugale, non autem quaſi reddere non liceat petenti, quia expreſſe ait Apoſtolus, *Nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu*. Quod probat non modo licitum ſed etiam neceſſarium eſſe dictis temporibus orationis reddere debitum ſi exigatur.

Quæritur an peccatum ſit accedere ad uxorem prægnantem, tum vero tempore puerperii & fluxus menſtrui.

R. in his caſibus debitum non eſſe exigendum, tum propter varia incommoda quæ inde ſequuntur, tum quia id magnam incontinentiam redolet. Volunt tamen plerique Theologi veniale duntaxat eſſe illud peccatum quod committeret maritus debitum exigens & nullum admitti ab uxore quæ redderet, quod nimirum hac ratione maximum avertit a marito ſuo malum, impediens ne in fornicationem incidat.

Cæterum actus conjugalis qui exercetur ob ſolam voluptatem, non caret omni culpa ſaltem veniali, ut expreſſe docet S. Auguſtinus lib. de bono conjugii cap. 5. his verbis, *Conjugalis concubitus concupiſcentiæ ſatiandæ cauſa, ſed tamen cum conjuge, venialem habet culpam*; unde hanc Propoſitionem damnavit Innoc. XI. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa & defectu veniali*.

Hoc fundamento nititur, illa Doctrina, quod finis legitimus conjugii adeoque actuum conjugalium qui exercentur, debet eſſe generatio prolis. Unde ſequitur mortaliter peccare quoſquos conjugati impediunt, ne ex carnali commixtione concipiatur proles; Gen. 38. factum Her & Onam dicitur deteſtabile, & Innoc. XI. damnavit Propoſitiones quorumdam dicentium licite procurari poſſe abortum ante animationem fœtus.

Quæ-

Quæritur an peccatum ſit conjugibus uti Matrimonio in remedium contra adulterium.

R. circa hanc quæſtionem diſſentire Theologos, alii enim putant ſaltem veniale peccatum eſſe, quia conjuges dum hoc fine actum conjugalem, concupiſcentiæ obſequuntur, quam refrænare poſſent piis quibuſdam operibus; tum quia ita ſentiunt S. Auguſtinus in Enchiridio cap. 78. & multi Thologi tum antiquiores, tum moderni. Contra vero docent alii id maxime licitum eſſe & ab omni culpa vacuum, tum quia ſcribunt paſſim SS. Patres Matrimonium haberi, pro infirmitatis humanæ remedio; tum quia ſenes quibus nulla procreandæ prolis affulget ſpes, licite tamen in facie Eccleſiæ contrahunt; tum denique quia metus ille, quo pulſatur conjux debitum exigens, bonus eſt & honeſtus, quatenus nempe timet ne in fornicationem incideret.

Caput XIX.

De Sponſalibus.

Sponſalia reſpiciuntur ut quædam præparatio ad Sacramentum Matrimonii; ſunt enim ad Matrimonium ſicut Novitiatus ad Profeſſionem vitæ Monaſticæ. *Sponſalia*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 1. art. 1. ad. 6. *ſunt quædam Sacramentalia Matrimonii, ſicut exorciſmus Baptiſmi*. Unde in quibuſdam Diœceſibus per aliquod temporis ſpatium præmittuntur celebrationi Matrimonii, quibus peractis deſponſati ſedulo expendere debent, quænam ſint Matrimonii contrahendi officia & onera, quæ quidem ipſos pro munere ſuo docere tenentur Parochi.

Sponſalia definiuntur, mutua & libera futuri Matrimonii promiſſio verbis aut aliis ſignis ſufficienter declarata inter perſonas ad contrahendum habiles; quæ quidem definitio majori explicatione non eget. Neceſſaria non ſunt abſolute ad validitatem Matrimonii, ſed tamen non debent prætermitti, rem ita præſcribente Eccleſia multis ex cauſis legitimis.

Duplicis ſunt generis, alia Eccleſiaſtica, quæ ſiunt ſolemniter, & ut aiunt, in facie Eccleſiæ coram Parocho; alia vero non Eccleſiaſtica quæ ſiunt ſine ulla ſolemnitate & extra Eccleſiam, per nudam ſpondentium promiſſionem. Utraque rata & valida, quia Concilium Tridentinum declaravit quidem Matrimonia clandeſtina non eſſe valida, ſed circa clandeſtinitatem ſponſalium nihil omnino ſtatuit, quanquam ea eſſe adhibenda in iis locis in quibus uſurpantur, innuere videatur Seſſ. 24. cap. 1. his verbis, *Si quæ Provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus conſuetudinibus & cæremoniis utantur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat*.

Utraque ſunt rata & valida, quia Concilium Tridentinum declaravit quidem Matrimonia clandeſtina non eſſe valida, ſed circa clandeſtinitatem ſponſalium non eſt eadem Eccleſiarum praxis; in quibuſdam enim Diœceſibus adhibetur ſolemnitas, in aliis non adhibetur. In quibuſdam præcipitur, in aliis non præcipitur, quin & in aliis diſtricte prohibetur, quod nimirum nonnulli præ ignorantia putabant ſe poſſe legitime ſecum invicem habitare, poſtquam fuerant ſolemniter deſponſati.

Quæres quænam perſonæ ſint habiles ad contrahenda ſponſalia, quænam inhabiles.

R. 1. ſponſalia valide contrahere non poſſe pueros qui nondum ſeptennium attigerunt. In veteri jure impuberes ſeptennio majores valide quidem ſponſalia contrahebant cap. *Litteras* lib. 4. de deſponſ. ſed in præſenti Eccleſiæ diſciplina major requiritur ætas. In Rituali Pariſienſi hoc præſcribitur pag. 343. *Non admittat Parochus ad ſponſalia contrahenda impuberes niſi conſentiant parentes, vel tutores*. quia, ut habetur in jure,

Digitized by Google

jure, *In ſponſalibus etiam conſenſus eorum exigendus eſt, quorum in nuptiis deſideratur*. Secundo, Sponſalia valide contrahere non poſſunt, qui aliquo impedimento dirimente obſtricti ſunt, quia ſponderent de re impoſſibili, niſi certi ſint futurum ut impedimentum non ſit perpetuum & brevi tollatur; unde Parochus, antequam ſpondentibus benedicat, eos interrogare tenetur, num aliquo impedimento ligati ſint, necne. Tertio, invalida ſunt ſponſalia ſecunda prioribus non diſſolutis ex lib. 4. tit. de Sponſalib. cap. *Sicut*. Quarto, invalide deſponſarentur puella rapta & ejus raptor, in cujus poteſtate illa eſt, quod conſentaneum eſt menti Patrum Tridentinorum in Decreto de raptu, Seſſ. 25. cap. 6.

Notandum eſt, impuberes contrahere poſſe ſponſalia ex conſilio & autoritate parentum ſuorum, hoc eſt, patris & matris, non aliorum cognatorum & affinium. Neque ſimiliter ex autoritate curatorum & tutorum, quod quidem ita jure Canonico ſtatutum eſt, quia pater & mater, non autem alii præſumuntur bonum liberorum ſemper & in omni caſu procurare.

Quæres quinam ſint ſponſalium effectus.

R. Duos potiſſimum eſſe ſponſalium effectus, unum jure naturali, alterum jure Canonico inductum.

Prior eſt obligatio contrahendi Matrimonium mutuo & libere promiſſum, idque jure ipſius pacti & conventionis, quia lex naturalis dictat quemlibet teneri fidem præſtitam ſervare: ita ut hæc promiſſio obliget in conſcientia ſub pœna peccati mortalis ex ſententia S. Thomæ in Supplem. q. 43. art. 1. ad 2. hæc ſcribentis, *Dicendum quod ex tali promiſſione obligatur unus alteri ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum*. Ratio eſt, quia illi eſt aliquod genus perfidiæ in re gravi & magni momenti, & qui fidem datam non ſervat, ex hoc plerumque magnum infert alteri detrimentum. Quod tamen intelligas, niſi legitime adſint cauſæ ſponſalia diſſolvendi.

Poſterior ſponſalium effectus, eſt impedimentum publicæ honeſtatis, de quo ſuperius a nobis dictum eſt, in diſpoſitione de impedimentis Matrimonii.

Notandum eſt autem ea ſolum ſponſalia obligare, & præfatum publicæ honeſtatis impedimentum parere, quæ ſunt rata & valida; ita definiente Concilio Trid. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 3. *Publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit, ubi autem valida fuerint primum gradum non excedant;* & quia etiam ſecundum regulam juris in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi*. Invalida ſunt autem ſponſalia præter caſus mox recenſitos, quando facta ſunt per vim aut fraudem, non libere & ſincere; 2. Quando promiſſio non eſt mutua, ſi, v. g. vir promiſerit neſciente vel non conſentiente puella aut viciſſim. 3. Quando promiſſio facta eſt ſub conditione mala & inhoneſta, quia ut alia fert regula juris in ſexto. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*.

Quæres utrum & quibus ex cauſis diſſolvantur ſponſalia.

R. 1. Licet graviter peccet, ut mox diximus, qui ex deſponſatis nulla cauſa legitima interveniente ſponſalia diſſolvit altero non conſentiente, tamen eum non eſſe a judice cogendum ad fidem ſervandam, & Matrimonium revera contrahendum, quia Matrimonia debent eſſe libera, *Moneatur*, inquit, Papa Lucius cap. *Requiſivit*, de Sponſ. *potius quam cogatur, cum Matrimonia ſemper debeant eſſe libera, & coactiones ſoleant in his caſibus frequenter difficiles habere exitus*. Idem docet S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 2. art. 1. ad 2. ubi ait deſponſatos non eſſe in foro contentioſo ad contrahendum compellendos, ſed ipſis imponendam eſſe pœnitentiam pro peccato.

R. 2.

R. 2. Legitime diſſolvi ſponſalia & in multis caſibus, ut perſpicuum eſt ex jure Canonico tit. lib. 4. de Sponſalib. & ut docet conſtans Eccleſiæ praxis: hi autem caſus ſunt: 1. Quando uterque mutavit conſilium: 2. Si unus ex deſponſatis cum alio Matrimonium ineat, cap. *Sicut ex Litteris*, de Sponſ. quia ex duobus vinculis majus præſtat minori; Matrimonium autem ſi videlicet ſit valide contractum, longe majorem parit obligationem quam ſponſalia. Neque idem eſt judicium de ſecundis ſponſalibus quæ non diſſolvunt prima, quia duorum ſponſalium par eſt vinculum; ubi autem ſunt duo vincula paria, prius prævalet, & dirimit poſterius; 3. Si alteruter deſponſatorum in fornicationem incidat, quia ſecundum regulam juris in 6. *Fruſtra quis ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari, qui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat*. Quod tamen intelligi non debet niſi in favorem partis innocentis, ita ut niſi ipſa conſentiat, ſponſalia non diſſolvantur, quia, ut alia fert juris regula, *Sine culpa niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*; 4. Diſſolvuntur ſponſalia per affinitatem ſupervenientem ex copula fornicaria unius cum alterius conſanguinea, c. *Cum in tua*; 5. Diſſolvuntur per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum & per ingreſſum in Religionem, nec in illis caſibus perjurus eſt ille ex deſponſatis, qui partem promiſſam derelinquit, quia tunc fidem non violat, ſed in melius commutat. An vero diſſolvantur quoque per ſimplex caſtitatis votum, diſputatur inter Theologos, utraque ſententia inſignes habet fautores; Si unus ex deſponſatis diu abeſt relicta altera parte abſque ejus conſenſu; tunc enim voluntatem contrahendi mutaſſe merito cenſetur, & ideo jus ſuum omne amiſit. Denique ſponſalia dirimuntur, quando ſuperveniunt graves cauſæ, ut inimicitiæ inter utramque deſponſatorum familiam, ut ſi in alterutra ſuperveniat aliqua infamia, in uno ex deſponſatis aliqua mutilatio, gravis morbus, bonorum ſpoliatio, &c.

Quæritur autem utrum ad ſponſalium diſſolutionem requiratur aliqua ſolemnitas, puta per judicis Eccleſiaſtici ſententiam, vel ſufficiat ſimplex deſponſatorum conſenſus.

R. In iis Diœceſibus, in quibus cum ſolemnitate & benedictione Parochi fiunt ſponſalia, uſum ſimiliter obtinere, ut nonniſi per ſententiam judicis Eccleſiaſtici diſſolvantur; ſecus vero in aliis locis, in quibus mutua fit promiſſio ſine ulla ſolemnitate ex ſolo ſpondentium conſenſu; tunc enim ſufficit pariter mutuus deſponſatorum conſenſus; conſtans enim eſt hæc juris regula, *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*.

APPEN-

APPENDICES AD SACRAMENTUM POENITENTIÆ.

APPENDIX PRIOR DE PURGATORIO.

NOmine Purgatorii intelligitur medius quidam ſtatus inter ſtatum Beatorum & damnatorum. Scilicet Eccleſia Catholica docet quammultos fideles juſtos, qui decedunt in ſtatu gratiæ non ſtatim collocari inter Sanctos, nec frui ſumma beatitudine, quod in ipſis purganda reſtat aliqua macula, vel ex peccatis venialibus non dimiſſis, vel ex reatu pœnæ qui conſequitur peccata mortalia per Pœnitentiam expuncta: quo poſito, hic animarum ſtatus vel locus nomine Purgatorii aptiſſime donatur a Catholicis. Hic autem nonnullæ agitari ſolent quæſtiones, prima & omnium potiſſima, utrum ejusmodi Purgatorium ſit admittendum; ſecunda eſt de qualitate pœnarum, quas mortui patiuntur in Purgatorio; tertia eſt de loco Purgatorii; quarta demum, an animæ mortuorum quæ detinentur in Purgatorio, certæ ſint de ſua æterna ſalute.

CAPUT I.

An ſit aliquod Purgatorium.

PUrgatorii exiſtentiam negare quodam modo viſus eſt Aerius, qui degebat ſæculo quarto, & contra piam Eccleſiæ praxim auſus eſt docere pro mortuis non eſſe orandum, ut teſtantur S. Epiphanius Hæreſi 75. & S. Auguſtin. lib. de Hæreſib. hæreſi 53. Hinc enim ſequitur, ut ait Bellarminus cum cæteris Theologis, defunctos non egere precibus, aut per illas juvari non poſſe, quod utrumque Purgatorii dogmati repugnat.

At Purgatorium expreſſe negarunt Waldenſes, referentibus Guidone Carmelita in Summa de Hæreticis, & S. Antonino in Summa 4. par. tit. 11. c. 7. Item Purgatorium rejiciunt Lutherani omnes poſt Magiſtrum ſuum, qui libro ad Waldenſes de Euchariſtia hæc ſcribit, *Cum negatis Purgatorium damnatis Miſſas, Vigilias, Cœnobia, Monaſteria, & quicquid per hanc impoſturam erectum eſt, per omnia etiam probo*. Quanquam catholice primum locutus fuiſſet de Purgatorio verſipellis ille hæreſiarcha, nimirum in diſputatione Lipſica, *Ego*, inquit, *qui credo fortiter, immo auſim dicere, Scio Purgatorium eſſe, facile perſuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem*.

In eodem errore verſantur Calviniſtæ, duce Calvino, qui lib. 3. Inſtitut. cap. 5.

cap. 5. ſic loquitur: *Clamandum ergo non modo vocis, ſed gutturis ac laterum contentione, Purgatorium exitiale ſatanæ eſſe commixtum, quod Chriſti crucem evacuat, quod fidem noſtram labefacit & evertit*. Hos inter Calvini ſectatores eminuit ultimo ſæculo Joannes Dallæus, qui adverſus Catholicam de Purgatorio doctrinam, grande volumen, *de operibus ſatisfactoriis* inſcriptum, edidit. In quos omnes ſit

Conclusio.

Admitti debet Purgatorium.

Probatur 1. ex celebri loco qui legitur lib. 2. Machabæorum, cap. 12. his verbis, *At vero fortiſſimus Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitans... Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Ex quo teſtimonio catholicum de Purgatorio dogma eruere merito ſolent Theologi, quia non modo legitur factum Judæ Machabæi, qui drachmas argenti miſit Jeroſolymam, ut Sacrificia pro mortuis offerrentur, putans conſequenter illos mortuos, tametſi pro religione vitam in bello profudiſſent, nondum tamen eſſe plene purgatos; ſed autor ipſe ſacer proprio nomine ſubjungit, bonum eſſe pro mortuis orare ut ab omni peccatorum reatu ſolvantur, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis ſolvantur*. Unde manifeſte elicitur Purgatorium; fruſtra enim pro mortuis preces & Sacrificia offerentur, niſi pro certo teneatur medius ille ſtatus inter Beatos in cœlo, & damnatos in inferno; ſi quidem Beati qui ſupponuntur jam frui æterna & cœleſti felicitate, nihil habent amplius expectandum, aut ſaltem precibus Eccleſiæ non egent, ut a peccatis ſolvantur. Neque etiam preces funduntur pro damnatis, qui cum dæmonibus in inferos fuere detruſi, quia in Inferno nulla omnino eſt redemptio. Reſtat igitur ut illæ preces afferri cenſeantur pro quibusdam piis viris, qui in ſtatu gratiæ defuncti ſunt, & quibus tamen manet aliquod ſolvendum debitum, vel quia commiſerunt peccata venialia, vel quia plene non ſatisfecerunt pro mortalibus licet dimiſſis, ac proinde ſupponitur Purgatorium.

Hujus argumenti vim ut eludant Hæretici, multa ſolent opponere. 1. Inquiunt, nullius momenti eſt, quod adducitur ex libris Machabæorum, qui apocryphi ſunt, nec in canone Judæorum exſtant. 2. Ad ſummum in iſto teſtimonio habetur unius hominis exemplum, quod imitari non tenemur. 3. Nulla ibi habetur mentio de Purgatorio, quod minus bene colligitur ex eo quod oratum & ſacrificatum fuit pro mortuis, neque enim valet iſta conſequentia, Oratum eſt pro mortuis: ergo erant in Purgatorio. Potuerunt Judæi orare pro mortuis ex alio fine quam ut defunctos eruerent ex Purgatorio. 4. Ex illo loco plane oppoſitum colligitur; nam præcepit Judas, ut offerrentur ſacrificia & preces pro iis qui in peccato mortali obierant, ut patet ex eo quod ſub tunicis illorum occiſorum reperta fuerunt de donariis idolorum, quæ illicite rapuerant.

Reſp. ad ſingula hæc momenta.

Ad primum dico, libros Machabæorum haberi ut canonicos in Eccleſia Catholica, tametſi non reperiantur in canone Judæorum, quod ſufficit, ut ex illis libris colligatur certum rei probandæ argumentum: quibus momentis id aſſeratur & quid reſpondendum ſit objectionibus quas in oppoſitum congerere ſolent Hæretici, jam examinandi locus non eſt. Verum licet liber iſte Machabæorum non annumeraretur inter canonicos, ſaltem ei fides deberetur, quæ hiſtorico denegari non poteſt; & conſequenter ex iſto Judæ facto colligere liceret hanc communem fuiſſe Judæo-

rum praxim, ut pro mortuis funderentur preces, ex qua praxi pia nimirum & laudabili, & quam poſtea, ut mox dicemus, adoptavit Eccleſia Catholica, merito colligitur Purgatorium.

Ad ſecundum dico id omne quod legitur in præfato Machabæorum libro, non denotare rem ab uno tantum viro factam; tum quia habetur factam fuiſſe omnium collationem, *collatione facta*. Tum quia non videtur Judas rem inſolitam præcepiſſe, omnes enim ſtatim obediunt, *Omnes qui cum Juda erant, ad preces converſos*. Tum denique quia & ex illo loco argumentamur, quatenus autor ſacer hujus libri propria mente approbat orationem pro mortuis tanquam ſanctam & ſalutarem, *Sancta & ſalubris eſt cogitatio exorare pro mortuis, &c.*

Ad tertium, revera non fit eo loci mentio expreſſa de Purgatorio quoad nomen ipſum, bene vero quoad rem, quia ut dictum eſt, praxis orandi pro mortuis clare denotat ſtatum medium inter Beatos & damnatos pro animabus piorum in ſtatu gratiæ ſanctificantis defunctorum, & quibus nonnihil eluendum ac purgandum ſupereſt, quia nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum. Porro cum dicimus ex oratione pro mortuis colligi Purgatorium, non ſic ratiocinamur, Oratum eſt pro mortuis; ergo erant in Purgatorio; ſed hæc eſt noſtra ratiocinatio, Oraverunt pro mortuis: ergo exiſtimabant forte ex illis multos attineri in Purgatorio, quod valde probabile eſt de majori fidelium parte, vel qui rei ſint quorumdam peccatorum venialium, vel qui pro peccatis mortalibus dimiſſis ſatisfactionem non exhibuerint completam; quod quidem ſignificatur in hoc Machabæorum loco per hæc verba, *ut a peccatis ſolvantur*. Adeoque non ex alio fine Judæos oraſſe tunc pro mortuis.

Ad quartum dico, plane incertum fuiſſe an milites illi obierint in ſtatu peccati mortalis, vel in ſtatu gratiæ, potuerunt enim de ſuis peccatis dolere ſufficienter ad remiſſionem illorum a Deo obtinendam in ipſo mortis articulo. Sub quo fundamento Eccleſia Catholica orat quotidie & orandum eſſe jubet pro mortuis, de quorum ſtatu plane ignoratur.

Eſt & alius Scripturæ locus ex quo probare ſolent Theologi extare quoddam Purgatorium, I. ad Corint. cap. 3. ſic loquitur S. Paulus, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamenta hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit. Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit, mercedem accipiet, ſi cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. Vere quidem multæ ac prope innumeræ ſunt etiam inter ſe diſcrepantes & SS. Patrum & Theologorum hujus loci interpretationes, ſed communior mihi videtur illorum ſententia qui cenſent, 1. hic metaphoram adduci a S. Paulo petitam a domo quæ ſi ex auro, argento & lapidibus pretioſis constructa ſit, igne non læditur; ſin ex ligno & ſtipula, facile aduritur; 2. per aurum & argentum eo loci debere intelligi bona & ſancta opera, ac præſertim magiſque ad mentem Apoſtoli doctrinam ſanam; 3. per lignum, fœnum, & ſtipulam intelligi peccata levia & venialia, magis vero proprie doctrinam frivolam & inutilem; 4. illum ignem, *Ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem*, explicandum eſſe de igne Purgatorio, ita ut integer ille locus hunc habeat ſenſum, Debetis, o Corinthii, inquit S. Paulus, ſuperædificare ſuper hoc fundamentum, qui Chriſtus eſt, bona opera & bonam doctrinam; ſi quidem aliquando ignis probabit uniuſcujuſque opera & doctrinam, ignis quidem Pur-

Purgatorius ſtatim poſt mortem & in judicio particulari, & poſtea ignis qui in die judicii univerſalis declarabit quale opus fuerit probatum per ignem Purgatorium; adeo ut, ſi quod opus nondum fuerit plene probatum, id fiat in ultimo judicio, *Ipſe autem ſalvus erit. Sic tamen quaſi per ignem*. His adde S. Auguſtinum confiteri lib. de fide & operibus cap. 15. hunc locum eſſe valde difficilem.

Dices: In illo loco dies Domini ſignificat ultimum judicium, hoc enim ſenſu tantum ubique paſſim accipitur in Scripturis Lucæ 17. *Secundum hæc erit in die in qua revelabitur Filius hominis*. II. ad Timoth. cap. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die*. & Act. 2. *Antequam adveniat dies Domini magnus & manifeſtus*. Neque videtur locus in quo *dies Domini* ſignificet diem mortis & judicii uniuſcujuſque; ſed ſcribit hoc in eodem loco S. Paulus, prius diem Domini venturum, ac deinde per ignem opera eſſe probanda: igitur id intelligi non poteſt de igne Purgatorio qui præcedit judicium univerſale.

Reſpondetur eo loci S. Paulum uſum eſſe hebraiſmo in ſcripturis uſitatiſſimo, & horum verborum, *in igne revelabitur dies Domini*, ſenſum eſſe, igne præcedente diem Domini revelatum iri, quemadmodum Ezechiel. 18. legitur, *Juſtus in juſtitia ſua vivet*: quod intelligitur non de illa quam conſequetur in altera vita, ſed de ea quam prius in hac vita conſecutus eſt, niſi dicatur, ut ait Maldonatus, ignem non accipi eodem modo in illo Pauli teſtimonio, quando repetitur.

At, inquies, S. Paulus loquitur de Hæreticis qui falſam diſſeminant doctrinam, cum ait, *Si quis ſuperædificat ligna, fœnum, ſtipulam ſicut per aurum, argentum, & lapides pretioſos*, intellexit ſanam doctrinam: ſed Hæretici non tranſibunt per ignem Purgatorium, nec ſalvi fient per ignem, ſed damnabuntur; ergo.

Reſponderi poteſt S. Paulum non loqui de Hæreticis, ſed de nonnullis Catholicis qui per doctrinas inutiles & bonis moribus parum conſentaneas ſuperædificare cenſebantur ſuper Chriſtum paleas, fœnum & ſtipulam. Et ratio eſt quia Hæretici diſcedunt a fundamento qui Chriſtus eſt, nec ſuper Chriſtum ſuperædificant, quod itidem indicatur ex hac ipſa metaphora, quam aſſumit Apoſtolus ex fœno & ſtipula ad ſignificanda peccata venialia, cum lignum, fœnum & ſtipula igne conſumantur, non ex plumbo, cupro & aliis ejuſmodi metallis quæ igne non abſumuntur & quæ tamen auro & argento non apponit.

Sunt & alia ſcripturæ loca, quibus uti ſolent plerique Theologi ad aſſerendum hoc Purgatorii catholicum dogma, inhærendo hac in parte veſtigiis plurimorum ex antiquis Patribus, cujuſmodi eſt quod legitur Malachiæ, cap. 3. his verbis, *Ipſe ingreditur quaſi ignis conflatorii & quaſi herba lavantium & ſedebit conflans & emundans, ſicut aurum, ſicut argentum*. item Iſaiæ 9. *Succenſa eſt quaſi ignis impietas, & veprem & ſpinam devorant*. item Purgatorium probant ex iſto loco Matth. 2. *Non remittetur peccatum in Spiritum ſanctum, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. quod ex his verbis colligitur aliqua eſſe peccata quæ in futuro ſæculo remittentur. Et rurſus ex iſto Lucæ 23. ubi latro dicit Chriſto, *Memento mei cum veneris in regnum tuum*. Quæ verba indicant illum crediſſe, in alia vita Chriſtum poſſe ſibi peccata remittere. Verum his & aliis ſimilibus referendis ac diſcutiendis ſuperſedeo, quia prolixitatem non patitur hujus inſtituti ratio, & aliunde duo ſcripturæ teſtimonia ſuperius expoſita ad hanc aſſerendam doctrinam abunde ſufficiunt.

Digitized by Google

Caput II.

Aſſeritur Purgatorium ex Traditione.

CErte adeo clara & aperta eſt ſuper hoc capite Eccleſiaſtica Traditio, ut, licet nullum extaret Scripturæ teſtimonium, nullus tamen ſupereſſet locus dubitandi de exiſtentia Purgatorii. Duplex autem teſtimoniorum genus reperitur apud SS. Patres vel antiquiſſimos; prius eſt eorum qui referunt conſuetudinem fuiſſe in Eccleſia preces & Sacrificia offerendi pro mortuis. Poſterius eſt eorum, qui de Purgatorio diſerte meminerunt.

Ac primo quidem ſemper & ubique in omnibus Eccleſiis viguiſſe hanc praxim precandi pro mortuis, teſtes ſunt Tertullianus lib. de Monogamia cap. 10. *Enimvero*, inquit, *pro anima ejus* (mariti defuncti) *orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus, nam hæc niſi fecerit, vere repudiavit quantum in ipſa eſt*. Idem docet lib. de exhortatione caſtitatis cap. 11.

S. Cyprianus lib. 1. Epiſt. 9. *Epiſcopi*, inquit, *anteceſſores noſtri cenſuerant, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. & poſtea, *Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam Geminium Fauſtinum presbyterum auſus ſit actorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua*.

S. Cyrillus Jeroſolym. Catecheſi 5. Myſtagogica, *Denique pro omnibus oramus qui inter nos vita functi ſunt, maximum credentes eſſe animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio Sancti illius ac tremendi Sacrificii*.

S. Epiphanius hæreſi 75. inter errores Aerii computat quod negaret orandum eſſe pro mortuis, ſic vero illum inducit loquentem, *Quæ ratio eſt poſt obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona ſua diſpenſet, quid ex ea re tandem ad mortuum reddit? Quod ſi ſuperſtitum preces iis qui ex hac vita diſceſſerint opitulari poſſunt, nemo pie deinceps agat aliquid, neque boni quicquam faciat ſed amicos ſibi aliquos quacunque ratione velit adjungere, ſive pecuniarum largitione, ſive precibus hoc ab illis ſub vitæ finem impetret, ut pro ſe Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium a ſe facinorum pœnæ repetantur*. Oppoſitum igitur tenebat Eccleſia Catholica.

S. Ambroſius Epiſtol. 93. ad Fauſtinum de obitu ſororis ſic loquitur, *Itaque non tam deplorandam quam proſequendam orationibus reor, nec mœſtificandam lacrymis tuis, ſed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam*. Conſuli poſſunt orationes de obitu Theodoſii & de obitu Valentiniani, in quibus ſimiliter docet preces & Sacrificia multum prodeſſe mortuis.

S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis cap. 1. *In Machabæorum libro*, inquit, *legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, ſed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret autoritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad altare ejus funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum*. in Enchiridio cap. 109. *Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur*: idem docet lib. 21. de civitate Dei cap. 24. Tractatu 84. in Joan. & in multis aliis locis. Præterquam quod habet etiam Aerium ut hæreticum lib. de hæreſibus Hæreſi 53. eo quod diceret, *non oportere orare vel offerre pro mortuis*.

S. Chryſoſtomus homil. 32. in Matth. probat futuram corporum reſurrectionem ex precibus Eccleſiæ pro mortuis,

tuis, *Cur*, inquit, *poſt mortem tuorum pauperes convocas? Cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obſecras?* Homil. in I. ad Corinth. *Juvetur*, inquit, *mortuus, non lachrymis ſed precibus, ſupplicationibus, eleemoſynis*. Atque ita univerſim locuti ſunt omnes Patres & Græci, & Latini, nullo excepto, prout videre eſt apud Bellarminum qui multa eorum teſtimonia exſcripſit. Quibus monumentis addere merito poſſumus antiquiſſimas SS. Baſilii, Chryſoſtomi & aliorum liturgias, in quibus preces funduntur pro defunctis, ut videlicet æternam requiem largiatur ipſis Deus, *Memento omnium fidelium defunctorum qui dormierunt in ſpe reſurrectionis & quieſcere eos facito, ubi videtur lumen vultus tui*. Tum vero & multa veterum Conciliorum Decreta in quibus ſtatuunt orandum eſſe pro mortuis, adeo ut nemo dubitare poſſit hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ praxim.

Secundo, & verbis expreſſis Purgatorium commemorarunt SS. Patres, quid enim clarius, v. g. quam quod ſcribit Origenes Homil. 12. in Jeremiam, *Si enim*, inquit, *poſt fundamentum Jeſu Chriſti non ſolum in tuo corde aurum & argentum, & lapidem pretioſum (ſi tamen habet aliquid auri vel argenti) ſuperædificaveris, verum & ligna, fœnum & ſtipulam, quid tibi vis fieri, cum anima ſejuncta fuerit a corpore? Utrumnam ingredi vis in ſancta cum lignis tuis, cum fœno & ſtipula & polluas regnum Dei, an propter lignum & ſtipulam foris reſidere, & pro auro, argento, & lapide pretioſo nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum eſt. Quid igitur niſi ut primum propter ligna ignis tibi detur qui conſumat fœnum, lignum vel ſtipulam*.

Sic & loquitur S. Gregorius Nyſſenus oratione de mortuis, *Hanc divina Sapientia excogitavit rationem, ut in iis hominem eſſe ſineret quæ ſibi ipſe elegiſſet, quo guſtatis malis quæ concupiverat, experiendoque diſcens, quæ quibus commutaſſet, ea cupiditate rurſum incenderetur, ut vitiorum perturbationumque quæ rationi inimicæ ſunt, onere depoſito, & vel in præſenti vita precibus ſapientiæque ſtudio purgatus, vel poſt obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus ad priſtinam vellet redire felicitatem*. & infra, *ut ad bonum perveniat, cum e corpore egreſſus cognita quæ inter virtutem & vitium differentia eſt, non poterit divinitatis particeps Purgatorius ignis abſtulerit .... aliis poſt hanc vitam Purgatorio igne materiæ labes abſtergentibus*.

S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, *Quid ad nos qui diabolum & ſatellites ejus, omneſque impios & prævaricatores dicimus perire perpetuo, & Chriſtianos ſi in peccato præventi fuerint, ſalvandos eſſe poſt pœnas*. Idem docet Comment. in Iſaiam.

Et S. Auguſtinus multis in locis, lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 20. *Qui forte agrum non coluerit & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis, & poſt hanc vitam habebit vel ignem purgationis vel pœnam æternam*. in Pſal. 37. *Quia dicitur, Salvus erit, ille ignis contemnitur, ita plane, quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quicquid poteſt homo pati in hac vita*. lib. 21. de civit. Dei cap. 16. loquens de infante baptizato ſic habet, *Non tantum pœnis non præparatur æternis, ſed nec ulla poſt mortem Purgatoria tormenta patitur*. & cap. 24. loquens de adultis qui non niſi venialibus peccatis obſtricti ſunt, cum decedunt, *Tales*, inquit, *conſtat ante judicii diem per pœnas temporales quas eorum ſpiritus patiuntur, purgatos æterni ignis ſuppliciis non tradendos*. Quibus ſimilia reperies apud alios paſſim SS. Patres, S. Baſilium in cap. 9. Iſaiæ; S. Gregorium Nazian. orat. 40. Theodoretum in I. ad Corinth. 3. S. Gregorium Mag. lib. 4. Dialog. cap. 39. Iſido-

Digitized by Google

dorum lib. 1. de divinis Officiis cap. 18. Bedam in Pſalm. 57. & alios, quorum teſtimonia tametſi ad rem iſtam aſſerendam luculentiſſima brevitatis cauſa non aſſerimus. Sed interim ex iſtis notare eſt, impudentiſſimum Calvini mendacium dicentis, inauditum fuiſſe apud veteres Purgatorium.

Quocirca merito hæc definivit Concilium Tridentin. Seſſ. 25. *Cum Catholica Eccleſia Spiritu ſancto edocta ex ſacris Litteris, & antiqua Patrum traditione in ſacris Conciliis & noviſſime in hac œcumenica Synodo docuerit Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis potiſſimum vero acceptabili altaris Sacrificio juvari, præcipit ſancta Synodus, ut ſanam de Purgatorio doctrinam a SS. Patribus & ſacris Conciliis traditam a Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant.* Eadem Doctrina aſſeritur. ſeſſ. 6. Can. 30.

Probatur inſuper Purgatorium ratione Theologica, quatenus admittitur a Catholicis, & ad plene ſatisfaciendum pro pœna peccatis mortalibus dimiſſis debita, & ad delenda peccata venialia, in quibus perſæpe deſcendunt pii & juſti fideles.

1. Quidem certum eſt quod ſupra docuimus, ubi de ſatisfactione, totam pœnam peccato debitam non ſemper condonari, quoties culpa a Deo remittitur; unde tam frequenter peccatoribus præcipitur, tum in Scripturis, tum a SS. Patribus, ut faciant fructus dignos Pœnitentiæ, & per laborioſas ſatisfactiones iram Dei ac vindictam placare conentur; hæc dubio procul negare non poſſunt Hæretici; ſed rurſus certum eſt quammultos è fidelibus etiam juſtis, qui in charitate deceſſerunt, plenam ſatisfactionem non exhibuiſſe ante mortem, ſive quia nullam, ſive quia remiſſiorem egerunt Pœnitentiam, quamobrem neceſſe eſt, idque exigit divinæ juſtitiæ ratio, ut in alia vita per temporales pœnas reliquum ſatisfactionis debitum exolvant, quod utique fit in Purgatorio.

2. Certum eſt etiam pleroſque pios homines non tam ſancte ac pure vivere quin venialia aliquando & quotidiana peccata committant, & antequam pro illis egerint Pœnitentiam, e vivis tollantur, ſed inſuper conſtat neminem perventurum ad æternam beatitudinem, quin ſit ab omni vel minima macula expurgatus, Apocalypſ. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* igitur neceſſe eſt, ut in altera vita hæ leviſſimæ culpæ abſtergantur in Purgatorio.

CAPUT III.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies: Matth. cap. 25. in duas claſſes tantum diſtribuuntur homines, videlicet bonorum quibus æterna Gloria rependitur, & malorum qui cum dæmonibus mittuntur in ignem æternum: igitur fictitius eſt ille ſtatus bonorum, qui in Purgatorio detineri dicuntur.

Nego conſeq. Quando enim Eccleſia Catholica docet pleroſque juſtos poſt mortem tranſituros per ignem Purgatorii, id locum non habet niſi ad mortem uniuſcujuſque & poſt judicium particulare, id enim ſolum habemus ex Scripturis & Traditione. Sed fatemur in judicio univerſali nonniſi duas fore hominum claſſes, alteram ſalvandorum, alteram damnandorum, ut ex hoc ipſo S. Matthæi loco abunde colligitur. Et generatim loquendo tametſi in pluribus Scripturæ locis duo commemorentur ſtatus, in quibus tandem conſtituentur homines, hoc non impedit quominus aliquis admittatur medius, qui ſcilicet nonniſi ad aliquod tempus durabit. Et ratio eſt, quia juſti qui detinendi ſunt in Purgatorio, cenſetur aliquatenus e numero Beatorum, quod ſi non actu, ſaltem ſpe & certitudine ſalvi ſunt. Et ſic explicantur hæc loca Eccleſ. 11. *Si*

ceci-

ceciderit lignum ad auſtrum aut aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Item Marci ultimo, *Qui crediderit & baptizatus erit ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Aliaque ſimilia.

Obj. Apocal. 14. S. Joannes audivit vocem de cœlo dicentem, *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis*. Unde ſequitur nullum eſſe Purgatorium, quandoquidem juſti ſtatim a morte requieſcunt a laboribus ſuis & beatitudine ſua donantur.

Reſp. ex iſto loco nihil colligi poſſe, quia non omnes mortui tranſeunt per Purgatorium, ſi nimirum ita in fide, charitate & bonis operibus deceſſerint, ut nihil in ipſis purgandum remaneat, tales potiſſimum creduntur Martyres, de quibus iſte Apocalypſis locus plerumque exponitur ab interpretibus poſt S. Auguſtinum lib. 20. de civit. Dei cap 9.

Objiciunt hæretici varia SS. Patrum loca in quibus teſtantur nulli pro peccatis ſatisfactioni locum eſſe poſt hanc vitam, ita S. Cyprianus lib. ad Demetrianum, *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam Pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus*. S. Cyrillus Jeroſ. Catech. 18. *Pœnitentiæ*, inquit, *& remiſſionis tantum in hac vita præſcriptum tempus habemus*. S. Ambroſius lib. de bono mortis cap. 2. *Qui enim hic non acceperit remiſſionem peccatorum, illic non erit, nimirum in patria Beatorum*. & S. Chryſoſtomus homil. 2. de Lazaro, *Cum hinc diſceſſerimus, non eſt in nobis ſitum pœnitere, neque commiſſa diluere*. igitur fictitium eſt Purgatorium, in quo cenſeantur peccata dilui & remitti.

Reſp. laudatos Patres in his & aliis ſimilibus locis ſermonem habere de remiſſione peccatorum mortalium quæ nonniſi in hac vita obtineri poteſt: Idque colligitur ex eo quod, ut patet ex locis ſuperius adductis, iidem illi SS. Doctores expreſſe docuerunt aliquem eſſe Purgatorium ignem pro peccatis venialibus.

Ob. S. Auguſtinus affirmare non audet tanquam certum, ſed dubitat num ſit aliquod Purgatorium lib. 21. de civit. cap. 26. ſic loquitur, *Poſt iſtius corporis . . . . . ſi ſpiritus defunctorum ejuſmodi ignem dicuntur perpeti quem non ſentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna & fœnum & ſtipula conſumantur, alii vero ſentiant qui ejuſmodi ſecum ædificia portaverunt, ſive ibi tantum, ſive & hic & ibi, ſive ideo hic, ut non ibi ſæcularia, quamvis a damnatione venialia concremantem ignem tranſitoriæ tribulationis inveniant, non redarguo, quia forſan verum eſt*. & in Enchiridio cap. 69. *Tale*, inquit, *aliquid etiam poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita ſit quæri poteſt: & aut inveniri aut latere, nonnullos fideles per ignem quemdam Purgatorium quanto magis minuſve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiuſque ſalvari*. igitur fide Catholica tunc non conſtabat eſſe Purgatorium.

Reſp. cum Eſtio S. Auguſtinum iis in locis non dubitare, utrum ſit Purgatorium poſt hanc vitam, ſed utrum ſicut in hoc ſæculo multi fideles purgantur igne tribulationis ab amore rerum ſæcularium, ita & in futuro ſæculo quidam amor rerum mundanarum debeat per ignem repurgari; ita ut tanto tardius vel citius ſalventur, quanto magis vel minus bona illa pereuntia dilexerunt. Quapropter S. Auguſtinus dubitationem movet de quibusdam circumſtantiis ad Purgatorium pertinentibus, non de ipſo Purgatorio: idque perſpicuum maxime fit ex eo quod omnium diſertiſſime aſtruit Purgatorium, ut patet ex locis ſupra allegatis.

Perperam vero nonnulli affirmarunt huic de Purgatorio doctrinæ adverſatam ſemper fuiſſe Eccleſiam Græcam.

Si

Digitized by Google

Si quidem id falſum eſt & de antiquis Græcis ante Schiſma & de recentioribus poſt Schiſma. De prioribus quidem res eſt manifeſta ex laudatis ſupra teſtimoniis Origenis, Gregorii Nyſſeni, Epiphanii, Chryſoſtomi & aliorum. De poſterioribus vero id abunde conſtat ex Florentina Synodo, cujus acta fidem faciunt Græcos ſemper admiſiſſe Purgatorium, deſſentientes ſolum a Latinis quoad nonnullas ejus circunſtantias, volentibus, v. g. Græcis, non verum ignem ibi eſſe, ſed aliud quid, qua de re nihil uſpiam definitum eſt ab Eccleſia.

Objiciunt cum Dallæo, hanc de Purgatorio doctrinam minus bene colligi ex precibus quas ab omni ævo pro mortuis fundere ſolet Eccleſia: ſi quidem non apparet ſaltem ex veteribus id eo fine præſtitum, ut animæ Defunctorum in Purgatorio detentæ juvarentur, quod hodiernum eſt Catholicorum ſyſtema.

Verum ex illis ipſis locis quæ adduximus manifeſte revincitur hujus objectionis falſitas, ubique enim fideles pro mortuis apprecantur refrigerium, dormitionem, & æternam in cœlis requiem; ad id demonſtrandum ſatis eſſe conſulere citatas SS. Baſilii & Chryſoſtomi liturgias, ex iis enim patet eo fine preces pro animabus defunctorum fuſas, ut ipſis requiem cum Sanctis impertiretur Deus, *Quieſcere eos facito, ubi videtur lumen vultus tui*.

Neque vero eſt quod objiciatur idcirco non eſſe admittendum Purgatorium, quia Deus non retinet pœnam dimiſſa culpa. Primo enim abunde hanc objectionem diluimus ſupra, cum actum eſt de Satisfactione. Secundo & adhuc locus eſſet admittendi Purgatorium pro iis inter pios & juſtos homines qui cum peccatis venialibus deceſſiſſent; tametſi ſupponeretur Deum dimiſſa culpa mortali non retinere pœnam.

Objicies: Tam diſcrepante ſunt inter ſe Theologorum ipſorum ſententiæ circa omnes Purgatorii circunſtantias, ut de ipſo Purgatorio merito dubitare liceat: diſputant de loco; alii enim illud collocant in aere, alii in viſceribus terræ, alii in diverſis locis pro diverſis animabus. Diſputant de pœna quam patiuntur animæ in Purgatorio, ut mox dicetur. Diſputant de materia, an ſit verus ignis, &c.

Reſp. vitioſam eſſe hanc arguendi rationem; neque enim in dubium revocari debet exiſtentia Purgatorii tam clare ſemper & ubique aſſerta, ſeu a SS. Patribus ſeu a Scholaſticis Doctoribus, ex eo quod iidem de loco, pœna & quibuſdam aliis circunſtantiis non omnes conſentiunt: certe judicium univerſale aliquando futurum minime negant Hæretici, qui tamen nec de ejus loco, nec de *tempore*, aliiſque multis circunſtantiis certi ſunt. Quin & de cœli empirei ubi regnant Sancti, & de inferni ubi cruciantur impii exiſtentia neutiquam dubitant, tametſi eorum locum aliaſque circunſtantias ad utrumque pertinentes ignorent.

Obj. In Purgatorio non eſt meritum, quia generatim loquendo mereri ſolius eſt viatoris: igitur nec poteſt eſſe ſatisfactio, videtur enim quod omnis ſatisfactio ſit meritoria.

Nego conſ. & par. diſparitas eſt quia ad ſatisfactionem non requiritur libertas; qui enim ſolvit debitum, tametſi coactus, ſatisfacit, & reus qui cogente tortore pœnas dat, vere ac proprie ſatisfacit; ſed libertas requiritur ad meritum, unde nemo mereri poteſt, niſi ſit in ſtatu viæ, quapropter juſti quibus aliquid luendum ſupereſt in articulo mortis, recte dicuntur juſtitiæ Divinæ ſatisfacere in Purgatorio, licet mereri non poſſint.

Certe mortuos mereri non poſſe poſt hanc vitam nec demereri ſeu peccare, manifeſtum eſt ex multis Scripturæ locis, Eccleſiaſtis cap. 9. *Mortui nihil*

no-

noverunt amplius, nec habent ultra mercedem. Lucæ cap. 5. *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris amplius villicare*. II. ad Corinth. cap. 5. *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis ſicut geſſit ſive bonum ſive malum*. Propria corporis, vocat Apoſtolus omnia opera quæ facimus dum ſumus in corpore, ut ait S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 12.

At vero ex alia parte mortuos poſſe Deo ſatisfacere in altera vita abunde oſtendimus ſupra ex his Scripturæ & Patrum teſtimoniis, in quibus aſſeritur preces vivorum prodeſſe mortuis & pro illis offerri ſolitas ut a peccatis ſolvantur; tum vero in quibus legitur expreſſe ſuperſtites eorum maculas per ignem expurgari; inde enim neceſſe eſt ut juſtitiæ Dei dicantur ſatisfacere.

CAPUT IV.

De qualitate pœnarum in Purgatorio.

NOnnullæ hic proponuntur difficultates, prima ſpectat gravitatem, ſecunda tempus, tertia inſtrumentum pœnarum quas in Purgatorio patiuntur animæ defunctorum: quas quidem difficultates paucis enodabimus:

Quæres itaque 1. quid ſit ſentiendum de gravitate pœnarum in Purgatorio.

Reſp. S. Auguſtinus in Pſal. 37. ea de re ſic loquitur. *Dicitur enim: Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem, & quia dicitur, Salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis; quam quicquid poteſt homo pati in hac vita*. Quibus conſentaneum eſt quod legitur apud S. Greg. Mag. in Pſal. 3. pœnit. ubi ſic habet, *Illum tranſitorium ignem omni tribulatione æſtimo præſenti intolerabiliorem*. Certe de gravitate pœnarum quas in Purgatorio patiuntur mortui, minime dubitant Theologi, cum Eccleſia ſummo ſemper ſtudio pro illis oraverit & orationes aliaque ſuffragia inſtituerit, hortando aliunde fideles, ut quamdiu in terris degunt, futuri ſæculi pœnas vitare conentur faciendo fructus dignos pœnitentiæ. At vero quanta ſit hujuſmodi pœna Purgatorii, quis dicere niſi divinando poterit?

Quæres 2. quanto tempore durare debeant pœnæ in Purgatorio luendæ?

Reſp. Dominicus a Soto in 4. ſent. diſt. 19. q. 3. art. 2. docet neminem manere in Purgatorio ultra decem annos; tum quia, inquit, Deus utpote clemens & bonus non patietur amicos ſuos multo tempore a ſuo conſpectu prohiberi; tum quia credibile non eſt, ut quos Deus per pœnas intenſiorea omnino purgare poteſt, per longum temporis ſpatium puniat. Verum ejuſmodi ratiocinia nullius ſunt momenti, ex utroque enim liceret colligere nec uno etiam menſe duraturas in Purgatorio pœnas, quod tamen nemo cum aliquo fundamento affirmaverit. Huic Dominici a Soto ſententiæ libenter ſe aſſentiri ſcribit Maldonatus Tract. de Pœnitentia, ubi de Purgatorio. Sed ait tamen ea de re nihil certi niſi temere definiri poſſe.

Eſtius in 4. ſent. diſt. 20. parag. 5. aſſerit multo credibilius eſſe tempus illud quo animæ detinentur in Purgatorio plurium eſſe annorum quam decem; idque probat 1. ex inſtitutione anniverſariorum pro Defunctis, quæ jam uſitata erant in Eccleſia temporibus Tertulliani, fruſtra enim in tot annos extenderentur, ſi ultra decem annos mortuorum animæ non detinerentur in Purgatorii carcere; 2. ex eo quod Eccleſia judicavit & ſuis canonibus decrevit interdum non modo per decem annos, ſed ultra agendam eſſe Pœnitentiam: veriſimile eſt futuri ſæculi pœnam illi pœnitentiæ reſpondentem multo prolixiorem fore, cum poſt mortem jam non miſericordiæ ſed juſtitiæ, ſit tempus, quæ quidem ſententia videtur

altera probabilior, ſed ita tamen ut nihil certi hac in re afferri poſſit, præſertim ſi annorum numerum velit quis definire.

Quæres 3. utrum ignis pœnam patiantur mortui in Purgatorio.

Reſp. 1. definitum non fuiſſe ab Eccleſia verum ignem eſſe in Purgatorio, hoc enim ſiluit Concilium Tridentinum in loco citato, ubi decretum emiſit ad aſſerendam Purgatorii exiſtentiam. Deinde in Concilio Florentino excitata quidem fuit ea de re controverſia Græcos inter & Latinos, his contendentibus verum extare ignem in Purgatorio, illis negantibus; ac tandem concluſum eſt tantum *animas pœnis Purgatoriis poſt mortem purgari*. Græcis dicentibus nihil referre an ibi ſit ignis necne, *Quod quidem ſive ignis ſive obſcuritas, ſive turbo, ſive id genus aliud ſit, non putamus referre*.

Reſp. 2. communem ſemper fuiſſe Latinorum ſententiam vero igne torqueri animas in Purgatorio; ſi quidem de igne mentio habetur in laudato S. Pauli I. ad Corinth. teſtimonio ad aſſerendum Purgatorium aptiſſimo, ut oſtendimus. Scriptura autem litteraliter & ſine figura debet accipi, quando idnec fidei nec moribus repugnat; cum præſertim de vero igne explicetur a multis Patribus, iique & alii paſſim ignem Purgatorium commemorent. Quibus addi poteſt Eccleſiam in canone Miſſæ pro fidelibus defunctis petere a Deo refrigerium, videlicet contra ignis activitatem.

CAPUT V.

De loco Purgatorii.

Circa locum Purgatorii multæ & variæ præſertim apud veteres fuerunt ſententiæ quas notavit Bellarminus, unam aut alteram recenſebimus.

Nonnulli contenderunt ibi eſſe locum Purgatorii, ubi quiſque peccavit, quæ ſententia fuit Hugonis, & colligitur ex S. Greg. Mag. lib. 4. dialogorum cap. 40. & 55. ſed facile refellitur, quia non eſt veriſimile unumquemque pœnas dare Purgatorias ubi peccavit, ſi quidem in multis locis peccavit.

Alii exiſtimarunt Purgatorium eſſe in aere ubi verſantur dæmones. Nam & ipſos dæmones in aere torqueri docuerunt multi e veteribus. At illa opinio plane nullo nititur fundamento, quin potius locum damnatorum eſſe in terræ viſceribus multis argumentis colligitur, & inter alia ex eo quod Lucæ cap. 16. animas divitis Epulonis quæ ſepulta erat in inferno, repræſentatur tanquam in loco profundo, quandoquidem ſurſum aſpicit, ut videat Lazarum adhuc in ſinu Abrahæ detentum.

Communis vero Theologorum opinio eſt, Purgatorium eſſe in viſceribus terræ, juxta illud quod canit Eccleſia in Miſſa pro Defunctis, *Libera animas defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*. An vero hic locus Purgatorio ſit idem ille in quod torquentur damnati, vel ſolummodo ei vicinus, non conſentiunt Theologi; ſane in hac quæſtione de loco Purgatorii nihil definivit Eccleſia, quia nihil certi neque ex Scripturis, neque ex Traditione colligi poteſt.

CAPUT VI.

Utrum animæ in Purgatorio certæ ſint de ſua Salute.

Conſtans & catholica eſt doctrina animas Juſtorum in Purgatorio ſecuras eſſe de ſua ſalute, hoc eſt ſibi aliquando retribuenda beatitudine, eſt contra Lutherum qui articulo 38. hanc Eccleſiæ doctrinam impugnat, ut videre eſt in Bulla Leonis X. qui hanc Lutheri aſſertionem cum aliis damnavit.

Probatur autem, quia ex Scripturis manifeſte colligitur ex una parte, certam ac determinatam eſſe uniuscujuſque

que ſortem ſtatim poſt obitum & in judicio particulari, ex altera vero parte hanc divini judicii determinationem unicuique eſſe manifeſtatam & patentem. Ac 1. quidem certa eſt juſtorum conditio, ita ut qui in charitate mortui ſunt ab omni damnarionis periculo ſint liberi, Sapientiæ 3. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*. & cap. 7. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animam illius*. Matth. 10. *Quicumque perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Apocalypſ. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Ex quibus locis patet certum ac determinatum eſſe a Deo, Juſtis poſt mortem ſubeſſe non poſſe mutationem, quaſi demereri poſſint, nec certa ſit eorum corona & remuneratio; quod utique cum dicatur de omnibus Juſtis qui perſeverarunt uſque in finem, id ſimiliter ad illos pertinet quibus aliquid luendum ſupereſt in Purgatorio, etenim ſunt de numero Juſtorum, non quod hanc ſuam beatitudinem percipiant ſtatim poſt mortem, obſtant enim ea momenta quibus aſſerimus exiſtentiam Purgatorii, ſed quod ſaltem certa ac definita tunc cenſeatur eorum conditio.

2. Hanc a Deo factam determinationem ab ipſis Juſtis in Purgatorio detentis cognitam eſſe patet 1. Ex hoc Eccleſiaſtici loco cap. 11 *Quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas ..... Et in fine hominis denudatio operum ejus*. Quæ verba ſignificat futuram in judicio Dei operum noſtrorum adeoque & noſtræ ſortis manifeſtationem. 2. Id colligitur ex iis locis quæ probant judicium particulare uniuſcujuſque ſtatim poſt mortem, uti, v. g. Hebr. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium*. Nam Dei judicium non in ſolo decreto Dei conſiſtit, ſed in ſui decreti manifeſtatione; adeoque ſupponit unicuique mortuorum ſuam retributionem ſtatim poſt judicium innoteſcere, & conſequenter non latere Juſtos in Purgatorio expectantes certam eſſe ſuam ſalutem, unde legitur in Canone Miſſæ animas Defunctorum pro quibus orat Eccleſia, *dormire in ſomno pacis*.

Objiciebat Lutherus: Mortui qui dicuntur eſſe in Purgatorio, non habent niſi imperfectam charitatem, alioquin perfecta cum Sanctis fruerenrur beatitudine: ſed ubi eſt imperfecta charitas, ibi eſt timor, quia ut habet S. Joannes, *perfecta charitas foras mittit timorem*. igitur nec de ſua ſalute habent ſecuritatem.

Reſp. forte remanere timorem in Juſtis qui detinentur in Purgatorio, ſed timor ille eſt ad ſummum timor diuturnitatis pœnarum quas ſuſtinent in eo loco, cupiunt enim inde exire & eſſe cum Chriſto, ſed non eſt timor gehennæ, ſuæ enim adeptæ ſalutis habent certitudinem, ut oſtenſum eſt.

Obj. Ex precibus quæ canuntur in Officio Defunctorum ſatis aperte ſignificatur nondum latam eſſe a Deo ſententiam quæ reſervatur uſque in diem ultimi judicii, adeoque nec illos adhuc a timore damnationis liberos, orat enim Eccleſia, *ne abſorbeat eas tartarus*. & in perſona Defuncti, *Ne recorderis peccata mea, dum veneris judicare ſæculum per ignem*. & iterum, *Libera me de morte æterna in die illa tremenda*; igitur.

Argumento quod ex iſtis Eccleſiæ precibus eruitur, jam in alio caſu reſpondimus, & nunc idem reſpondemus ejuſmodi preces fuiſſe primum compoſitas pro agoniſantibus, & deinde ad Officium Defunctorum traductas, unde mirum non eſt eum qui orans inducitur, petere a Deo ut a pœnis æternis liberetur, quaſi nondum judicatus; conſule quæ diximus in tract. de peccatis cap. ultimo ubi de pœnis æternis.

Digitized by Google

APPENDIX POSTERIOR DE INDULGENTIIS.

IN hac brevi de Indulgentiis diſquiſitione examinabimus; 1. Nomen & definitionem Indulgentiarum; 2. An ſit in Eccleſia poteſtas legitima concedendi Indulgentias; 3. Ad quos pertineat Indulgentias concedere; 4. Quænam ſit virtus Indulgentiarum & ad quos effectus extendantur; 5. Quodnam ſit earum ſubjectum; 6. quænam requirantur diſpoſitiones ad illas obtinendas; 7. Quas ob cauſas concedi debeant Indulgentiæ. 8. Demum nonnullas aſſeremus Indulgentiarum diviſiones, ubi ſcilicet data occaſione de Jubilæo paucis agemus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine & definitione Indulgentiæ.

INdulgentiæ juxta præſentem Eccleſiæ uſum acceptæ varia ſunt nomina, appellatur enim donatio apud Apoſtolum, ut mox dicetur, & apud autores ſacros remiſſio, relaxatio, exceptio. Quod virtute Indulgentiarum pœnæ ſatisfactoriæ remittuntur, & relaxantur. Quin & ad idem ſignificandum hæc eadem *Indulgentia* vox reperitur apud S. Pacianum in Epiſtola tertia contra Novatianos, & apud S. Ambroſium lib. de Pœnitentia cap. ultimo.

Indulgentia definitur remiſſio pœnæ temporalis & ſatisfactoriæ data per modum abſolutionis ex communi Eccleſiæ theſauro.

Dicitur 1. remiſſio ſeu relaxatio *Pœnæ temporalis*, quæ nimirum debetur pro peccatis, dimiſſo per Sacramentum peccati reatu. Non autem relaxatio pœnæ æternæ, quia, ut diximus ſupra, per Sacramentum Pœnitentiæ ita remittuntur peccata quoad culpam, ut aliquæ ſuperſint pœnæ in altera vita luendæ, niſi per bona opera, jejunium, eleemoſynam & alios Pœnitentiæ labores redimantur. Idque appellatur ſatisfactio, quæ quidem ſi remittatur Pœnitenti, ejusmodi relaxatio ſatisfactionis vel pœnæ debitæ, appellatur Indulgentia.

Additur in definitione *Quæ datur* ab Eccleſiæ ſcilicet Paſtoribus, quia non omnis remiſſio pœnæ temporalis, quæ cedit in locum ſatisfactionis pro peccatis debitæ, eſt Indulgentia, in ipſa enim Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptione, reatus pœnæ temporalis quidquam minuitur cum ipſa culpa, ſi pœnitens cum certis diſpoſitionibus accedat, idque fit virtute ipſius Sacramenti, neque tamen ejusmodi relaxatio eſt Indulgentia. Quemadmodum ipſa ſatisfactio quæ fit extra Sacramentum per bona & pia opera, relaxatio eſt pœnæ temporalis, ſed non eſt Indulgentia, quia non datur a Miniſtris Eccleſiæ. Porro utrum Indulgentia ſit relaxatio pœnæ, injunctæ ſolum, vel etiam injungendæ, expendemus poſtea, cum agetur de virtute Indulgentiarum.

Dicitur *Per modum abſolutionis:* Indulgentia enim concedi debet ab Eccleſiæ Paſtoribus vim bona Eccleſiæ diſpenſandi habentibus; unde datur per modum abſolutionis & vera eſt abſolutio, ut mox dicturi ſumus.

Dicitur demum *Ex communi Eccleſiæ theſauro*, quia nempe illa relaxatio ſeu remiſſio ſatisfactionis debitæ fit virtute meritorum Chriſti, quæ per Eccleſiæ Prælatos applicantur per conceſſionem Indulgentiarum, quod quidem ſumi dicitur de communi Eccleſiæ theſauro.

Quid

Quid ſit ille theſaurus, unde hauritur pretium & virtus Indulgentiarum, an conſtetur ex meritis Chriſti & Sanctorum, videbimus poſtea.

Quæritur utrum revera Indulgentia ſit revera & proprie dicta abſolutio.

R. affirmative; 1. quia Indulgentia non eſt quævis promiſcue relaxatio ſatisfactionis, ſed ea quæ a legitimis Eccleſiæ Prælatis conceditur, a quibus nempe ſolis, ut dicemus, diſpenſari poteſt Eccleſiæ theſaurus. Quapropter poteſtatem concedendi Indulgentias inferre ſolent Theologi ex iis Chriſti verbis, quibus poteſtatem dedit Apoſtolis ligandi & ſolvendi in terris, Matt. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*. & revera ſolvere cenſetur qui Indulgentias confert.

2. Si Indulgentia non eſſet abſolutio, ſequeretur nullam requiri juriſdictionem ad concedendas Indulgentias; adeoque Epiſcopum eas conferre poſſe fidelibus ſibi non ſubditis, in quos nullam habet juriſdictionem: ſed contrarium definivit Alexander III. cap. *Quod autem*. de Pœnit. & remiſſ. his verbis, *Quod cum a non ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi, Indulgentiæ ſolis illis proſunt, quibus proprii judices eas indulſerunt*.

3. Id abunde deſignat formula, quæ a longo tempore uſurpatur in conceſſione Indulgentiarum, *Miſericorditer indulgemus*. Id enim ſignificat remiſſionem pœnæ ſatisfactoriæ cum autoritate datam & proinde per modum abſolutionis.

Objiciunt nonnulli Scholaſtici, Abſolutio verum eſt judicium a Sacerdote latum poſt Confeſſionem delictorum factam: ſed Indulgentiæ conceduntur ab Eccleſiæ Prælatis, nulla ſibi facta delictorum Confeſſione a Pœnitentibus: igitur non eſt abſolutio.

Negando majorem, ſi intelligatur univerſaliter de omni abſolutione, quæ neceſſario non ſupponit præviam delictorum Confeſſionem. Quapropter Indulgentiæ conceduntur perſæpe alicui communitati, ita ut nec perſonas ipſas cognoſcat Prælatus qui eas concedit.

Quæritur etiam utrum Indulgentia ſit vera ſolutio.

Reſp. Indulgentiam merito dici poſſe ſolutionem, quamvis enim, ut ait Eſtius, ille cui conceduntur Indulgentiæ, ſtricte loquendo, non ſolvat per ſeipſum & propria merita, quia videlicet ei ſit relaxatio & remiſſio ſatisfactionis debitæ, tamen ſolutio exhibetur ex theſauro Eccleſiæ, quatenus Prælati qui concedunt Indulgentias, Chriſti ac ſanctorum merita Pœnitentibus applicant, adeoque non modo in hoc caſu reperitur abſolutio, ſed & vera etiam ſolutio.

CAPUT II.

Utrum ſit in Eccleſia legitima poteſtas concedendi Indulgentias.

ECcleſiæ Prælatis ineſſe poteſtatem concedendi Indulgentias aperte negarunt Waldenſes, inquit Reinerus lib. contra Waldenſes c. 6. quos ſecutus eſt Joannes Hus, ut videre eſt in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. ubi hic inter alios articulos damnatus legitur. *Item decimus nonus articulus in quo continetur, quod Indulgentiæ Papæ ſive Epiſcoporum conceſſæ nihil proſunt*. Sed contra uſum Indulgentiarum, ac poſtea ipſam Indulgentias impertiendi poteſtatem debacchatus eſt imprimis Lutherus, *Indulgentiæ*, inquiebat iſte Hæreſiarcha, *ſunt piæ fraudes fidelium & remiſſiones bonorum operum... Indulgentiæ his qui veraciter illas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam juſtitiam..... ſeducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares & ad fructum Spiritus utiles*. Idem docuit Calvinus, docentque etiamnum eorum aſſeclæ, contra quos ſit.

Con-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Legitima eſt in Eccleſiæ Paſtoribus poteſtas concedendi Indulgentias.

Id fundatur 1. in his Chriſti verbis, quæ ad Apoſtolos ſuos dirigit Matth. 18. *Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Ubi Chriſtus ex æquo poteſtatem facit Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus ligandi & ſolvendi in terra: cum autem hæc verba, *Quæcumque alligaveritis*, manifeſte ſignificent illis dari facultatem pœnas ſatisfactorias imponendi peccatoribus, ſequitur alia oppoſita, *Quæcumque ſolveritis*, &c. indicare parem eſſe in Eccleſiæ Miniſtris poteſtatem ejuſmodi ſatisfactiones remittendi & relaxandi, quod utique fit per Indulgentias quæ in Eccleſia conceduntur.

2. Hæc doctrina fundatur in exemplo Apoſtoli, qui quidem ut habetur II. ad Corint. 2. voluit ut inceſtuoſus Corinthius ab integra ſibi injuncta Pœnitentia diſpenſaretur, & nonnihil ei remitteretur, *ſufficit ei*, inquit, *qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Ea donatio, ut per ſe patet, vera & proprie dicta eſt Indulgentia, eſt enim ſeverioris & injunctæ Pœnitentiæ relaxatio facta cum autoritate a Chriſto emanante, addit enim S. Paulus, *Cui autem aliquid donatis & ego. Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* hoc eſt juxta poteſtatem a Chriſto acceptam. Qua in re egregium eſt quod ſcribit S. Chryſoſtomus Homil. 4. in II. Corint. *Ea ex re*, inquit, *docemur, quod non ſolum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari Pœnitentiam.* & S. Pacianus Epiſt. 3. Novat. contra, adductis iiſdem S. Pauli verbis, hæc ſcribit, *Vides Apoſtoli Indulgentiam, proprias etiam ſententias temperantem, vides mitiſſimam lenitatem longe veſtro ſupercilio ſeparatam? Longe a Novatiani fronte diſſimilem, communi vero vitæ ac ſaluti omnium conſulentem?*

3. Id conſtat ex perpetua Eccleſiæ Traditione quæ aperte colligitur,

1. Ex Tertulliano qui Montaniſtarum erroribus imbutus in eam Eccleſiæ praxim inſurgit, qua Pœnitentiæ peccatoribus impoſitæ nonnihil quandoque relaxabantur, ubi id eorum ſaluti opportunum judicabatur, lib. de Pudicitia cap. 22. ſic loquitur, *Eccleſia quidem delicta donabit, ſed Eccleſia ſpiritus per ſpiritalem hominem, non Eccleſia numerus Epiſcoporum. Domini enim non famuli eſt jus & arbitrium Dei ipſius non Sacerdotis. At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem, ut quiſque ex conſenſione vincula induit adhuc mollia, in novo cuſtodiæ nomine, ſtatim ambiunt mœchi, ſtatim adeunt fornicatores, jam preces circumſonant, jam lachrymæ circumſtagnant maculati cujuſque nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Eccleſiam perdiderunt. Violantur viri ac fœminæ in tenebris plane ex uſu libidinum notis, & pacem ab his quærunt qui de ſua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur.* Id eſt cum jure pacis & communionis, licet nondum expleta omnino ſatisfactione pro ſuis peccatis.

2. Ex S. Cypriano, qui teſtis eſt locupletiſſimus praxim tunc fuiſſe in tertio ſæculo, ut ad preces Martyrum & Confeſſorum in carceribus detentorum lapſis remitterentur labores & tempus Pœnitentiæ, id paſſim legitur in pleriſque hujus S. Doctoris Epiſtolis, in decima hortatur Martyres, ut ejuſmodi Indulgentias promiſcue & indiſcrete lapſis non apprecentur, *Oro vos*, inquit, *quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores & conſiderantes quæ & qualia*

in.

in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicite & caute petentium deſideria ponderetis. & ibidem, *Sed & illud ad diligentiam veſtram redigere & emendare debetis, ut nominatim deſignetis eos quibus pacem dari deſideratis; audio enim quibuſdam libellos ſic fieri ut dicatur, Communicet ille cum ſuis, quod nunquam omnino a Martyribus factum eſt, ne incerta & cæca petitio invidiam nobis poſtmodum cumulet*.

3. Ex Concilio Ancyrano quod habitum eſt initio quarti ſæculi, num Can. 5. facultas datur Epiſcopis humanius agendi cum Pœnitentibus, & cum ita expedire judicaverint, eorum Pœnitentiæ partem aliquam remittendi, *Epiſcopum autem hanc habere licentiam oportet, ut perſpecta ſingulorum converſatione, normam regulamque converſationis attribuat, id eſt aut humanius agens ſecundum vitæ modum tempus alicui Pœnitentiæ breviet, aut etiam prolixius, quod correctione neceſſarium viderit, addat. Diſcutiatur autem omnium horum & præcedens vita & poſterior, & ita circa eos Sacerdotalis ſe humanitas moderetur*.

4. Ex Concilio Nicæno Mag. quod idem conceptis verbis præſcribit Can. 12. *Quotquot enim*, inquit, *metu & lachrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam non ſimulatione demonſtrant, hi demum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent, poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare*. Eamque poſtea viguiſſe diſciplinam in Eccleſia manifeſtum eſt ex Epiſtola S. Baſilii ad Amphilochium multis in Canonibus. Ex Concilio Carthaginenſi IV. Can. 75. ex Innocentio I. Epiſt. ad Decentium cap. 7. ex Concilio Trullano Can. 12. & ex multis aliis monumentis.

5. Colligitur aperte hæc Eccleſiæ Traditio ex eo quod ſæculo nono & ſequentibus uſus diu invaluit, ut Pœnitentiæ publicæ labores redimerentur piis ac bonis operibus, nimirum aut jejuniis, aut eleemoſynis, aut etiam flagellationibus, quæ inde initium habuere, nec niſi a quibuſdam Monachis & Monialibus nunc frequentantur, ejuſmodi redemptionem commemorat Concilium Triburienſe anno 895. habitum in Canonibus 56. 57. & 58. ac poſtea Petrus Pictavienſis in ſuo Pœnitentiali, & Petrus Damianus in Epiſtola ad Alexandrum II.

6. Recte colligitur ex eo quod ſæculo undecimo & ſequenti pro omni Pœnitentia reputabatur, quod Pœnitentes Jeroſolymam proficiſcerentur adverſus Saracenos; in eo enim elucet maxime Indulgentiarum beneficium, quia manifeſta erat ſatisfactionis pro peccatis debitæ relaxatio, in quo præciſe poſitæ ſunt noſtræ Indulgentiæ, legitur autem hæc diſciplina in Canone II. Concilii Claromontani ſub Urbano II. his verbis, *Quicumque pro ſola devotione non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandam Eccleſiam Dei Jeruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni Pœnitentia reputetur*. Et in Concilio Lateranenſi I. Can. 11. quod utique confirmavit Eugenius III. ſummus Pontifex in Epiſtola ad Ludovicum Franciæ Regem, uti & Clemens III. Epiſtola ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum.

7. Demum doctrina Eccleſiæ colligitur ex eo quod poſtea conſuetudo obtinuit in Eccleſia, ut Indulgentiæ pro variis cauſis & in omni fere occaſione tum ab Epiſcopis tum a ſummis Pontificibus concederentur nemine reclamante, ſaltem contra eam poteſtatem qua hoc in caſu utebantur Epiſcopi, modo ea non abuterentur indiſcretas & immoderatas Indulgentias concedendo. Quapropter Joannes Hus in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 15. damnatus eſt, quod Prælatis Eccleſiæ poteſtatem

dandi

dandi Indulgentias denegaret, eaſque fidelibus plane inutiles affirmaret.

Atque eandem poſtmodum doctrinam in Novatoribus proſcripſit Synodus Tridentina Seſſ. 25. his verbis, *Cum poteſtas conferendi Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit, ſacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum autoritate probatum in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit, eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*. Ex hoc autem ſolemni pro Indulgentiis Decreto colligitur duo eſſe de fide credenda, primum, in Eccleſia legitima eſſe poteſtatem concedendi Indulgentias; ſecundum, eas eſſe utiles fidelibus & ſalutares, modo cum diſcretione & moderatione concedantur.

Objicies: Perperam aſſeritur uſum Indulgentiarum & poteſtatem illas conferendi ſtabiliri poſſe & autoritate Apoſtoli & perpetua Eccleſiæ traditione, cum in allegatis ſupra tum Patrum tum Conciliorum locis ſaltem uſque ad decimum tertium ſæculum, ne minimum quidem habeatur verbum de Indulgentiis, quales videlicet hodie conferuntur a ſummis Pontificibus omnibus indiſcriminatim, in omni occaſione, & ſine ulla cauſa: igitur ſaltem dici non debent fundatæ in exemplo Apoſtoli & perpetua Eccleſiæ traditione.

Nego ant. etſi enim Indulgentia quoad nomen ipſum non commemoretur ab antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus, (quanquam, ut diximus, reperiatur apud SS. Ambroſium & Pacianum quarti ſæculi autores) tamen res ipſa per nomen Indulgentiæ ſignificata, manifeſte prædicatur in teſtimoniis ſuperius adductis. Siquidem Indulgentia de qua nunc agitur, nihil eſt aliud quam relaxatio & remiſſio ſatisfactionis debitæ pro peccatis, quorum reatus per Sacramentum fuit dimiſſus: ſed ex autoritatibus allegatis conſtat in omni Chriſtianiſmi ævo uſitatum fuiſſe, ut Paſtores Eccleſiæ humanius quandoque agerent cum peccatoribus, & de eorum Pœnitentia etiam juxta Canones impoſita quidquam detraherent, vel cum ipſis pacem & communionem dabant ante peractum ſatisfactionis tempus; vel cum eorum Pœnitentiam ſeu injunctam ſeu injungendam cum bonis operibus minus laborioſis commutabant; igitur in rei veritate antiquiſſimus eſt & perpetuus fuit Indulgentiarum uſus; licet, quod libenter confitemur, non eodem modo ſemper & ab omnibus Epiſcopis fuerint conceſſæ, parcius quidem in primis Eccleſiæ temporibus, multo magis ferventе fidelium pietate; liberalius vero in his poſtremis Eccleſiæ ſæculis; ita tamen ut cum Indulgentiarum uſum approbat Eccleſia, earumdem abuſum, ſi quis obreperet, aperte rejiciat ac deteſtetur.

Præclarum eſt ſuper ea re Concilii Tridentini Decretum, poſtquam enim loco mox citato Eccleſiæ poteſtatem aſſeruit concedendi Indulgentias, earumdem damnat abuſus his verbis, *Abuſus vero qui in his irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos & correctos cupiens præſenti Decreto generaliter ſtatuit pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe*.

Idem longe antea præſtiterat Concilium Lateranenſe IV. Can. 62. *Quia per indiſcretas*, inquit, *& ſuperfluas Indulgentias, quas quidem Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Ec-*

cle-

Digitized by Google

cleſiæ contemnuntur, & Pœnitentialis ſatisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum. Tum vero & eas improbat quas indiſcrete, & in quavis occaſione concedebant nonnulli Epiſcopi, *Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quia pro quibuslibet cauſis aliquoties conceduntur. Cum Romanus Pontifex qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen obſervare conſueverit*. Nullius eſt igitur roboris, quod obtendunt adverſarii, plurimos irrepſiſſe abuſus in conceſſione Indulgentiarum, eos quippe, ſi qui ſint, condemnat Eccleſia. Scilicet univerſim loquendo abuſus qui occurrerent in exercitio alicujus poteſtatis, non præbent legitimum fundamentum præſcribendi adverſus illam poteſtatem.

Objicies: S. Cyprianus ſtatuit plerisque in ſuis Epiſtolis ſola Pœnitentia deleri poſſe peccata hominum, ſine plena ſatisfactione iram Dei non placari, Epiſt. 11. *Sola eſt Pœnitentia, quæ ſatisfaciat. Dominus orandus eſt, Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt, Dominus longa & continua ſatisfactione placandus*. Quapropter docet, nullam & falſam eſſe pacem, quam lapſi ad preces Martyrum nondum expleta Pœnitentia obtinebant; ſic loquitur lib. de lapſis, *Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam Sacrificio & manu Sacerdotis, ante offenſum placatum indignantis Domini & minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum; nec Eccleſiæ jungitur qui ab Evangelio ſeparatur ... credimus quidem poſſe apud judicem plurimum Martyrum merita, & opera juſtorum, ſed cum judicii dies venerit*. Perperam ergo prolatum eſt ſupra teſtimonium S. Cypriani, ut oſtenderetur antiquiſſimum eſſe Indulgentiarum uſum.

Reſp. S. Cyprianum recte affirmare potuiſſe, Pœnitentiam eſſe neceſſariam peccatoribus, ut delictorum ſuorum remiſſionem conſequantur, immo ſola Pœnitentia iram Dei placari; tametſi aliunde exiſtimaverit Eccleſiæ Prælatis ineſſe poteſtatem quasdam concedere Indulgentias, ſic enim & in hodierno uſu, in quo & ſæpe & liberaliter Indulgentiæ conferuntur, hortamur tamen peccatores ad Pœnitentiam, & dicimus ſola Pœnitentia peccata deleri poſſe, ſcilicet ut in hujus doctrinæ probationem merito adducatur S. Cypriani autoritas, ſatis eſt quod docuerit, ut revera docuit Eccleſiæ praxim tunc fuiſſe, ut ad ſupplices Martyrum Libellos de rigore ſatisfactionis Pœnitentium nonnihil detraheretur autoritati Epiſcoporum, in eo enim conſiſtunt Indulgentiæ, de quibus ſermo eſt. Ægre quidem fert S. Doctor, quod lapſi tunc obtendebant pacem ſibi datam a Martyribus, ſed inde nihil colligi poteſt adverſus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de Indulgentiis; 1. Quia lapſi pacem habere volebant in gratiam Martyrum, nulla omnino facta Pœnitentia; 2. Quia pacem ejusmodi a ſolis Martyribus independenter ab Epiſcopis habere cupiebant, Epiſt. 11. ſic habet, *Audio tamen quosdam de Presbyteris nec Evangelii memores, nec quid ad nos ſcripſerint Martyres cogitantes, nec Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui, & Cathedræ reſervantes, jam cum lapſis communicare cepiſſe, & offerre pro illis & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem perveniri. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, Pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat inſpecta vita ejus qui agit Pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita, quanto magis in his graviſſimis, & extremis delictis caute omnia & moderate ſecundum diſciplinam Domi obſervari oportet*. Ex quibus ſequitur ipſam Indulgentiarum doctrinam non impetere S. Cyprianum.

Obj. Si concedantur Indulgentiæ per quas remittantur pœna peccatis debita: ſequitur peccatores nullam debere pœnitentiam agere, evacuantur hac doctrina eleemoſynæ, jejunia & alia quæcunque bona opera, quæ inutilia redduntur ad ſatisfaciendum Deo; abſurdum conſequens, & contrarium Scripturis, Patribus & Conciliis, quæ Pœnitentiam peccatoribus neceſſariam eſſe ubique docent: igitur illuſoria eſt illa poteſtas concedendi Indulgentias.

Nego maj. duplici ex capite; 1. Quia licet Indulgentiæ pœnam remittant peccatis debitam vel in totum vel ex parte, eædem tamen non diſpenſant a neceſſitate agendi pœnitentiam, ſaltem quatenus ſpectatur ut remedium ad bene vivendum & vitia comprimenda, neque enim Indulgentiæ conceduntur ad fovendam peccatorum ſegnitiem. Unde ſummi Pontifices quando indulgentias largiuntur, ſalutarem Pœnitentiam commendant; 2. Quia nemo etiam inter eos qui putant ſe Indulgentias fuiſſe lucratos, certus eſſe poteſt revera pœnæ reatum ſuis peccatis debitum fuiſſe remiſſum juxta illud Eccleſ. 9. *Homo neſcit, utrum amore an odio dignus ſit*. Unde cum timore debet operari ſalutem & fructus facere dignos Pœnitentiæ.

Obj. Ejuſmodi eſt ſententia Confeſſarii qui Pœnitentiam injunxit Pœnitenti, ut a nemine irritari poſſit, eatenus enim eſt ſupremus Judex: ergo dari non poſſunt Indulgentiæ, quibus relaxetur ſatisfactio a Sacerdote in Tribunali injuncta.

Nego conſeq. ſiquidem per beneficium Indulgentiarum non irritatur ſententia a Confeſſario lata, ſed debitum Pœnitenti impoſitum ſolvitur, de theſauro ſcilicet Eccleſiæ, quatenus applicantur Chriſti merita ad compenſandam Pœnitentiam a Confeſſario injunctam.

Caput III.

Cujus ſit Indulgentias concedere.

Contendit Durandus poteſtatem concedendi Indulgentias pertinere ad juriſdictionem fori interioris, atque ita ſolos Sacerdotes qui abſolvunt a peccatis, poſſe Indulgentias conferre, *Quia*, inquit, *Indulgentia eſt abſolutio a pœna remanente poſt abſolutionem culpæ, ideoque eandem requirit poteſtatem, quam abſolutionem a culpa, videlicet poteſtatem Ordinis Sacerdotalis*. Contra quem ſit

Conclusio.

Soli Epiſcopi poteſtatem habent conferendi Indulgentias; quod utique conſtat,

1. Ex iis Evangelii textibus, in quibus mox dixi fundatam eſſe jure divino poteſtatem concedendi Indulgentias, nimirum ex his Matth. 16. & 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c.* quæ dicta ſunt ſolis Apoſtolis quorum Epiſcopi ſunt ſucceſſores. Neque enim diximus ad illam poteſtatem conferendi Indulgentias pertinere hæc verba Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* utpote quæ inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ ſpectant, & ideo diriguntur ad omnes Sacerdotes.

2. Ex illis Patrum & Conciliorum monumentis, quæ in præcedenti diſſertatione adduximus, hæc enim indicant relaxationem debitæ ſatisfactionis Pœnitentium, in qua diximus poſitum eſſe Indulgentiarum beneficium, ſemper determinatam & præſcriptam fuiſſe ab Epiſcopis, S. Cyprianus inſurgit Epiſt. 11. in quoſdam Presbyteros qui ad preces Martyrum Pœnitentiam lapſorum imminuere, iiſque pacem dare audebant propria autoritate & inconſultis Epiſcopis, *Neque nunc*, inquit, *ſibi prapoſitum Epiſcopum cogitantes quod nunquam*

quam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt. Duo protulimus ibidem inſignia Conciliorum Ancyrani & Nicæni Mag. teſtimonia, quibus poteſtas mitigandi lapſorum Pœnitentiam ſolis Epiſcopis aſcribitur. Unde poſtmodum ſoli ſummi Pontifices pro toto orbe Chriſtiano, & Epiſcopi pro ſua quilibet Diœceſi conceſſerunt Indulgentias.

3. Hanc rationem afferunt Theologi poſt S. Thomam. Ad eum pertinet conferre Indulgentias, quæ nimirum eruuntur ex communi Eccleſiæ theſauro, qui Eccleſiæ eſt Princeps; quemadmodum ad eum ſolum pertinet bona reipublicæ cujuſpiam diſpenſare, qui rempublicam illam gubernat; ſed ſoli Epiſcopi ſunt Eccleſiæ Principes: igitur ad illos ſolos pertinet dare Indulgentias.

Quapropter falſum omnino eſt præfatum Durandi principium dicentis ad conferendas Indulgentias ſufficere poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, ſiquidem hoc pertinet ad juriſdictionem fori exterioris, ſicut ad excommunicandum. Unde electi Epiſcopi nondum ordinati, ſimiliter & legati Sedis Apoſtolicæ non Presbyteri Indulgentias conferre ſolent. Contra vero Parochi & alii ſimplices Presbyteri juriſdictionem tantum habentes in foro interiori concedere non poſſunt Indulgentias.

Hinc etiam ſequitur Abbatibus non competere poteſtatem Indulgentias largiendi, quia licet ſint Monaſteriorum præfecti, tamen ſimpliciter loquendo non ſunt Eccleſiæ principes & Prælati. Unde Innocentius III. ut habetur extrav. de exceſſibus Prælatorum, cap. *Accedentibus*, vetat ne Abbates Indulgentiarum litteras dare præſumant, *Niſi forſan quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa ſuper hujuſmodi valeat ſe tueri.* Hanc legimam cauſam explicant Interpretes de conſuetudine præſcripta quæ dat juriſdictionem.

Objiciunt hunc S. Pauli locum II. ad Corint. 2. ubi ſcribens humanius cum inceſtuoſo Corinthio agendum ſentire, videtur poteſtatem ejuſmodi Indulgentiam largiendi competere ipſis fidelibus, *Ita ut*, inquit, *e contrario magis donetis*, id eſt, condonetis, & ibidem, *Cui autem aliquid donaſtis & ego.* igitur non ſoli Epiſcopi Indulgentias concedere poſſunt.

Reſp. mentem Apoſtoli hæc ſcribentis non eſſe, quod ipſi populi & Laici Corinthii concedere deberent Indulgentiam huic inceſtuoſo, ſed ſolum illud præſtandum eſſe a Miniſtris, quia apud illos præerant aut Epiſcopi aut epiſcopali autoritate inſigniti; quo ſenſu ſcripſerat iiſdem Corinthiis I. Epiſt. cap. 5. Satanæ tradendum inceſtuoſum, hoc eſt, publicæ Pœnitentiæ addicendum vel excommunicandum, cujus rei poteſtatem dubio procul non aſcribit omnibus indiſcriminatim e populo, ſed ad ſolos Prælatos pertinere ſentiebat.

Obj. Ejuſdem eſt poteſtatis, ejuſdemque fori ligare & ſolvere: ſed peccator ligatur per Sacerdotem qui in foro interiori ſeu in Tribunali Confeſſionis injungit Pœnitenti certam ſatisfactionem exequendam: ergo ejuſdem eſt Sacerdotis, Pœnitentem eximere ab illa ſatisfactione, in quo certe conſiſtit Indulgentiarum beneficium.

Nego ant. plerumque enim inferior ligat, nec propterea habet poteſtatem ſolvendi, quam ſibi retinet ſuperior; quando nempe id exigit publicum Eccleſiæ bonum. Unde utrumque nec pertinet ſemper ad eandem poteſtatem, nec ad idem forum. Porro ad juriſdictionem fori externi merito revocatur Indulgentiarum conceſſio, quia ut plurimum conferuntur propter publicas fidelium neceſſitates.

Obj. Quiſque fidelis alius pro alio ſatisfacere poteſt, cum nempe unus bona ſua opera in remiſſionem pœnæ temporalis ab alio luendæ offert Deo & applicat; ſed relaxatio ſatisfactionis eſt Indulgentia: ergo.

Reſp. ejuſmodi ſatisfactionis applicationem non eſſe de numero Indulgen-

tiarum, quia non ſit per modum abſolutionis & virtute clavium, ſed tantum per modum ſuffragii. Unde, inquit Eſtius: *Per talem applicationem non relaxatur quidquam de Pœnitentia a Sacerdote injuncta, ſed ad eam peccator manet nihilominus obligatus, donec Eccleſiæ autoritate ſolvatur*.

At, inquies, quotidie Sacerdos in Tribunali largitur Indulgentias, quando Pœnitenti ſatisfactionem injungit, commutat enim pœnam futuri ſæculi in pœnam hujus longe minorem: hæc autem relaxatio eſt Indulgentiæ.

Reſp. cum eodem Eſtio, per hoc Indulgentiæ beneficium, de quo agitur, non commutari pœnam Purgatorii in pœnam hujus ſæculi, ſed in totum vel ex parte relaxari Pœnitentiam injunctam vel injungendam; quod quidem facere non poteſt ſimplex Presbyter, niſi agat ex commiſſione ſuperioris, tenetur enim injungere Pœnitenti ſatisfactionem pro gravitate delicti, aut ſi, in pœnis ſatisfactoriis, quæ hodie injunguntur, non ſervatur æqualitas quoad acerbitatem, ſervatur tamen in æſtimatione coram Deo, ita ut proprie ſatisfacere cenſeantur fideles per injunctas ſibi Pœnitentias.

Cæterum etſi ſimplices Presbyteri non poſſint conferre Indulgentias propria autoritate, eas tamen dare poſſunt tanquam delegati, quod idem præſtare etiam valent Clerici. Siquidem & ſimplicibus Presbyteris & Clericis tribui poteſt, id quod pertinet ad juriſdictionem fori exterioris: ſed conceſſio Indulgentiarum actus eſt juriſdictionis exterioris, ſicut excommunicatio: igitur; &c. Quamobrem Innocentius III. in Concil. Lateran. IV. approbat Indulgentias a quibuſdam Abbatibus datas modo ex ſpeciali commiſſione id præſtiterint.

Quæres utrum Epiſcopi poſſint peræque ac ſummus Pontifex plenarias concedere Indulgentias?

R. Jure quidem communi olim Epiſcopos uti & ſummum Pontificem Indulgentias contuliſſe plenarias, hoc eſt quæ totam pœnam peccatis debitam relaxabant, ut patet ex monumentis ſupra relatis. Sed in Concilio Lateranenſi IV. reſtricta eſt plurimum Epiſcoporum poteſtas, ut patet ex Can. 62. ubi ſic habetur, *Quia per indiſcretas & ſuperfluas Indulgentias, quas quidem Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & Pœnitentialis ſatisfactio enervatur. Decernimus ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur, ac deinde in anniverſario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis Pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet cauſis aliquoties conceduntur*. Ex illo autem tempore recurritur ad ſummum Pontificem ad conſequendas Indulgentias plenarias, & alii Epiſcopi eas ſolum concedunt juxta hoc Synodi Lateranenſis Decretum, nimirum pro uno anno in dedicatione Eccleſiæ, & pro quadraginta diebus in aliis cauſis.

Quæres 2. an Epiſcopi, vel Papa ſibiipſis Indulgentias concedere poſſint. Ratio dubitandi eſt, quia non videtur quod quis poſſit juriſdictionem in ſeipſum exercere, neque in foro interiori ſeipſum ſacramentaliter abſolvendo, neque in foro exteriori ſeipſum excommunicando.

Reſp. rationi maxime conſentaneum eſſe, non quod Papa & Epiſcopi ſibiipſis directe conferant Indulgentias, ſed quod data commiſſione eas ab alio accipiant, id enim ita præſtitum fuit, inquit Eſtius, ab aliquo ſummo Pontifice; cui praxi accedit quod Indulgentia in diplomatibus ſummorum Pontificum vocatur plerumque peccatorum remiſſio vel abſolutio, quam Epiſcopus a Presbytero quem approbavit, quotidie ſolet accipere.

CA-

CAPUT IV.

De virtute Indulgentiarum.

COnſtat 1. inter Catholicos Indulgentias eſſe fidelibus maxime utiles & ſalutares, ut adverſus Novatores definivit Concilium Tridentinum in ſuo Decreto de Indulgentiis jam citato his verbis, *Sacro-ſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit.* quanquam in quo præciſe poſita ſit earum utilitas, expreſſe non determinet. Clemens VI. in extravagante *Unigenitus* ſic loquitur de Indulgentiis quæ ab Eccleſia conferuntur, *Ut cunctorum fidelium augeatur devotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas vehementius incaleſcat.*

Conſtat 2. Per Indulgentias peccati culpam non remitti, ſiquidem reatus culpæ non deletur niſi per Sacramentum Pœnitentiæ, quod nempe, ut docet Catholica fides, eſt neceſſarium ad delenda peccata poſt baptiſmum commiſſa. Revera videntur ſummi Pontifices in ſuis diplomatibus de Indulgentiis, polliceri abſolutionem a peccatis, remiſſionem peccatorum, ut, v. g. Urbanus II. concedens Indulgentias pro expeditione Jeroſolymitana, *Monemus*, inquit, *& exhortamur in Domino, & in remiſſionem peccatorum injungimus.* Sed nemo neſcit ſummos Pontifices id intelligere de remiſſione peccatorum quoad reatum pœnæ, non autem quoad reatum culpæ; neque enim mens eorum eſt quidquam ſtatuere contra neceſſitatem Confeſſionis Sacramentalis, quam præmitti jubent a Pœnitentibus, ut Indulgentias conſequantur.

Conſtat 3. ſaltem apud Catholicos, per Indulgentias remitti pœnam temporalem peccatis debitam, quia, ut oſtenſum eſt ex multis Patrum & Conciliorum teſtimoniis, Indulgentiæ ſemper in Eccleſia loco fuere ſatisfactionis, quæ pro peccatis commiſſis congruens ac debita reputabatur.

Verum in hoc capite de virtute & efficacia Indulgentiarum nonnullæ agitantur quæſtiones inter Theologos. Quæritur, 1. utrum Indulgentiæ remittant non modo pœnam injunctam ſed etiam injungendam, vel aliter, utrum Indulgentiæ valeant in ordine ad pœnas Deo & ejus juſtitiæ debitas, vel ſolum in ordine ad ſatisfactionem a Sacerdotibus impoſitam; 2. Quid ſit Eccleſiæ theſaurus ex quo deſumitur virtus Indulgentiarum, an ſit non modo ex Chriſti ſed & ſanctorum etiam meritis conflatus.

CAPUT V.

Utrum per Indulgentias remittantur pœnæ injuncta ſimul & injungendæ.

CErtum eſt ex dictis ſupra, cum oſtendimus legitimam eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi Indulgentias, per illud beneficium relaxari ſatisfactionem peccatis debitam, in eo enim conſiſtunt Indulgentiæ. Si qua autem pœna ſatisfactoria relaxatur, id maxime intelligendum eſt de pœna a Sacerdote in Tribunali injuncta, tum quia eatenus Epiſcopi in primitiva Eccleſia Indulgentias concedebant Pœnitentibus, quatenus nonnihil de ſatisfactionibus per Canones injunctis remittebant, tum vero quia in hodiernis Indulgentiarum formulis expreſſa ſit mentio, *De injunctis Pœnitentiis*. Ea autem de cauſa multi Theologi contendunt per Indulgentias remitti ſolummodo pœnas injunctas, hoc eſt, in Tribunali a Confeſſario impoſitas; aliis volentibus Indulgentias ſolvere non modo a pœnis injunctis, ſed etiam ab injungendis, hoc eſt, quæ juxta antiquorum Canonum diſciplinam eſſent injungendæ, cui ſententiæ ſubſcribimus.

CON-

Concluſio.

Indulgentiæ remittunt pœnam etiam injungendam.

Probatur, quia ſi per Indulgentias remitteretur ſolum ſatisfactio injuncta in Tribunali a Confeſſario; ad nihilum fere reſtringerentur Indulgentiæ & earum virtus, certum quippe eſt in hodierna Eccleſiæ diſciplina leves admodum comparate ad criminum gravitatem & multitudinem imponi pœnas ſatisfactorias; 2. quia nullum eſt fundamentum in adverſariorum ſententia reſtringendi Indulgentias, quæ conceduntur ad pœnas injunctas, poteſtas enim ſolvendi Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis tribuitur a Chriſto Domino ſine ulla limitatione, *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, &c.*

Neque vero hanc ſuam opinionem merito fulcire poſſunt in eo quod nonniſi de pœnis injunctis mentionem faciunt ſummi Pontifices in ſuis diplomatibus, quando concedunt Indulgentias, uti etiam habetur Can. 62. Concilii Lateranenſ. III. *Quadraginta dies*, inquit, *de injunctis Pœnitentiis inducta remiſſio non excedat*. Namque hæc verba *de injunctis Pœnitentiis* non apponuntur in Bullis ſummorum Pontificum per excluſionem ad alias pœnas; ibi enim nulla eſt vox reſtrictiva, ut per ſe patet. Præterquamquod falſum eſt in hac formula concedi ſemper Indulgentias, ut patet ex extravag. *Antiquorum*, & ex citata Clementis VI. extravag. *Unigenitus*. Addunt alii Indulgentias etiam poſito quod concedantur expreſſa hac formula *de pœnis injunctis*, extendi tamen ad pœnas injungendas, quia hæc vox *de injunctis*, non eſt reſtrictiva, ſed potius ampliativa, majus enim eſt, inquiunt, remittere pœnas injunctas, quam injungendas, quia pœnæ injunctæ debentur duplici titulo, & quia peccati reatum ſequuntur ut injungendæ, & quia a Confeſſario fuerunt impoſitæ.

Caput VI.

De Theſauro Eccleſiæ, ex quo ſumuntur Indulgentiæ.

Communis eſt Theologorum doctrina & ſermo, quemdam eſſe Eccleſiæ theſaurum, ex quo ſumitur pretium & virtus Indulgentiarum, hunc autem loquendi modum & in Scripturis & in aliis graviſſimis monimentis eſſe fundatum mox patebit ex dicendis. Quæritur autem quænam ſint bona, ex quibus conflatur ille theſaurus, an ſola Chriſti merita, vel merita etiam Sanctorum: communem Theologorum doctrinam hoc in utroque capite amplectemur.

Prima Concluſio.

Eccleſiæ theſaurus conſtat potiſſimum ex Chriſti meritis.

Ratio eſt, quia, ut diximus in Tractatu de Incarnatione, Chriſtus plenam & perfectam exhibuit ſatisfactionem pro noſtris delictis, Apocal. cap. 1. *Lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, & 1. Timothei 2. *Semetipſum dedit redemptionem pro omnibus*. Sed iſta merita quæ pretii ſunt infiniti, merito donari nomine Theſauri colligunt Theologi; 1. ex Scripturis, nam S. Paulus, 2. Corint. 8. ait de Chriſto, *Propter vos egenus factus eſt cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis*. Hinc enim ſignificatur nos eſſe divites in Chriſto, & per Chriſtum, adeoque noſtras divitias & theſaurum ex meritis Chriſti conflatum; 2. ex Clemente VI. in extravagante *Unigenitus*, ubi ſic habet, *In ara crucis innocens immolatus*, Chriſtus . . . . *quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, & ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit*. Ex quibus colligitur perperam dici a nonnullis, ſententiam, quæ aſſerit Chriſti merita

eſſe Indulgentiarum theſaurum, nullo fultam eſſe Scripturæ teſtimonio.

SECUNDA CONCLUSIO.

Conflatur etiam theſaurus Eccleſiæ ex meritis Sanctorum, uti colligitur,

1. Ex Scripturis, ſic enim loquitur Apoſtolus II. ad Corinth. 8. cap. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum*. Ubi promittit divitibus, futurum ut, ſi pauperibus eleemoſynam erogent, hinc abundantiam accipiant ſatisfactionis videlicet apud Deum propter merita illorum pauperum. Atque hæc juſtorum merita theſaurum appellat I. Tim. 6. *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus ſæculi divites fieri in operibus bonis theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum*, juxta illud Chriſti Domini Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſaurum in cœlis, ubi neque ærugo, &c.* igitur ex meritis Sanctorum recte conflatus dicitur Eccleſiæ theſaurus. Unde Clemens VI. in citata Conſtitutione *Unigenitus* ſic loquitur, *Ad cujus quidem theſauri cumulum Beata Dei genitricis & omnium electorum a primo juſto uſque ad ultimum merita ad vinculum præſtare noſcuntur*.

Objicies: Ea ſententia maximam Chriſto infert injuriam, innuit enim Chriſti merita non eſſe ſufficientis pretii & valoris ad ſupplendas fidelium ſatisfactiones: abſurdum conſ. ergo & ant.

Nego ant. neque enim propter inſufficientiam pretii in meritis Chriſti voluit Deus ut merita Sanctorum Eccleſiæ theſaurum ingrederentur, nam merita Chriſti ſunt infinita & infiniti valoris, ſed ut vere dici poſſet membra non eſſe ſeparata a corpore, Chriſtus enim eſt caput, fideles autem ſunt ejus membra: hoc fuit, inquit Eſtius, divinæ bonitatis & dignationis, ut Chriſtus etiam redemptis ſuis merendi & redimendi quandam tribueret participationem. Inde autem nihil detrahitur ex valore ſatisfactionis Chriſti, quia vim merendi quicquam Sancti non habent a ſeipſis ſed ab ipſo Chriſto. Et certe in ſententia adverſariorum nihil detrahitur ex meritis Chriſti, ex eo quod quilibet juſtus propria adhibet merita, ut pro ſuis propriis delictis ſatisfaciat: igitur nec ex iiſdem infinitis Chriſti meritis quidquam imminuitur, ſi per merita Sanctorum redimi dicantur ſatisfactiones ab aliis fidelibus debitæ, par enim eſt utrobique ratio quoad propoſitam difficultatem.

At, inquies, Sancti receperunt ipſi mercedem ſuis bonis operibus debitam, immo majorem & uberiorem juxta illud Apoſtoli, *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ergo illorum merita non poſſunt eſſe pretium, quo redimatur ſatisfactio ab aliis fidelibus debita.

Reſpondetur Eccleſiæ theſaurum multa Sanctorum merita complecti, quæ ad pœnas eorum ſatisfactorias perſolvendas non fuere adhibita, ut dici merito poteſt de Beata Virgine & de plurimis Martyribus, quorum ſatisfactio reputari poteſt ſuperabundans, & quæ per poteſtatem Eccleſiæ applicari poſſunt ad utiliter inſerviendum aliis fidelibus.

Quæritur hic quomodo merita Sanctorum concurrant in diſpenſatione Indulgentiarum, an veram habeant rationem pretii quo conjunctim cum Chriſti meritis perſolvatur, ut multi contendunt, vel ſolum agant per modum ſuffragii & impetrationis, quatenus ab Eccleſia offeruntur, ut alii volunt.

Verum in hac quæſtione, quæ maximi non eſt momenti, ſatis eſt, ut puto, dicere theſaurum Eccleſiæ conflatum ex meritis Chriſti & Sanctorum; quod legitimo cum fundamento aſſeritur a Theologis, ut ex dictis colligitur, ita ut tamen pretium, quo pœnæ ſatisfactoriæ fidelium redimuntur ex illo cœleſti theſauro, deſumatur potiſſimum

ex

ex meritis Chriſti, nec niſi ſuo modo & in ſuo ordine merita Sanctorum concurrant. Neque a ratione alienum eſt quod dicantur etiam habere rationem pretii ſuo nimirum modo, quia in Beneficio Indulgentiarum ſolutio fit ex iis quæ ingrediuntur theſaurum, qui quidem ex meritis Sanctorum componitur, ut dictum eſt.

Obj. Nonnulli e SS. Patribus docent remiſſionem peccatorum ſoli Chriſto ejuſque Paſſioni non meritis Sanctorum tribuendam, ita S. Auguſtinus Tract. 84. in Joan. *Etſi*, inquit, *fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis Martyris funditur*. igitur.

Reſp. ejuſmodi loca eo ſenſu accipienda eſſe, quod ſolus Chriſtus ſit generis humani redemptor, nec ullus e Martyribus Sanctis poſſit æternæ mortis debitum perſolvere, quanquam pro pœnis temporalibus peccato debitis ſuo modo ſolvere poſſint.

CAPUT VII.

De ſubjecto Indulgentiarum.

CErtum eſt ſolis hominibus Baptizatis concedi poſſe Indulgentias; cum enim conceſſio Indulgentiarum ſit actus juriſdictionis, exerceri non poteſt ab Eccleſiæ Prælatis niſi in ſubditos; unde quilibet Epiſcopus non habet poteſtatem Indulgentias diſpenſandi aliis quam ſuis Diœceſanis, ut definivit Alexander III. Epiſt. ſuperius citata.

Hic autem proponi ſolet difficultas, utrum etiam mortuis conferri poſſint Indulgentiæ, ita ut hoc beneficio ſubleventur animæ in Purgatorio detentæ. Partem negantem dubio procul tenent Novatores, qui nullum eſſe purgatorium docent, tenuitque expreſſe Lutherus, cujus hic inter alios numeratur articulus a Leone X. damnatus, *Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles, videlicet mortuis, &c.*

Idem quoque opinatus eſt Hoſtienſis ſæculo decimo tertio. Teſtatur S. Thomas vel alius autor ſupplementi q. 25. art. 1. alios idem ſenſiſſe, *Quidam dicunt*, inquit, *quod Indulgentiæ non valent ad abſolvendum a reatu pœnæ quam quis in Purgatorio ſecundum judicium Dei meretur*. Quam quidem ſententiam impugnat

CONCLUSIO.

Indulgentiæ merito conferuntur pro mortuis & illis prodeſſe poſſunt, quod conſtat,

1. Quia non minus Eccleſia per poteſtatem a Chriſto datam conferre poteſt Indulgentias quæ proſint mortuis in Purgatorio detentis, quam pro illis preces & ſuffragia offerre: ſed ab omni ævo conſuetudo fuit in Eccleſia Catholica ut pro defunctorum animabus in Purgatorii carcere detentis offerrentur preces & ſuffragia, ut in diſſertatione quæ eſt de Purgatorio probatur: igitur & pro illis valere poſſunt Indulgentiæ.

2. Quia uſus ille, quo nempe Indulgentiæ conferuntur pro defunctis, jam viget in Eccleſia a multis ſæculis, ut conſtat, 1. ex eo quod Sixtus IV. decimo quarto ſæculo damnavit ſententiam Petri Oxonienſis, qui negabat mortuis prodeſſe Indulgentias; 2. Gabriel Piel ejuſdem ſæculi Theologus inſignis teſtatur lectione 57. in Canonem Miſſæ, hanc ſententiam eſſe certam eo quod a multis probatiſſimis Doctoribus propugnatur, *Non jam velut opinionem*, inquit, *ſed ſententiam certam complecti debere exiſtimo, tum propter pluralitatem Doctorum eam aſſerentium, ſcilicet Alexandri de Hales, S. Bonaventuræ, B. Thomæ, Ægidii, Durandi, Petri de Tarentaſia, Richardi de Mediavilla, Thomæ de Argentina & aliorum plurimorum, & principaliter propter determinationem ſummorum Pontificum priorum & modernorum*. Oppoſitam ſententiam tenuerat Piel, quam ibidem retra-

tra-

Digitized by Google

tractat, Quod, inquit, *nondum venerat ad manus meas declaratio domini Sixti Papæ qua declarat Indulgentias proficere per modum ſuffragii etiam animabus in Purgatorio exiſtentibus*; 3. quia Leo X. ſummus Pontifex idem declaravit in ſua Conſtitutione contra Lutheri errores, ut mox diximus; 4. quia Joannes Major ſcribit in 4. diſt. 20. q. 2. id fuiſſe determinatum a Sacra Facultate Pariſienſi.

Addimus tamen cum cæteris Theologis Indulgentias non dari pro mortuis per modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragii.

Ac 1. non dantur per modum abſolutionis: nam manifeſte id ſignificat hic locus, *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, &c.* quo uſi ſumus ad aſſerendam Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem conferendi Indulgentias, ſi quidem ſolvere ſuper terram nihil aliud eſt quam ſolvere viventes ſuper terram. Unde frivolum maxime eſt quod nonnulli dicunt animas in Purgatorio detentas ſolvi ſuper terram, eo quod extra terram non eſt locus Purgatorii. Quod utique confirmari poteſt ex Decreto Alexandri III. jam citato in quo definit neminem ligari vel abſolvi poſſe a non ſuo judice, *Cum*, inquit, *a non ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi, remiſſiones prodeſſe illis tantummodo arbitramur, quibus ut proſint, proprii judices ſpecialiter indulſerunt*. Nulla enim ratione dici poſſet Prælatos Eccleſiæ eſſe judices animarum quæ ſunt in Purgatorio, quia forum Eccleſiæ non comprehendit niſi viventes, *Cum Dominus*, inquit S. Leo Epiſt. 91. *cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale Miniſterium implere non potuit, ſua juſtitia reſervaverit, &c.*

Opponi non debet in hanc ſententiam, quod Eccleſia nonnunquam excommunicationem tulerit in defunctos, vel eos abſolverit. Unde ſequitur mortuos cenſeri obnoxios Eccleſiaſtico judicio. Siquidem in illis occaſionibus nullum ab Eccleſia fertur judicium in mortuos, ſed ipſa declarat viventibus hominibus ſibi ſubditis tales mortuos, eſſe vel non eſſe ſuffragiis Eccleſiaſticis dignos, unde in ſolos viventes ſuam exercet juriſdictionem.

2. Indulgentiæ dantur pro mortuorum animabus per modum ſuffragii, ut patet ex forma Indulgentiarum qualis ſolet a ſummis Pontificibus decerni & publicari, teſte Gabriele Biel lect. 57. in Can. Miſſæ his verbis, *Modernus Pontifex Innocentius VIII. Indulgentias hujuſmodi olim per Pium II. & Sixtum præfatum*, loquitur de Sixto IV. *viſitantibus Eccleſiam Santonenſem & Fabricæ ejus contribuentibus ad animas in Purgatorio redimendas per modum ſuffragii extenſas & ad contribuentes, &c.* Cum autem Indulgentiæ dicuntur prodeſſe mortuis per modum ſuffragii, id intelligitur eo ſenſu quod Indulgentiæ ad ipſos transferuntur per modum ſubſidii cujuſdam ſeu precationis ad obtinendam a Deo aliquam relaxationem pœnarum, quas patiuntur in Purgatorio, eo plane modo quo fideles per bona ſua opera, jejunia, eleemoſynas, & orationes iiſdem defunctis ſubveniunt.

Neque vero inde conſequens eſt, ut ait Eſtius in 4. diſt. 20. §. 11. Indulgentiarum conceſſionem pro defunctis non ſpectare ad poteſtatem clavium. Nam autoritate Eccleſiæ & Pontificali theſaurus Eccleſiæ diſpenſatur, & dantur Indulgentiæ etiam pro defunctis, ſed ejuſmodi Indulgentiæ defunctis non opitulantur niſi per modum ſuffragii ad pœnarum remiſſionem, ad eos perveniunt non via juſtitiæ & juriſdictionis, ſed via miſericordiæ ad quam diriguntur oblata pro illis ſuffragia.

Quæritur utrum Indulgentiæ proſint æqualiter omnibus defunctis pro quibus offeruntur.

R. negative, nam ex Sancto Auguſtino, quem ſequuntur hac in parte omnes Theologi, animæ defunctorum juvantur precibus viventium prout in hac vita meruerunt, id enim ſcribit lib. de

cura pro mortuis cap. 1. ubi loquens de pio precantium affectu ſic habet, *Qui cum defunctis a fidelibus cariſſimis exhibetur, cura prodeſſe non dubium eſt iis qui cum in corpore viverent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt*. Sed aliunde certum eſt merita juſtorum, quorum animæ detinentur in Purgatorio, hac in vita non fuiſſe prorsus æqualia: igitur æqualiter non juvatur.

Quapropter ut concludit ibidem Eſtius, non ita certo ſtatuendum eſt factam e pœnis Purgatorii defunctorum liberationem, ut jam pro iis non amplius oretur, vel tollantur anniverſaria, vel denique alia omittantur quæ pro defunctis præſtari ſolent, quia nimirum certi eſſe non poſſumus acceptata fuiſſe a Deo quæcumque per modum ſuffragii ei fuere oblata.

Quæres utrum ſit de fide Indulgentias prodeſſe mortuis in Purgatorio exiſtentibus.

Reſpondet clariſſimus Sambovius To. 3. caſuum conſcientiæ hanc communem Theologorum doctrinam non haberi tanquam certum fidei Dogma; 1. quia nonnulli Theologi hanc noſtram ſententiam proponunt ut opinionem, alii ut quæ ad fidem pertineat, non quæ ſit de fide, ut Sylvius; alii demum ut doctrinam certam, non autem ut definitam tanquam fidei Catholicæ Dogma; 2. quia illud non cenſetur de fide & tanquam de fide tenendum quod nec in Scripturis, nec in Traditione, nec ab ullo Concilio Generali definitum reperitur: ſed talis eſt doctrina quæ aſſerit Indulgentias prodeſſe animabus defunctorum in Purgatorio detentis, ſi quidem nullo in loco Scripturæ id legitur, tametſi enim quidam Theologi hanc doctrinam eruant alii ex hoc teſtimonio, *Dabo tibi claves Regni Cœlorum*, alii ex iſto, *Quæcumque ſolveritis, &c.* Ejuſmodi tamen conſequentiæ ſunt tantum probabiles. Neque etiam id continetur in Traditione, nihil enim clarum & præciſum habetur apud SS. Patres de illo Indulgentiarum beneficio pro animabus juſtorum qui detinentur in Purgatorio. Denique nec eadem doctrina expreſſe definita eſt in ullo Concilio Generali, & ideo præciſe rem non determinavit Tridentina Synodus Eccleſiæ fidem circa Indulgentias ſtabiliens loco citato, ut obſervat præfatus Theologus, quia Dogma non eſt fidei Catholicæ Indulgentias prodeſſe mortuis.

CAPUT VIII.

De diſpoſitionibus ad conſequendas Indulgentias.

TAmetſi nemo Catholicus dubitare poſſit eam eſſe quam diximus virtutem Indulgentiarum, quæ per clavium poteſtatem conceduntur, conſtat nihilominus certas requiri diſpoſitiones in fidelibus, qui harum Indulgentiarum fructus adipiſci volunt; ipſa enim Sacramenta quæ gratiam producunt ex opere operato, eam nonniſi recte diſpoſitis conferunt; ſaltem ſi ſermo ſit de adultis; hæ autem vulgo recenſentur conditiones ad conſequendas Indulgentias neceſſariæ.

I. eſt, ut homo ſit in ſtatu gratiæ nullo ſcilicet peccato mortali contaminatus. Si quidem dantur Indulgentiæ ut relaxetur vel remittatur ſatiſfactio peccatis debita, non ut dimittatur ipſe peccati reatus culpæ, qui videlicet, ut ſupra diximus, per ſolum Sacramentum expungitur, ſed ejuſmodi ſatisfactio non proponitur relaxanda niſi pro iis quibus dimiſſum fuit peccatum, quia reatus pœnæ & pœna expianda remanet dimiſſo peccato: igitur ut homo fructus Indulgentiarum conſequatur, debet eſſe in ſtatu gratiæ conſtitutus.

II. eſt, conſequenter, pro iis nempe qui jacent in peccato mortali, ut peccata ſua Sacramentaliter confiteantur, tum vero illa per verum ac ſincerum dolorem deteſtentur, ut aperte declarant ſummi Pontifices in iis Bullis in quibus

In-

Indulgentias concedunt, *Contritis ac vere Pœnitentibus*. Quin & reſpectu juſtorum qui peccato mortali non ſunt obſtricti neceſſaria eſt Confeſſio Sacramentalis, quando expreſſe injungitur ab eo qui Indulgentias largitur; quia generatim loquendo nihil omittendum eſt ex iis operibus quæ injunguntur & implenda præcipiuntur, cum ſub illis conditionibus tantum fiat pœnarum relaxatio. Unde communis eſt Theologorum ſententia, Pœnitentem non conſequi Indulgentias & debitæ ſatisfactionis remiſſionem, niſi in eo inſtanti in quo totum per Pontificum Bullas injunctum opus plene executus eſt.

Poſſet autem quis petere, an requiratur ut pœnitens ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis conſtitutus, quando ſingula in Bullis injuncta opera adimplet, ut nempe Indulgentiarum fructus habeat. Sed reſpondetur ſtatum gratiæ ſanctificantis non requiri abſolute niſi in eo inſtanti in quo ex operibus injunctis ultimum perficitur a Pœnitente; ſatis erit ſi cum animo contrito & affectu in exhibendam pro peccatis ſatisfactionem intento, orationes, eleemoſynas & alia per Bullas Pontificum præſcripta exequatur, quemadmodum uſitatum erat antiquitus in Eccleſia, ut Pœnitentiæ Canonicæ labores a Pœnitentibus adimplerentur ſaltem ex parte, priuſquam ipſis pax, & abſolutio Sacramentalis concederetur.

Gravior autem proponitur difficultas, utrum ad lucrandas, ut vulgo dicitur, Indulgentias requiratur ex parte Pœnitentis, ut convenientem aliquo modo ſatisfactionem exhibeat per bona quædam opera quæ nonnullam ſaltem habeant proportionem cum peccatis ab eo commiſſis; vel ſufficiat eum opus injunctum adimplere quodcunque illud ſit, & quamvis nullam habeat proportionem cum pœnis remittendis.

Reſp. 1. certum eſſe eo majorem fieri per indulgentias relaxationem pœnarum, quo major eſt Pœnitentis pietas, devotio, charitas, & quo majores Pœnitentiæ labores ſuſcipit. 1. Quia, ut patet ex S. Cypriano & aliis veteribus ſupra citatis, juxta praxim Eccleſiæ pia opera & Pœnitentiæ labores exigebantur a peccatoribus quibus concedebantur indulgentiæ, & eo citius pacem & Abſolutionem ſacramentalem conſequebantur, quo majora Pœnitentiæ & ſatisfactionis indicia præbuerant. Concilium autem Tridentinum præcipit citato Decreto de Indulgentiis, ut concedantur nunc Indulgentiæ ad normam priorum ſæculorum, *In his tamen concedendis*, inquit, *moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſiis conſuetudinem adhiberi cupit*.

2. Quia idipſum docet Bonifacius VIII in extravagante *antiquorum* ubi ſic habet, *Unuſquiſque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius & devotius frequentabit*. Unde ſequitur fideles eo uberius Indulgentiarum fructus conſequi quo majori cum pietate injuncta opera exequuntur. Aſtipulatur Innocentius IV. in caput *quod autem* de Pœnitentiis.

3. Id conſtat ex S. Bonaventura in 4. diſt. 20. quæſt. ultima, *Ille qui dat Indulgentias*, inquit, *cum eas tribuit, conſiderat cauſam pro qua eum reputat dignum tanta gratia, & ſecundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam cauſam, plus vel minus participant de illa Indulgentia*.

Certum eſt 2. juxta communem Theologorum doctrinam non requiri ex parte fidelium, ut per bona opera & ſuſceptos Pœnitentiæ labores ſatisfactionem exhibeant adæquatam & perfecte proportionatam pœnis debitis, & ut totus pœnæ reatus expungatur. Si quidem hoc poſito nullus relinqueretur Indulgentiis locus, quæ videlicet conceduntur ab Eccleſia cum peccatoribus humanius agente, ut ſatisfactio pro peccatis debita nonnihil remittatur; debitori autem nihil relaxatur,

cum ſuo creditori totum & integrum debitum ſolvit. Quapropter ſupereſt ut explicetur an & quæ requiratur ſatisfactio præter opus per Indulgentiarum Bullas injunctum.

Sunt qui contendant nullum aliud opus ſatisfactorium requiri, quod nempe Eccleſia per beneficium Indulgentiarum ſolvit abundanter pro fidelium peccatis de ſuo theſauro, hoc eſt de meritis Chriſti & ſanctorum, ut diximus, unde non eſt quod alia expectari debeat ſatisfactio.

Alii vero docent per Indulgentias ab omni Pœnitentia & bonis operibus ac demum ab aliqua convenienti ſatisfactione, non eximi peccatores, quatenus tenentur etiam accepto Indulgentiarum Beneficio rurſus laborare per bona opera, ut tali ſublevamine dignos ſe reddant, ut ait Cajetanus, & quantum fert humana infirmitas, dignos Pœnitentiæ fructus faciant.

Et ratio eſt quia ſi peccatores datis ſibi Indulgentiis eximerentur ab omni Pœnitentiæ exercitio, & ſatis eſſet abſolute ut injunctum opus adimplerent, procul dubio enervaretur Eccleſiaſtica diſciplina circa negotium Pœnitentiæ ſalutaris quam commendant Scripturæ & Concilia, non modo ut peccatores pro commiſſis delictis Deo ſatisfaciant, ſed etiam ut ab aliis deinceps committendis coerceantur; nam opera illa in Pontificum diplomatibus injuncta, plerumque nihil aliud ſunt quam trium dierum jejunia, quædam ſtationes, & nonnullæ præces pro quibus tamen plenariæ conceduntur Indulgentiæ, quamvis nullam cum peccatis commiſſis habeant proportionem. Quantum vero a mente Eccleſiæ alienum ſit, ut propter ejuſmodi Indulgentias ab omni Pœnitentiæ labore diſpenſentur peccatores, diſcere maxime poſſumus ex his Concilii Tridentini verbis Seſſ. 14. cap. 8. *Neque vero ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Deo pœnam, quam ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentarent.* Quapropter ſolent Pontifices in conceſſione Indulgentiarum præcipere Confeſſariis, ut Pœnitentibus injungant Pœnitentias ſalutares; ſed Pœnitentiæ non poſſunt eſſe ſalutares, niſi cum peccatis commiſſis aliquam habeant proportionem, ut per ſe patet: igitur.

Atque id quadrat cum veteri Eccleſiæ diſciplina, quæ, teſte S. Cypriano, etiam quando mollius agebat cum peccatoribus, aliquam & convenientem ſatisfactionem ab illis exigebat, lib. de lapſis ſic loquitur, *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri diligens & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne Dominum cito placari poſſe, quem verbis perfidis abnuiſti? ..... orare oportet impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere*, &c. qua in re inſigne eſt quod attulimus ex Concilio Nicæno Mag. quod ſimul concedit Indulgentias, & ab iiſdem peccatoribus Pœnitentiam exigit, *Cum tempus ſtatutum*, inquit, *etiam ab his fuerit impletum, & orationibus jam cœperint communicare, licebit humanius circa eos aliquid cogitare.*

Fruſtra objiceretur jam nullum fore locum Indulgentiis, quandoquidem exigeretur a Pœnitentibus conveniens & proportionata ſatisfactio, quod videtur menti Eccleſiæ directe oppoſitum, cum Indulgentiæ loco ſint ſatisfactionis debitæ. Si quidem, ut ſupra explicuimus, id non intelligitur de Pœnitentia perfecte proportionata & gravitati & multitudini ſcelerum, & per quam totus pœnæ reatus expungatur, ſed illud demum intelligimus eo ſenſu, quod debet Pœnitens, quantum poteſt, per bona opera & habita ratione ſuorum delictorum certos Pœnitentiæ labores in ſe ſuſcipere, ut hoc Indulgentiarum beneficium & pleniorem pœnarum relaxationem mercatur, hoc ſcilicet.

licet animo affectus, quod ab omni Pœnitentiæ exercitio propter Indulgentias non eximitur.

Objicies: Tritum eſt apud Canoniſtas hoc axioma, Indulgentiæ tantum valent quantum ſonant; alioquin populis illuderent Pontifices, cum ampliſſimas remiſſiones promittunt. Sed plenariæ plerumque Indulgentiæ conceduntur ſub modicis operibus injunctis, puta quibuſdam orationibus vel ſtationibus, quæ dubio procul convenientem non habent proportionem cum pœna temporali peccatis debita: igitur.

Diſt. ant. ſi aliunde ponantur conditiones requiſitæ, C. ſecus, N. itaque juxta illud laudatum axioma, Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, quando præſupponuntur conditiones poſitæ tum ex parte cauſæ, ſi nimirum ex cauſa ligitima fuerint conceſſæ, tum ex parte ſubjecti, ſi Pœnitentes ſint debite diſpoſiti, neque enim melior eſt conditio & major virtus in Indulgentiis quam in forma Sacramentorum: ſed forma Sacramentorum non intelligitur producere ſuum effectum niſi in fidelibus recte diſpoſitis, quando, v. g. Sacerdos pronuntiat hæc verba, *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, intelligitur conferri abſolutionem Pœnitenti, ſi recte diſpoſitus eſt: igitur & eodem modo ratiocinandum eſt de Iudulgentiis; certe hoc argumentum nimis probaret, ſcilicet ſequeretur Indulgentias ſuum habere effectum etiam in iis qui peccato mortali ſunt obſtricti, quod falſum eſſe diximus.

CAPUT IX.

De Indulgentiarum cauſis.

Quæritur an certæ & quidem legitimæ requirantur cauſæ ad largiendas Indulgentias, ut ſcilicet ratæ habeantur coram Deo & ſuum ſortiantur effectum: partem affirmantem tenemus, quocirca ſit

Concluſio.

Sine legitimis cauſis daris non debent Indulgentiæ. 1. Id inſinuat S. Paulus cum docet Paſtores eſſe tantum diſpenſatores Myſteriorum Dei, I. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores Myſteriorum Dei*. Inde enim merito colligitur, Epiſcopos eſſe duntaxat diſpenſatores theſauri Eccleſiæ ex quo ſumuntur Indulgentiæ: ſed diſpenſatori licitum non eſt theſaurum cuicumque & ad libitum ſine aliqua legitima cauſa diſpenſare; alioquin infidus eſt diſpenſator, & ejuſmodi diſpenſatio nulla & irrita cenſetur, ſed potius theſauri diſſipatio.

2. S. Cyprianus teſtatur lib. de lapſis irritam eſſe pacem, ſi ſit a miniſtris incaute data, *Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus & nihil accipientibus profutura*. Quod probat nec Indulgentias nunc eſſe ſine legitima cauſa concedendas ab Eccleſiæ Paſtoribus.

3. Id conſtat ex Concilio Lateranenſi Mag. quod Canone 62. jam citato damnat quorumdam Prælatorum conſuetudinem, qui *indiſcretas & ſuperfluas Indulgentias* largiebantur; per quas, inquit, *claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatiſfactio enervatur*. Si autem per Indulgentias indiſcrete datas enervatur Pœnitentia, profecto illæ accipientibus prodeſſe non poſſunt.

4. Clemens VI. in citata extravagante, *Unigenitus*, ſcribit Eccleſiæ theſaurum ea lege fuiſſe Petro ejuſque ſucceſſoribus creditum, ut eum *propriis rationalibuſque cauſis diſpenſent*; ibi autem ſermo eſt nominatim de Indulgentiis.

5. Demum aperta eſt autoritas Martini V. qui, ut patet ex conſtitutione

Digitized by Google

quæ legitur ad ealeem Concilii Conſtantienſis, juſſit ſuſpectum interrogari, utrum *credat quod Papa omnibus Chriſtianis vere contritis & confeſſis ex cauſa pia & juſta poſſit concedere Indulgentias in remiſſionem peccatorum*. Ubi ſupponit manifeſte nonniſi ex juſta cauſa concedi Indulgentias.

Objicitur autoritas S. Thomæ, qui docere videtur Indulgentias valere, tametſi indiſcrete & ſine cauſa concedantur in 4. diſt. 20 p. 1. art. 3. *Cauſa remiſſionis pœnæ in indulgentiis*, inquit, *non eſt niſi abundantia meritorum Eccleſiæ, quæ ſe habet ſufficienter ad totam pœnam expiandam, non autem cauſa remiſſionis affectiva eſt vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut cauſa pro qua fit Indulgentia*. & quæſtiuncula 2. in reſp. ad 1. *Si quis inordinate per Indulgentias pœnas remittat, ita quod homines quaſi pro nihilo ab operibus Pœnitentiæ revocentur, conferens quidem peccat, nihilominus ſuſcipiens plenam Indulgentiam conſequitur*.

Reſpondetur vulgo ad primum objectionis caput, hoc unum eo loci contendere S. Thomam, virtutem Indulgentiarum eſſe potiſſimum repetendam ex meritis Chriſti quæ virtute clavium applicantur, & juridice pœnam remittunt, non, per modum ſuffragii adinſtar orationum; quo fit ut minus ad devotionem ſuſcipientis & cauſas, quæ Miniſtrum movent ad largiendas Indulgentias, commenſuretur hujus beneficii valor. Nimirum agebat S. Doctor adverſus Altiſſiodorenſem, qui putabat Indulgentias ſuum non conſequi effectum, niſi opus injunctum pœnæ remittendæ æquivaleat, ita ut agat vi ſuffragiorum Eccleſiæ.

Quoad ſecundum S. Thomæ locum attinet, placet reſponſio quam multi afferre ſolent, nimirum eo ſenſu S. Doctorem appellaſſe Indulgentias inordinatas, non quod ſine cauſa ſint conceſſæ; quia inferius in ſolutione quinti affirmat collationem Indulgentiarum non valere ſine cauſa legitima, ſed quod nimium frequenter dentur, quia etiam ſi cauſæ occurrant, non debent eſſe frequentes, ne religio ſatisfaciendi pereat. Cæterum cum dicimus non valere Indulgentias niſi dentur cum cauſa legitima, quia in dandis Indulgentiis Prælati ſunt tantum diſpenſatores communis Eccleſiæ theſauri, non Domini; monemus tamen fideles, ut non facile ac temere præſumant ſua poteſtate abuti diſpenſatores Indulgentiarum, quia nempe certæ cauſæ dandi illas Indulgentias populis videntur leves, quæ tamen a Superioribus, qui curam habent communitatis, graves merito judicantur.

CAPUT X.

Quotuplex ſit Indulgentia.

Diviſio præcipua Indulgentiarum eſt in plenariam & non plenariam ſeu particularem. Plenaria eſt ea per quam remittitur tota pœna peccatis debita; particularis vero quæ nonniſi pœnæ debitæ partem relaxat. Scribit Maldonatus tractatu de Indulgentiis, hoc nomen *plenaria* indulgentiæ natum ex eo quod aliquando remittebatur tota Pœnitentia injuncta, licet nonniſi pars Pœnitentiæ frequenter relaxaretur, quod autem, inquit, additur aliquando plenior & pleniſſima, abuſus eſt introductus a quæſtoribus Indulgentiarum, non enim magis valet plenior & pleniſſima quam plenaria.

Quæritur hic quid in particularibus Indulgentiis ſignificent dies & anni computari ſoliti.

Reſp. ſic iſtud explicari ab Eſtio in 4. diſt. 20. art. 10, *Jam quod ad Indulgentias attinet non plenas, in iis vigor Canonis Pœnitentialis relaxatur duntaxat remiſſione certis temporis, velut aliquot dierum, vel unius anni aut plurium. Neque enim dies illi vel anni referen-*

ferendi ſunt ad pœnam luendam in Purgatorio quaſi verbi gratia, 40. *dierum futuri ſæculi*, *ſed ad Pœnitentiam in hoc ſæculo pro peccatis ſecundum Canones debitam*. *Senſus enim eſt per tot dierum vel annorum Indulgentiam demi tot dies vel anno de Pœnitentia*, *quæ ſecundum Canones pro peccatis injuncta fuit*, *vel certe injungi debuit*. *Quem ſenſum manifeſte arguit Indulgentiarum forma in qua non dicitur Pontifex ſe remittere tot dies vel annos de pœnis ſed de Pœnitentiis*, *&* *plerumque addit injunctis*. *Quod ad pœnas Purgatorii nullo modo referri poteſt*: *conſequenter tamen remittitur pœna Purgatorii tanta Pœnitentiæ reſpondens*; *quanta vero reſpondeat*, *ſoli Deo cognitum eſt*. *Hinc autem patet quam ſit abſurda ac ſedi Apoſtolicæ minime aſcribenda*, *ſedi vel mere commentitia*, *vel imprudenter exorta in annos centenos aut millenos Indulgentiarum liberalitas*, *cum nec ullo* Canone *tam diuturna Pœnitentia proſcripta unquam fuerit pro quantiſcunque peccatis*, *nec propter humanæ vitæ brevitatem præſcribi poſſit*.

De Jubilæo, quoniam inter plenarias Indulgentias collocatur, paucis diſſerendum eſt.

Prima Jubilæi inſtitutio apud Chriſtianos facta eſt anno 1300. a Bonifacio VIII. Papa qui data conſtitutione decrevit, ut qui hoc ipſo anno Sanctorum Apoſtolorum limina Romæ viſerent, plenariam conſequerentur Indulgentiam; ſtatuens inſuper, ut annus ille quem *Sanctum* vocant centeſimo quoque anno celebraretur; legitur hæc Bulla in extravag. de Pœnit. & remiſſ. cap. *Antiquorum*. anno 1350. Clemens VI. reduxit Jubilæum ad Quinquageſimum quemque annum, quod pauci antea propter vitæ brevitatem ejuſmodi Indulgentiarum fructus percipere poſſent, ut teſtatur ſummus Pontifex in extravagante *Unigenitus*, his verbis, *Volenteſque quamplurimos hujus Indulgentiæ fore participes*, *cum pauci multorum reſpectu*, *propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centeſimum pervenire*, *de fratrum noſtrorum Conſilio*, *prædictam conceſſionem Indulgentiæ ex ſupraſcriptis & aliis juſtis cauſis ad annum quinquageſimum duximus reducendum*. Dehinc Urbanus VI. vel, ut alii volunt, Gregorius XI. ſtatuit ut idem Jubilæus recurreret quovis trigeſimo tertio. Et tandem Paulus II. circa annum 1470. Jubilæum reduxit ad quemvis annum vigeſimum quintum, quod ab illis temporibus obſervatur in Eccleſia.

Jubilæi quoque nomen habent Indulgentiæ plenariæ, quas concedere ſolent ſummi Pontifices quando recens fuere inaugurati, vel in quibuſdam magnis Eccleſiæ calamitatibus, ſed Jubilæus qui vigeſimo quoque anno & quinto recurrit, dicitur annus ſanctus, vel annus ſacer Jubilæi.

Nomen iſtud Jubilæi ſignificat libertatem & remiſſionem, prout olim uſurpatum eſt a Judæis apud quos anno quovis quinquageſimo debitores recuperabant ſuas poſſeſſiones, quas paupertate compulſi vendiderant, & ab omni debito liberabantur. Levitici 25. *Clanges buccina menſe ſeptimo*, *decima die menſis*, *propitiationis tempore in univerſa terra veſtra*, *ſanctificabiſque annum quinquageſimum*, *&* *vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*, *ipſe enim eſt Jubilæus*. *Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam ..... ſi paupertate compulſus vendiderit ſe frater tuus .... uſque ad annum Jubilæum operabitur apud te*, *&* *poſtea egredietur cum liberis ſuis*.

Tempore Jubilæi præter integram pœnæ debitæ remiſſionem quæ comparatur uti per Indulgentiam, id inſuper conceditur fidelibus, ut poſſint ad nutum quem voluerint eligere confeſſarium, modo ſit Sacerdos ab Epiſcopo approbatus. Item Confeſſarius ille ab Epiſcopo approbatus poteſt abſolvere ab omnibus peccatis etiam reſervatis tum ſum-

ſummo Pontifici, tum Epiſcopo, & certa commutare vota; neque enim id extenditur ad votum Religionis & caſtitatis perpetuæ. Hinc intelligitur Sacerdotem in una Diœceſi approbatum non poſſe etiam ſub prætextu Jubilæi excipere Confeſſiones in altera Diœceſi, quia in ea non eſt approbatus. Hinc etiam Moniales confiteri non poſſunt peccata ſua niſi Sacerdoti ad Monialium Confeſſiones excipiendas approbato.

Quæritur utrum Abbas Regularis debeat eſſe ab Epiſcopo approbatus, ut ſuorum Religioſorum Confeſſiones excipiat, quia in Bullis Jubilæorum expreſſe habetur teneri fideles confiteri peccata ſua Confeſſariis ab *Ordinario* approbatis: ordinarius autem cenſetur eſſe ſolus Epiſcopus.

R. In illis Monaſteriis exemptis Superiores cenſeri Ordinarios Religioſorum, quos propterea ſolent approbare ad audiendas Confeſſiones aliorum Religioſorum & famulorum, qui intra Monaſterii ſepta habitant: nomen *Ordinarii* in ejuſmodi Bullis ſignificat ſuperiorem reſpectu Monachorum.

Indulgentiæ dividuntur inſuper in temporarias & perpetuas. Temporariæ quæ ad certum dierum vel annor. numerum reſtringuntur, v. g. pro quadraginta diebus vel pro ſeptem annis. Perpetuæ, quæ in perpetuum conceſſæ ſunt; quanquam proprie loquendo nullæ ſint Indulgentiæ perpetuæ, quia, ut ait Gamacheus Tractatu de Indulgentiis cap. 6. *Reduci ſemper debet Indulgentia perpetua ad curriculum 20. annorum propter Regulam 57. Cancellariæ Romanæ, in qua habetur Indulgentiam abſolute conceſſam alicui Eccleſiæ pro tali die cujuslibet anni futuri, reſtringendam eſſe ad viginti annos, ut recte notat Navarrus Tract. de Indulg. cap. 9. num. 8. Alii volunt dictas Indulgentias communiter extendi ad proximum Jubilæum, quo ſcilicet omnes plenariæ remiſſiones ſuſpenduntur etiam ſi perennes & perpetuæ fuerint.*

IN-

INDEX TRACTATUUM,

Capitum, & Appendicum quæ in hoc Tomo continentur.

Tractatus de Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I. *De nomine, & definitione Euchariſtiæ.* pag. 1
CAP. II. *De præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.* 5
CAP. III. *Aſſeritur eadem Doctrina ex verbis inſtitutionis.* 10
CAP. IV. *Aſſeritur idem Dogma ex SS. Patribus.* 14
CAP. V. *Utrum Paſchaſius fuerit Novator.* 17
CAP. VI. *Aſſeritur idem Dogma rationibus Theologicis.* 22
CAP. VII. *Solvuntur objectiones e SS. Patribus petitæ.* 23
CAP. VIII. *Solvuntur quædam aliæ objectiones,* 31
CAP. IX. *De tranſubſtantiatione.* 33
CAP. X. *De modo quo explicari debeat Tranſubſtantiatio.* 38
CAP. XI. *An & quomodo Chriſtus contineatur ſub qualibet Hoſtiæ parte.* 39
CAP. XII. *An remaneant accidentia Panis & Vini ſine ſubjecto.* 41
CAP. XIII. *De materia Euchariſtiæ.* 42
CAP. XIV. *An vino in Calice miſceri debeat Aqua.* 46
CAP. XV. *De forma Euchariſtiæ.* 50
CAP. XVI. *De inſtitutione Euchariſtiæ.* 57
CAP. XVII. *De neceſſitate Euchariſtiæ.* 62
CAP. XVIII. *De communione ſub utraque ſpecie.* 68
CAP. XIX. *De miniſtro Euchariſtiæ.* 74
CAP. XX. *De ſubjecto Euchariſtiæ.* 78
CAP. XXI. *De diſpoſitionibus ad recipiendam Euchariſtiam requiſitis.* 81
CAP. XXII. *De effectibus Euchariſtiæ.* 84
CAP. XXIII. *De frequenti Communione.* 89
CAP. XXIV. *De honoribus Euchariſtiæ impenſis.* 91
CAP. XXV. *De adoratione Euchariſtiæ.* ibid.
CAP. XXVI. *De conſuetudine aſſervandi Euchariſtiam.* 93
CAP. XXVII. *De aliis honoribus Euchariſtiæ delatis.* 95
CAP. XXVIII. *De ſacrificio Miſſæ.* 97
CAP. XXIX. *Utrum Miſſa ſit Sacrificium.* 98
CAP. XXX. *In quo præciſe poſita ſit eſſentia ſacrificii in Miſſa.* 100
CAP. XXXI. *Utrum Miſſa ſit ſacrificium propitiatorium.* 104
CAP. XXXII. *De Miſſis privatis.* 109
CAP. XXXIII. *De miniſtro Sacrificii.* 111
CAP. XXXIV. *De præcepto quo tenentur fideles Miſſam audire.* 114
CAP. XXXV. *De cæremoniis Miſſæ.* 115

Tractatus de Sacramento Extremæ-Unctionis.

CAPUT I. *Utrum Extrema-Unctio ſit verum novæ legis Sacramentum.* 120
CAP. II. *De materia Extremæ-Unctionis.* 124
CAP. III. *De forma Sacramenti Extremæ-Unctionis.* 125
CAP. IV. *De Miniſtro Extremæ-Unctionis.* 126
CAP. V. *De ſubjecto Sacramenti Extremæ-Unctionis.* 128
CAP. VI. *De effectibus Sacramenti Extremæ-Unctionis.* 129
CAP. VII. *De neceſſitate Sacramenti Extremæ-Unctionis.* 130
CAP. VIII. *Quo tempore adminiſtrari debeat Sacramentum Extremæ-Unctionis; utrum ante vel poſt Viaticum.* 131

TRA-

Digitized by Google

Tractatus de Sacramento Ordinis.

Caput I. *De nomine & definitione Ordinis.* 134
Cap. II. *Utrum Ordo ſit Sacrificium novæ legis.* ibid.
Cap. III. *An quilibet Ordo ſit Sacramentum.* 139
Cap. IV. *Utrum Epiſcopatus ſit Sacramentum.* 144
Cap. V. *De materia Sacramenti Ordinis.* 146
Cap. VI. *De forma Sacram. Ordinis.* 152
Cap. VII. *De Miniſtro Sacramenti Ordinis.* 153
Cap. VIII. *De electione Miniſtrorum.* 157
Cap. IX. *De effectibus Sacramenti Ordinis.* 159
Cap. X. *Utrum Ordinationes facta ab Hæreticis, Schiſmaticis, Simoniacis, Intruſis, &c. ſint validæ.* ibid.
Cap. XI. *Utrum a quolibet Epiſcopo Catholico licite poſſit quivis ordinari.* 166
Cap. XII. *De ſubjecto Sacramenti Ordinis.* 170
Prima Conditio. *Sexus Maſculinus.* ibid.
Secunda Conditio. *Præſupponitur Baptiſmus.* ibid.
Tertia Conditio. *Ætas competens.* 171
Quarta Conditio. *Carentia impedimentorum.* ibid.
Quinta Conditio. *Scientia.* 172
Sexta Conditio. *Vitæ & morum probitas.* 174
Septima Conditio. *Servare interſtitia.* 176
Octava Conditio. *Ordinatio non fiat per ſaltum.* 177
Nona Conditio. *Titulus Clericalis.* 178
Decima Conditio. *Vocatio.* 180
Cap. XII. *Quot ſint Ordines.* 183
Cap. XIII. *De Tonſura.* 184
Cap. XIV. *De nomine & ſtatu Clericorum.* 186
Cap. XV. *De Oſtiariatu.* 187
Cap. XVI. *De Lectorum Ordine.* ibid.
Cap. XVII. *De Exorciſtarum Ordine.* ibid.
Cap. XVIII. *De Acolythorum Ordine.* 188
Cap. XIX. *De Subdiaconatu.* ibid.
Cap. XX. *De Diaconatu.* 189
Cap. XXI. *Utrum mere prophanum fuerit Miniſterium Diaconorum.* ibid.
Cap. XXII. *De Diaconiſſis.* 191
Cap. XXIII. *De Presbyteratu.* 192
Cap. XXIV. *De Epiſcopatu.* 193
Cap. XXV. *Utrum Epiſcopi ſint jure divino ſuperiores Presbyteris.* ibid.
Cap. XXVI. *De Chorepiſcopis.* 203

Appendix de Cœlibatu.

Nomine Cœlibatus intelligitur lex perpetua continentiæ. 205

Appendix de Cenſuris.

Caput I. *Quid ſit Cenſura.* 212
Cap. II. *Quotuplex ſit Cenſura.* 213
Cap. III. *Cujus ſit ferre Cenſuras.* 215
Cap. IV. *In quas perſonas poſſint ferri Cenſuræ.* 216
Cap. V. *De abſolutione a Cenſuris.* 217
Cap. VI. *De Excommunicatione.* 219
Cap. VII. *De Excommunicatione majori.* 220
Cap. VIII. *De Excommunicatione minori.* 225
Cap. IX. *De Monitoriis.* 226
Cap. X. *De ſuſpenſione.* 227
Cap. XI. *De interdicto.* 229
Cap. XII. *De depoſitione, degradatione, & ceſſatione a Divinis.* 231
Diſſertatio de Irregularitate. 232
De variis Irregularitatum ſpeciebus. 233
Defectus animæ. ibid.
Defectus corporis. 234
Defectus natalium. ibid.
Defectus ætatis. ibid.
Defectus libertatis. 235
Defectus bonæ famæ. ibid.
Defectus lenitatis. 236
Defectus ſacramenti. 237
Irregularitas ex homicidio. ibid.
Irregularitas ex Hæreſi. 239
Irregularitas ex iteratione Baptiſmi. ibid.

Irre-

Digitized by Google

Irregularitas ex mala Ordinis Sacri ſuſceptione & uſu indebito. ibid.
Quomodo tollatur Irregularitas. 240

TRACTATUS DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAP. I. *De nomine & definitione Matrimonii.* 242
CAP. II. *Quid ſit Matrimonium ut contractus naturalis.* ibid.
CAP. III. *An Matrimonium ſit licitum, & bonum.* 246
CAP. IV. *An Matrimonium ſit verum novæ legis Sacramentum.* 247
CAP. V. *De Miniſtro Matrimonii.* 250
CAP. VI. *De materia & forma Sacramenti Matrimonii.* 253
CAP. VII. *De effectibus Sacramenti Matrimonii.* 254
CAP. VIII. *De indiſſolubilitate Matrimonii.* ibid.
CAP. IX *An Matrimonium diſſolvatur per Adulterium.* 256
CAP. X. *An Matrimonium in infidelitate contractum diſſolvatur per Profeſſionem Religionis Chriſtianæ.* 260
CAP. XI. *Utrum per Monaſticam Profeſſionem Matrimonium diſſolvatur.* 261
CAP. XII. *De divortio quoad thorum & cohabitationem.* 265
CAP. XIII. *De ſecundis nuptiis.* 266
CAP. XIV. *De Polygamia.* 268
CAP. XV. *De impedimentis Matrim.* 271
Error. 272
Conditio. 273
Votum. 274
Cognatio. 275
Crimen. 277
Cultus diſparitas. ibid.
Vis. 280
Ordo. ibid.
Ligamen. ibid.
Honeſtas publica. 281
Amens. ibid.
Affinis. 282
Clandeſtinitas. 283
Impotentia. 288
Raptus. 290
CAP. XVI. *Cujus ſit poteſtatis ſtatuere impedimenta Matrimonii.* 292
CAP. XVII. *De diſpenſationibus circa impedimenta Matrimonii.* 298
CAP. XVIII. *De actu conjugali.* 299
CAP. XIX. *De ſponſalibus.* 301

APPENDICES AD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

APPENDIX PRIOR DE PURGATORIO.

CAP. I. *An ſit aliquod Purgatorium.* 304
CAP. II. *Aſſeritur Purgatorium ex traditione.* 308
CAP. III. *Solvuntur Objectiones.* 310
CAP. IV. *De qualitate pœnarum in Purgatorio.* 313
CAP. V. *De loco Purgatorii.* 314
CAP. VI. *Utrum animæ in Purgatorio certæ ſint de ſua ſalute.* ibid.

APPENDIX POSTERIOR DE INDULGENTIIS.

CAPUT I. *De nomine, & definitione Indulgentiæ.* 316
CAP. II. *Utrum ſit in Eccleſia legitima poteſtas concedendi Indulgentias.* 317
CAP. III. *Cujus ſit Indulgentias concedere.* 322
CAP. IV. *De virtute Indulgentiarum.* 325
CAP. V. *Utrum per Indulgentias remittantur pœnæ injunctæ ſimul & injungendæ.* ibid.
CAP. VI. *De Theſauro Eccleſiæ, ex quo ſumuntur Indulgentiæ.* 326
CAP. VII. *De ſubjecto Indulgentiarum.* 328
CAP. VIII. *De diſpoſitionibus ad conſequendas Indulgentias.* 330
CAP. IX. *De Indulgentiarum cauſis.* 333
CAP. X. *Quotuplex ſit Indulgentia.* 334

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

RERUM ET MATERIARUM LOCUPLETISSIMUS

ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS

OMNIUM QUÆ IN SACRAMENTORUM HABENTUR

TOMO PRIMO, ET SECUNDO.

I. *denotat Tomum primum*. II. *ſecundum demonſtrat*.

A

ABſolutio Sacramentalis eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ. I pag. 227
Conſiſtit in his verbis - *Ego te abſolvo &c.* I 228
Hæ voces a peccatis tuis licite omitti non poſſunt, ſed non videntur de neceſſitate Sacramenti, ſicut nec invocatio Trinitatis. I 229
Abſolutio quæ daretur in forma deprecatoria eſſet valida. I ibid.
Valet apud Græcos Catholicos in forma deprecatoria. I ibid.
Abſolutione Sacerdotis non modo declarantur remiſſa peccata, ſed & remittuntur. I 230
Soli fideles baptizati ſunt capaces recipiendæ abſolutionis. I 232
Mens Eccleſiæ fuit ut non denegaretur abſolutio Sacramentalis, ſeu ſani pœnitentiam egiſſent, ſeu in infirmitate illam poſtulaſſent. I 230
Aliquando eſt deneganda, & quibus deneganda. I 234
An deneganda moribundo qui defectu vocis, & rationis nullum contritionis ſignum præbet. I 236
An & quando dari poſſit ſub conditione. I 237
Abſolutio a cenſuris. (Vide Cenſura II) 217
Accidentia Panis, & Vini manent in Euchariſtia poſt conſecrationem. II 41
Cuinam ſubjecto inhereant. II 42
An ſit admittenda explicatio recentiorum Philoſophorum circa accidentia Euchariſtica. II ibid.
Quomodo ex his accidentibus generentur quandoque vermes. II ib.
Acolythatus quodnam ejus munus, & quomodo conferatur. II 188
Adulterium: in Lege Moſayca Adulterio ſolvebatur Matrimonium quoad vinculum. II 254
Non autem in lege Evangelica. II 255
Sed adulterio ſolvuntur tamen jura Matrimonij. II 265
Aerius nullum eſſe diſcrimen dixit inter Epiſcopos & Presbyteros, nedum quoad nomen ſed etiam auctoritatem ſaltem tempore Apoſtolorum. II 194
Ambroſius non docuit abſolutionem Pedum eſſe Sacramentum. I 16
Nec Apoſtolos baptizaſſe in ſolius Chriſti nomine. I 69
Amor Dei alius amicitiæ ſeu purus, alius concupiſcentiæ. I 168
Variæ Theologorum opiniones circa natu-

naturam amoris Dei, qui ad contritionem, ſeu attritionem pertineat. ibid.
Attritio ex ſolo timore pœnæ concepta &c. (Vide Attritio.)
Amor qui requiritur in attritione neceſſaria ad Sacramentum, eſt amor dominans, ſeu amor Dei ſuper omnia, & amor charitatis. I 181
Si dicatur Charitas, non erit niſi inchoata, quam ſtare poſſe cum peccato nihil repugnabit. I ibid.
Charitas hæc inchoata ſi dicatur ejuſdem ſpeciei cum perfecta, non eſt tamen ejuſdem virtutis. I 183
Ad veniam peccatorum in Sacramento obtinendam ſufficit amor æternæ beatitudinis. I ibid.
Anabaptiſtæ cur ſic dicti. I 87
Baptizatos in Infantia rebaptizant. I ibid.
Anaſtaſius Sinaita non jecit prima fundamenta doctrinæ præſentiæ realis corporis Chriſti in Euchariſtia. II 21
Aqua: Gnoſtici baptizabant cum aliqua aquæ & olei mixtione. I 59
Manichæi baptiſmum aquæ rejiciebant. I ibid.
Sola aqua naturalis eſt materia remota Baptiſmi, & hoc eſt de fide. I ibid.
Stephanus ſecundus non probavit Baptiſmum in vino collatum. I 60
Si aliquam mutationem accidentalem paſſa ſit aqua naturalis, adhuc eſt valida materia baptiſmi. I 61
Secus ſi non ſit ſubſtantialiter aqua Elementaris & naturalis. I ibid.
Immerſio una vel trina in aqua non eſt eſſentialis baptiſmo, ſed validus eſt vel per infuſionem, vel per aſperſionem collatus. I 64
Aqua eſt miſcenda vino in Calice non neceſſitate Sacramenti, aut præcepti divini, ſed Eccleſiæ. II 47
In qua quantitate infundi debeat in Calice. II 48
Utrum hæc convertatur in Sanguinem Chriſti. II ibid.
Utrum ſit de fide aquam converti in Sanguine. II ibid.
Utrum convertatur immediate, vel non. II ibid.
Attritio: non conveniunt Theologi in ea definienda. I 173
Ex Tridentino eſt dolor conceptus ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex motu gehennæ peccandi voluntatem excludens. I ibid.
Quid ſit timor Dei caſtus, & quid timor ſervilis. I 174
Lutherus timorem gehennæ de ſe vitioſum eſſe putavit. I ibid.
Sed contra ipſum oſtenditur de ſe & ex natura ſua bonum eſſe. I ibid.
Ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficit attritio ex ſolo timore pœnæ concepta ſine amore Dei. I 175
Oppoſitum ſenſerunt Melchior Canus, & Henricus Salmaticenſis. I ibid.
Qui tamen agnoſcunt in praxi tutius eſſe accedere ad Pœnitentiam, cum dolore orto ſimul ex metu pœnarum, & amore Dei. I 176
Cenſura Facultatis Pariſienſis de nonnullis propoſitionibus de pura ſervili attritione. I 178
Solvitur objectio ex Tridentino. I 180
Noluit concilium apponere Verbum *ſufficere*, ne Quæſtionem, quæ ad fidem non pertinebat definiret. I 181
Qualis ſit amor, qui requiritur in attritione neceſſaria ad Sacramentum. II 182
Au-

Auguſtinus exiſtimavit circumciſionem inſtitutam fuiſſe in remedium peccati Originalis. I 9
Non dubitavit circa validitatem, & licitudinem Baptiſmi collati a quocumque in caſu neceſſitatis. I 75
Quo ſenſu Euchariſtiam appellet ſignum Corporis Chriſti. II 26
Non dixit Euchariſtiam eſſe neceſſariam, & pro adultis, & pro infantibus ad habendam vitam æternam ut Baptiſmus. II 64
Loquitur namque utens argumento ad hominem contra Pelagianos, non propria mente. II 65

B

BAnna quot jure requirantur ad Matrimonium. II 286
Baptiſmi, Miniſter quinam fuerit primus Rebaptizantium auctor. I 42
Horum hiſtoria breviter narratur. I ibid.
Error Donatiſtarum ab illo Cypriani valde diſtans. I 43
Validus eſt baptiſmus ab hæreticis collatus modo ritum a Chriſto adhibuerint. I 45
Cyprianus & alii Epiſcopi Orientales ipſi conſentientes hoc in negotio revera errarunt. I ibid.
Miniſter Baptiſmi ſolemnis ex officio eſt Epiſcopus, & Presbyter, extraordinarius vero Diaconus. I 71
Si Sermo ſit de Baptiſmo non ſolemni quilibet in caſu neceſſitatis baptizare poteſt. I 73
Et quidem non ſolum valide, ſed etiam licite. I 75
Contrarium docuit Calvinus. I ibid.
Quænam praxis Eccleſiæ circa Miniſtrum baptiſmi extra neceſſitatis caſum. I ibid.
Nemo poteſt ſeipſum baptizare etiam in caſu neceſſitatis. I ibid.
Nec plures ſimul eumdem hominem. I 76
Baptiſmi inſtitutio & neceſſitas; Baptiſmus fuit inſtitutus ante Paſſionem. I ibid.
Tunc probabilius eſt inſtitutus cum miſit Chriſtus Apoſtolos ad baptizandum. I 77
Sed baptiſmi lex non obligavit, niſi quando ſufficienter fuit promulgata, & cognita. I ibid.
Quid neceſſitas medii, quid præcepti. I 78
Quinam baptiſmi neceſſitatem denegaverint. I ibid.
Baptiſmus eſt abſolute neceſſarius vel in ſe, vel in voto, adeoque nullo modo ſuppleri poteſt pro infantibus etiam Fidelium, & hoc eſt de fide. I ibid.
Quotuplex baptiſmus diſtinguatur. I 82
Suppleri poteſt baptiſmus per Martyrium. I ibid.
Suppletur quoque per veram cordis converſionem, & Sacramenti ſuſcipiendi votum, ſeu deſiderium. I 84
Explicantur Patres, & Canones Concilii Bracarenſis. I 86
Homini per Baptiſmi votum juſtificato remittuntur peccata tum quoad culpam eum quoad pœnam. I 87
Hieratitæ, Petrobuſiani, Anabaptiſtæ Baptiſmum Infantium denegarunt. I ibid.
Licet, atque expedit baptizare Infantes recens natos, iique per baptiſmum ſalutem conſequuntur, & hoc eſt de fide. I 88
Infantes in utero materno exiſtentes non ſunt baptiſmi capaces I 90
Filios hæreticos licet baptizare invitis parentibus, ſed juſſu Principis. I 92
Sicuti & filios Infidelium, qui ſub Principibus Chriſtianis juſtam patiuntur ſervitutem. I 91

De Baptismi nomine, materia, et forma.

Baptiſmi nomen quid ſignificet. 1 38
Ejus definitio traditur. 1 ibid.
Varii errores hæreticorum circa Baptiſmi materiam. 1 54
Sola aqua naturalis eſt materia remota Baptiſmi, & hoc de fide eſt. 1 ibid.
Immerſio una vel trina non eſſentialis baptiſmo, ſed validus eſt vel per infuſionem, vel per aſperſionem collatus. 1 62
Trina immerſio etſi primis Eccleſiæ ſæculis adhibita non eſt niſi numero traditionum Eccleſiaſticarum, vel ſi Apoſtolica de iis, quæ pertinent ad diſciplinam, non ad fidem. 1 64
Quo tempore deſierit conſuetudo baptizandi per immerſionem. 1 65
Cur Eccleſia hanc praxim mutavit. 1 ibid.
Non liceret autem uti immerſione inter baptizandum. 1 ibid.
Infuſio aquæ quantum fieri poteſt eſt facienda ſuper caput. 1 ibid.
Quænam baptiſmi forma apud Græcos & Latinos uſitata. 1 66
Quinam erraverint circa baptiſmi formam. 1 ibid.
In baptiſmo requiritur neceſſario, & eſſentialiter invocatio expreſſa trium Santiſſimæ Trinitatis perſonarum. 1 67
Apoſtoli nunquam baptizarunt in ſolius Chriſti nomine. 1 68
Explicantur loca Scripturæ id inſinuantia. 1 ibid.
Nec Cyprianus, nec Hilarius, nec Ambroſius docuerunt Apoſtolos baptizaſſe in ſolius Chriſti nomine. 1 69
Quid circa hoc ſenſerit Nicolaus I. in reſponſione ad conſulta Bulgarorum. 1 ibid.
Baptiſmum eſſe validum putavit S. Bernardus etſi non collatum ſub expreſſa invocatione SS. Trinitatis. 1 70

Baptismi effectus, dispositiones, et cæremoniæ.

Baptiſmus delet omnia peccata tam originalia, quam actualia. 1 93
Et quidem non ſolum quoad reatum culpæ, ſed etiam quoad reatum pœnæ futuræ. 1 94
Non tolluntur tamen pœnalitates hujus vitæ, & concupiſcentia. 1 ibid.
Confert gratiam habitualem, & permanentem. 1 95
An ſit de fide gratiam, quæ confert in Baptiſmo eſſe qualitatem, ſeu habitum ad ſenſum Scholæ. 1 96
Imprimit characterem. 1 97
Baptizandi ſunt ſaltem ſub conditione de quorum Baptiſmo moraliter dubitatur. 1 ibid.
Nulla ex parte Infantium requiritur diſpoſitio ad ſuſcipiendum Baptiſma. 98
In adultis quid vero requiratur. 1 99
Baptiſmus ſuſceptus ab homine male diſpoſito, ante depoſitam fictione producit characterem, non gratiam. 1 100
Depoſita autem fictione per Pœnitentiam Baptiſmus reviviſcit, & delet peccata præterita. 1 100
Baptiſmi cœremoniæ quot, & quales. 1 101
Efficientes ſunt Exorciſmus, & exufflatio. 1 ibid.
Unctio quoque verticalis. 1 102
Quod adhibeantur Patrini, & adminiſtretur cum aqua benedicta. 1 ibid.
Eccleſiæ praxis eſt, ut nonniſi pro gravi neceſſitate differantur cœremoniæ, dilatæ vero quamprimum ſuppleantur. 1 102

S. Ber-

Digitized by Google

S. Bernardus non docuit ablutionem pedum eſſe Sacramentum. I 16
Opinatus eſt Baptiſmum eſſe validum, etſi non collatum ſub expreſſa SS. Trinitaais invocatione. I 70
Bigamia quotuplex ſit. II 237

C

Cabilonenſe Concilium II. non dixit liberam eſſe, & problematicam Confeſſionem auricularem. I 193
Calviniſtæ cæremonias Eccleſiæ rejiciunt ut ſuperſtitioſas. I 54
Docent ſaltem filiis Fidelium neceſſarium non eſſe Baptiſma. I 78
Non aliam fuiſſe differentiam inter Baptiſmum Joannis, & Chriſti, quam quod diverſis manibus daretur. I 103
E numero Sacramentorum expungunt Pœnitentiam. I 154
Duce Calvino negant præſentiam realem Corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento. II 6
Volunt primis Eccleſiæ ſæculis Euchariſtiam miniſtratam Infantibus, quia eam credebant neceſſariam neceſſitate medij. II 62
Calvinus docuit præcedentiam Epiſcoporum ſupra Præsbyteros nonniſi humano conſenſu fuiſſe inductam. II 194
Caracter quid ſit: ejus exiſtentia in nonnullis Sacramentis eſt de Fide, & probatur. I 29
Non eſt denominatio extrinſeca, nec relatio, ſed aliquid reale in Anima. I ibid.
Imprimitur in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine. I ibid.
Catechumenorum ex antiqua Eccleſiæ diſciplina quot eſſent claſſes. I 99
Quænam diſpoſitiones in iis requirantur ad Baptiſmum habendum. I ibid.
Cauſa quotuplex ſit, & quid ſit Phyſica, & quid Moralis. I 26
Cenſura quid ſit. II 212
Alia a jure, alia ab homine dicitur. II 213
Quid ſit cenſura latæ ſententiæ, quid ſententiæ ferendæ. II ibid.
Quævis cenſura haberi debet ut nulla ex defectu Juriſdictionis. II 214
Defectu cauſæ legitimæ. II ibid.
Defectu formalitatum in Judicio ſervatarum. II ibid.
Eſt in Eccleſia poteſtas ferendi cenſuras. II 215
Ad quem in Eccleſia pertineat ferre Cenſuras. 216
In Gentiles & Judæos ferri non poſſunt, bene vero in hæreticos & Apoſtatas. II 216
Nec in pueros, mortuos, bruta, nec in æqualem, aut Superiorem. II 217
Advenæ & Peregrini quibus cenſuris ſubjiciantur. II ibid.
In foro Conſcientiæ ſolus Sacerdos poteſt abſolvere a cenſuris. II ibid.
In foro externo quis habeat poteſtatem. II 218
In Articulo Mortis quilibet Sacerdos abſolvere poteſt. II ibid.
Cenſura a jure lata a quibus tolli poſſit. II 219
Poteſt quis multis cenſuris alligatus abſolvi ab una, & non ab alia. II ibid.
Epiſcopus non poteſt abſolvere exiſtentem extra ſuam Diœceſim a Cenſuris ſibi reſervatis in foro contentioſo, bene vero de abſolutione per juriſdictionem voluntariam impertienda. II ibid.
Poteſt abſens abſolvi, & defunctus. II. (Vide Excommunicatio, Suſpenſio) ibid.
Ceſſatio a divinis propter quid decernatur. II 232
Chorepiſcopus quid ſecundum nominis Ethymon. II 203
Quando primum incæperint, & co-

eorum munera. II ibid.
Vi ſuæ ordinationis non erant Epiſcopi, ſed ſimplices Præsbyteri. II 204
An unus, vel plures fuerint in eadem Diœceſi. II ibid.
Chriſma non eſt Materia eſſentialis in Sacramento Confirmationis. I 124
Quod colligitur ex ſilentio Lucæ in Actis I. & ex aliis momentis. 126
Quid ſtatuerit Eugenius IV. circa Unctionem propriam. I. 128
Chriſmatio eſt diverſa in Confirmatione ab Unctione Verticali facta in Baptiſmo. I 129
Unctio Confirmationis eſt antiquiſſima, & proinde non omittenda. I 130
Debet eſſe Chriſma ab Epiſcopo benedictum. I 131
Quænam praxis Eccleſiæ circa confectionem Chriſmatis. I ibid.
Circa uſum differunt Græci a Latinis. I ibid.
Chriſtus determinavit in ſpecie Materiam omnium Sacramentorum. I 18
Quandonam inſtituerit Baptiſmum. I 76
Sacramentum Pœnitentiæ fuit a Chriſto Domino immediate inſtitutum. II 154
Eſt vere & realiter, & ſubſtantialiter in Euchariſtia. II 7
Probatur variis momentis contra Calviniſtas. II (vide Euchariſtia.) 8
Eſt præſens per veram tranſubſtantiationem. II (vide Tranſubſtantiatio) 34
Totus & integer continetur ſub qualibet ſpecie. II 40
Quid contineatur in Euchariſtia vi verborum, & quid per concomitantiam. II ibid.
Utrum totus Chriſtus ſub qualibet ſpecierum particula contineatur, etiam ante ſeparationem. II 41
Facta conſecratione Corpus & Sanguis Chriſti ſuam habent quantitatem. II ibid.
Quomodo id aliqualiter explicari queat. II — ibid.
Eſt in Euchariſtia non circumſcriptive ſed definitive. II 39
Chriſtus fecit Cœnam legalem pridie quam pateretur, & Luna XIV. exeunte. II 57
Inſtituit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie, ſed non præcepit omnibus ſumi ſub utraque ſpecie. II. (vide Comunio ſub utraque ſpecie) 69
Circumciſio non fuit inſtituta in remedium peccati Originalis, nec revera hoc delebat ex opere operato ſed virtute meritorum &c. I 6
Auguſtinus contrarium ſenſit, & cur. I 9
Clandeſtinitas, quid de illa XII. Prioribus Eccleſiæ ſæculis dicendum. II 283
Quomodo conſiderata a Græcis. II 284
Sæculo XIII. Clandeſtina Matrimonio dicta illicita, ſed non invalida. II 284
Sed ea deinceps invalida declaravit Concilium Tridentinum. II 284
Quid dicendum de Matrimoniis conſcientiæ. II 287
Clericus: Clerici majores publicæ Pœnitentiæ fuerunt ſubjecti tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis non item IV, & ſequentibus. I 221
Minores vero videntur fuiſſe ſubjectos uſque ad Septimum Sæculum. I 223
An poſſit Clericus a quolibet Epiſcopo indiſcriminatim ordinari. II 166
Quis ſit proprius Clericorum Epiſcopus. II 167
Quænam conditiones in iis requirantur ad ſuſcipiendos ordines. II 170
Quam pœnam incurrant Clerici ſuum decipientes Epiſcopum ſine titulo ad Ordinationem accedendo. II 180
Quid

Quid ſignificet nomen Clerici. II 186
Quinam Status Clericorum. II ibid.
Clerici licite poſſunt ſine periculo incurrendæ irregularitatis, & ſæpius tenentur parere Monitoriis in cauſis criminalibus. II 227
Clericorum Suſpenſio quid ſit. (vide ſuſpenſio) 231
Depoſitio Clericorum quid ſit. II 232
Quid degradatio eorumdem. II ibid.
Quandonam incurrant irregularitatem. II 245
An præcepto ſatisfaciat, qui indigne communicat. II 68
Quibuſnam debeat miniſtrari, & quibus non. II 78
Saluberrimus frequens communionis uſus. II 89
In quo autem poſita ſit in praxi frequens illa communio noluit Auguſtinus definire. II 90
Hinc habenda eſt ratio circumſtantiarum ex parte ſubjecti. II ibid.
Communio ſub utraque ſpecie fuit a Chriſto Domino inſtituta. II 68
Ab ipſis Apoſtolorum temporibus in uſu fuit in Eccleſia. II ibid.
Sæculo XII. hæc diſciplina mutata fuit. II 69
Huſſitæ & Novatores Eccleſiam damnant ob mutatam diſciplinam. II ibid.
Sed probatur contra ipſos non fuiſſe a Chriſto præceptam. &c. II ibid.
Cauſæ ſubſtractionis Calicis graves fuere ipſiſmet Laicis. II 73
Probabilior eſt ſententia eamdem conferri gratiam per ſumptionem unius ſpeciei, quam utriuſque. II ibid.
Communio domeſtica fiebat ſub ſpecie Panis tantum, ſicuti & illa Infirmorum, & Præſantificatorum, & illa infantium ſub ſola vini ſpecie. II 73
Communio Euchariſtiæ quandonam eſt facienda juſta Eccleſiæ præceptum. II 67
Utrum qui tempore Paſchatis non communicavit in propria Parochia teneatur id facere cum poterit. II ibid.
Cœlibatus fuit vel a primis Eccleſiæ temporibus a Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis obſervatus, ſed aliter in Eccleſia Græca, aliter in Latina tum vero citius in quibuſdam Eccleſiis, tardius in aliis. II 205
Sacris initiato non licuit in utraque Eccleſia uxorem ducere. II 207
Sed in Eccleſia Græca uſus uxorum ante ordinationem ductarum permiſſus. II ibid.
Nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis fuit præceptus. II ibid.
Nec a Patribus Concilii Nicæni Primi. II 208
Quid eo Canone prohibitum. II ibid.
Quando & a quo edita lex & promulgata Clericos ad perpetuam continentiam adſtringens. II 209
Hæc lex non eſt dicenda mala, miniſtris Eccleſiæ diſſentanea, & juri naturali ac divino contraria. II 209
Conditio in quonam conſiſtat impedimentum conditionis dirimens Matrimonium. II 273
Non habetur pro ſervis, expulſis, & ad Triremes damnatis. II ibid.
Confeſſarius interrogatus a Judice de re cognita in Confeſſione, poteſt ſine ullo metu mendacii affirmare ſe neſcire. I 203
Cognitione per Confeſſionem habita uti non poteſt Sacerdos ad exteriorem Eccleſiæ gubernationem. I ibid.
Quam pœnam incurrat Confeſſarius violans ſigillum. I 204
Confeſſio publica fuit olim uſitata in Eccleſia. I 204
Sed videtur fuiſſe eorum tantum ſcelerum occultorum quæ in ædifica-

Digitized by Google

ficationem Eccleſiæ vigebat. 1 ibid.
Invaluit in quibuſdam tantum locis. 1 205
Deſiit in Oriente poſt factum Nectarii, in Occidente tempore Leonis Magni. 1 205
Nulla lege divina, vel Eccleſiæ erat præcepta. 1 ibid.
Qui Pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur quid manifeſtabant. 1 ibid.
Peccata Venialia ſunt Materia ſufficiens non neceſſaria Confeſſionis. 1 205
Generales Confeſſiones fuere in Eccleſia uſitatæ. 1 ibid.
Nunquam licita fuit Confeſſio facta per Litteram & internuntium dum ore quis confiteri poſſit. 1 206
Nec licita abſolutio. 1 206
Explicantur nonnulla facta a Morino relata. 1 ibid.
Clemens VIII. de licito tantum loquitur, non de valido. 1 ibid.
Confeſſio cur dicatur Exhomologeſis. 1 184
Quid confeſſio auricularis. 1 ibid.
Montaniſtæ, Novatiani, Waldenſes non ſunt adnumerandi inter hoſtes Confeſſionis, ut voluit Bellarminus. 1 184
Wiclephus ſuperfluam docuit Confeſſionem factam Sacerdoti. 1 184
ucm ſecuti ſunt Lutherani, & Calviniſtæ. 1 185
Probatur inſtitutam a Chriſto, & conſecratam uſu Eccleſiæ. 1 ibid.
Solvitur objectio ex facto Nectarii Patriarchæ. 1 189
A Nectario quid fuerit abrogatum. 1 ibid.
Chriſoſtomus nunquam negavit neceſſitatem Confeſſionis auricularis. 1 ibid.
Quid exiſtimaſſent Patres Concilii II. Cabilonenſis. 1 193
Novum Dogma Confeſſionis Auricularis non invexit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio. III. 1 194
Hic enim tantum expreſſum fuit mandatum de annua Confeſſione facienda. 1 195
Nomine proprii Sacerdotis cui facienda annua Confeſſio intelligitur Parochus, ſalvo tamen jure Superiorum. 1 ibid.
Nonnullæ Conſtitutiones Pontificum huic Canoni derogantes in Gallia non receptæ. 1 197
Quibus pœnis ſubjiciantur qui præcepto non ſatisfaciunt. 1 198
Ex præcepto Eccleſiæ tenetur huic præcepto ſatisfacere, qui nonniſi peccato veniali obſtrictus eſt. 1 199
Præcepto annuæ Confeſſionis non ſatisfit per Confeſſionem ſacrilegam. 1 ibid.
Quodnam ad integritatem Confeſſionis requirat Tridentinum. 1 ibid.
Integritas Confeſſionis non debet neceſſario eſſe materialis, ſed ſatisfacit formalis. 1 200
Omnes circumſtantiæ, & eæ etiam quæ peccatum ſolummodo aggravant, ſunt in Confeſſione aperiendæ. 1 200
Criminum Socii declarandi tantum ſunt in Confeſſione urgente gravi neceſſitate. 1 201
Tenetur Pœnitens manifeſtare peccata oblita in præcedenti. 1 ibid.
Aperienda ſunt peccata dubia. 1 ibid.
In quonam conſiſtat ſigillum Confeſſionis. 1 ibid.
Eſt præceptum jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico. 1 202
Ex Pœnitentia publica antiquitus uſitata non ſequitur reſeratum fuiſſe ſigillum Confeſſionis. 1 202
Lege ſigilli tenetur Confeſſarius etiam denegata abſolutione. 1. 203
Con-

Confirmatio quid ſit, ejus definitio traditur. 1 108
- Novatiani Waldenſes, & Novatores expungunt Confirmationem è numero Sacramentorum. 1 107
- Eſſe Sacramentum novæ legis proprie dictum probatur. 1 108
- Cur Patres ſæpius manuum impoſitionem, quæ det Spiritum S. commemorent, cum de Baptiſmo differunt. 1 114
- Oſtenditur confirmationem non eſſe ſimplicem Baptiſmi cæremoniam. 1 115
- Scholaſticorum diſputationes circa materiam formam, & Miniſtrum confirmationis non præjudicant dogmati, quod ſit verum Sacramentum. 1 ibid.
- Hæretici ab hæreſi venientes non recipiebantur per confirmationem. 1 117
- Multa tamen fuere communia ~~Sacramento Confirmationis~~, & ritui, quo recipiebantur hæretici. 1 119
- Variæ Theologorum ſententiæ circa materiam confirmationis. 1 120
- Quænam ſit materia hujus Sacramenti non fuit ab Eccleſia definitum. 1 121
- Impoſitio manuum eſt materia eſſentialis. 1 ibid.
- Probatur ex Scriptura, & ex Traditione. 1 122
- Explicatur decretum Eugenij IV. circa hanc materiam. 1. 123
- Oſtenditur Græcos etiam veteres manuum impoſitione uſos fuiſſe. 1 ibid.
- Quid ſit, & quando fiat illa impoſitio Manuum. 1 ibid.
- Explicatur Canon Arauſicani Concilii circa unctionem. 1 129
- Falſa Sirmondi opinio circa unctionem oſtenditur. 1 ibid.
- Unctio in confirmatione eſt antiquiſſima, & ideo nunquam omittenda in adminiſtratione hujus Sacramenti. 1 130
- Variæ Theologorum ſententiæ circa formam hujus Sacramenti. 1 131
- Forma eſſentialis conſiſtit in Oratione ſola Epiſcopi, verba tamen illa *ſigno te ſigno Crucis* &c. ſunt forma integrans. 1 132
- Quænam ſit forma integra apud latinos uſitata. 1 133
- Quænam apud Græcos. 1 134
- Eugenius in ſuo decreto commemoravit ſolam formam integralem, non eſſentialem. 1 ibid.
- Decretum Eugenii non eſt Concilii Florentini. 1 ibid.

Confirmationis Miniſter. Photius primus fuit qui ſimplicibus Presbyteris, uti & Epiſcopis parem dedit confirmandi poteſtatem. 1 ibid.
- Quem ſecuti ſunt Waldenſes & Novatores. 1 135
- Soli Epiſcopi ſunt Miniſtri ordinarii Confirmationis, & hoc eſt de Fide. 1 ibid.
- Conſuetudo introducta a Photio quod ſimplices Presbyteri chriſmarent fuit ſemper improbata. 1 137
- Quin ſimplex Sacerdos nec eſt Miniſter extraordinarius Confirmationis. 1 138
- Hæc Quæſtio non pertinet ad fidem. 1 ibid.
- Quam unctionem permiſit Gregorius Magnus Presbyteris Calaritanis non fuit confirmatoria. 1 139
- Aut falſo data Presbyteris privilegia Chriſmandi, aut id factum contra Canones. 1 140

Per Confirmationem confertur gratiæ augmentum. 1 141
- Gratia Sacramentalis. 1 142
- Confertur character. 1 143
- Qui tamen non ſupponit characterem Baptiſmi. 1 ibid.
- Subjectum capax recipiendæ Confirmationis eſt omnis fidelis Baptizatus. 1 ibid.

Prioribus Eccleſiæ ſæculis Infantibus conferebatur cum Baptiſmo. I ibid.
Sed nunc mutata diſciplina ætas provectior expectatur. I ibid.
Quæ abſolute loquendo ab Epiſcopi pendet voluntate. I ibid.
In Infantibus ſolus Baptiſmus ut conditio requiritur. I 144
In adultis præter Baptiſmum intentio ad validitatem. I ibid.
Et ſtatus gratiæ ad licite ſuſcipiendum. I ibid.
Et ex antiqua Eccleſiæ diſciplina jejunium in ſuſcipiente. I ibid.
Non eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. I ibid.
Sed ejus ſuſceptio vel in re, vel in voto neceſſaria neceſſitate Præcepti. I 145
De Eccleſiæ præcepto nullus dubitat, ſed nonnulli de divino. I ibid.
Qui conciliantur dicendo eſſe præceptum jure divino implicite. I ibid.
Hinc illicitum eſt fidelibus contemnere ejus ſuſceptionem. I ibid.
Quod contingeret cum data opportunitate noicns ſuſciperet. I ibid.
Variæ cæremoniæ recenſentur ad ſolemnem celebrationem Confirmationis. I 146
Conjugalis actus an, & quando debitus. II 299
Conſanguinitas quotuplex, & uſque ad quem gradum ſit impedimentum dirimens. II 276
Conſecratio-Variæ Theologorum ſententiæ circa cauſam efficientem conſecrationis. II 50
Quid circa hanc ſentiant Græci Schiſmatici. II ibid.
Per quæ verba fiat conſecratio Panis & Vini. II 51
Explicantur Græcorum Liturgiæ quæ precibus videntur tribuere conſecrationem. II. 54
Non eſt tamen de fide Chriſtum conſecraſſe, & a Sacerdotibus conſecrationem fieri per illa verba. II 55
Quænam præciſe Verba ſint neceſſaria ad operandam conſecrationem. II 56
Conſubſtantiatio quinam in Euchariſtia illam admiſerint & computantur. II 33
Contritio quomodo definiatur. I 162
Ad peccati remiſſionem conſequendam requiritur vera contritio, nec ſufficit falſa, modo putetur vera. I 163
Debet eſſe ſupernaturalis. I ibid.
Eſt neceſſaria ad peccatorum remiſſionem. I 164
Homo lapſus in grave peccatum dici nequit differre actum contritionis ſine nova culpa. II 165
Quo præciſe tempore teneatur eam non differre diſſident Theologi. I 165
Moraliter loquendo tenetur Deo reconciliari, ac poteſt. I ibid.
Sufficit quandoque contritio generalis, ſed juxta legem ordinariam requiritur explicita. I ibid.
Quandoque ad peccata lethalia delenda ſufficit virtualis. I 166
Nonnulla etiam requiritur contritio ad remiſſionem venialium. I ibid.
Recte dicitur cauſa remiſſionis peccatorum. I *ibid.*
Recte quoque Pœnitentes per eam mereri de congruo remiſſionem peccatorum. I ibid.
Neutiquam requiritur ut contritio ſumma ſit intenſive, ſed ſatis eſt ut ſumma ſit appretiative. I 167
Variæ Theologorum ſententiæ de differentia contritionis, & attritionis. I 168
Quæ proveniunt ex ambiguitate vocum contritionis, & charitatis. I ibid.
Idea contritionis exhibita a Tridentino quæ ſit. I ibid.
Hæc autem contritio quæ perfecta dicitur non requiritur ad Sacramen-

mentum Pœnitentiæ, ut diſpoſitio abſolutioni prævia. I 176
Hæc opinio non eſt omnium Theologorum. I 169
Quorum tamen opinio etiamnum defendi poteſt abſque ulla hæreſeos, aut temeritatis nota? I 172
Crimen quodnam ſit impedimentum dirimens Matrimonium, & quo jure. II 277
Criſoſtomus neceſſitatem Confeſſionis auricularis non negavit. I 191

D

DEfectus: quinam inducant irregularitatem. II 233
Degradatio quid addat ſupra depoſitionem. II 232
Delictum: ob quænam delicta incurrat quis irregularitatem. II 237
Depoſitio quid ſit, quomodo definiatur, & in quem cadat. II 231
Diaconi non fuere inſtituti Miniſtri Ordinarii Baptiſmi ſolemnis, bene vero ſunt extraordinarii & delegati. I 72
An abſolvere poſſint morientes in abſentia Sacerdotis. I 238
Antiquitus Euchariſtiam diſpenſabant ut Miniſtri Extraordinarii ex licentia Epiſcopi, vel Presbyteri. II 77
Diaconatus eſt veri nominis Sacramentum. I 139. 141
Ejus nomen indicat Miniſterium. I 189
Non mere prophanum, ſed ſacrum fuit Miniſterium ſeptem Diaconorum, qui ab Apoſtolis ordinati leguntur. I ibid.
Tutior videtur ſententia eorum, qui dicunt in Manuum impoſitione ſitam eſſe materiam eſſentialem Diaconatus, formam vero in Oratione. I ibid.
An Pontifex poſſit dare Poteſtatem ſimplici Sacerdoti ordinandi Diaconos. I 154
An Innocentius VIII. illam dederit Abbatibus Ciſtercienſibus. I 155
Diaconiſſa quibus tribueretur hoc nomen. I 191
Horum inſtitutio eſt antiquiſſima. I ibid.
Quænam fuerint Diaconiſſarum officia. I ibid.
An habuerint verum Ordinem. I ibid.
An illis imponerent manus Epiſcopi. I ibid.
Diſparitas cultus, quandonam ſit Impedimentum dirimens Matrimonium. II 277
Et quo jure. II ibid.
Matrimonia Chriſtianorum cum hæreticis ſunt valida, ſed illicita. II 278
Divortium quoad thorum, & quoad cohabitationem quomodo differant. II 265
Jus divortii æqualiter ad utrumque Conjugem pertinet. II ibid.
Fit non modo in caſu fornicationis, ſed & propter alias cauſas. II ibid.
Utrum vir poſſit non modo licite, ſed etiam teneatur uxorem adulteram dimittere. II 266
Donatiſtæ rebaptizabant quoſcumque ad eorum ſectam veniebant. I 43
Dicebant a peccatoribus publicis validum non conferri Baptiſma. I 46

E

ELectio Miniſtrorum: Novatores volunt poteſtatem eligendi deſtituendique Miniſtros Eccleſiæ jure divino reſidere in plebe, & in ſingulis Fidelibus, ut ſine tali Electione irrita ſit ordinatio Miniſtrorum. II 175
Sed probatur neceſſario non reſidere in plebe & Laicis. II ibid.
Nihil circa modum eligendi Miniſtros fuit præſcriptum a Chriſto & ab Apoſtolis. II ibid.
Epiſcopus: Jus baptizandi ſolemni ritu

Epiſcopis principaliter datum, deinde Sacerdotibus, ſed nonniſi auctoritate Epiſcoporum. I 71
Initio Eccleſiæ ſoli Epiſcopi baptizabant. I ibid.
Soli Epiſcopi ſunt Miniſtri Ordinarii Confirmationis. II 138
Epiſcopi & Sacerdotes non ſunt Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ. II 237
Sacerdos ut ſit Miniſter legitimus Confeſſionis debet habere juriſdictionem, & approbationem ab Epiſcopo. II 242
Epiſcopus poteſt reſervare caſus reſpectu inferiorum Sacerdotum ſuæ Diœceſis. II 243
Solus Epiſcopus jure divino poteſtatem habet conferendi Sacramentum Ordinis, ut nullus poſſit eſſe ejuſdem Miniſter vel extraordinarius. II 154
Ordinatio eſt facienda a proprio Epiſcopo. II 166
Sine Epiſcopi licentia Euchariſtia publice non debet exponi. II 95
Quiſnam ſit proprius Epiſcopus reſpectu Clericorum & Regularium. II 167
Non licet Epiſcopo aliquem e ſuis Diœceſanis ordinare in aliena Diœceſi ſine licentia Epiſcopi illius loci. II 168
Utrum Epiſcopus Diocæſanus cogi poſſit ad conferendos Ordines. II ibid.
Epiſcopatus eſt Sacramentum proprie dictum natura & charactere diſtinctum a Presbyteratu. II 144
Non eſt nova extenſio Caracteris Presbyteralis. II 145
Confertur per Manuum Impoſitionem tanquam Materiam eſſentialem. II 146
Quid ſentiendum de Ordinationibus factis ab Epiſcopis Schiſmaticis. II 160
Quid ſignificet Epiſcopus ſecundum Ethymologiam. II 193
Quomodo definiatur Epiſcopatus. II ibid.
Cur Aerius nullam admittebat diſtinctionem inter Epiſcopum & Presbyterum. II ibid.
Idem docuit Calvinus. II 194
Sed probatur in Eccleſia agnitam fuiſſe ſemper diſtinctionem. II ibid.
An nomina Epiſcopi & Presbyteri fuerint communia primis Eccleſiæ Sæculis. II 199
Quid ſenſerit Hieronymus de diſcrimine inter Epiſcopum & Presbyterum. II 201
Chor-Epiſcopi vi ſuæ ordinationis non erant Epiſcopi. II 204
Nulla eſſet Cenſura quam extra ſuam Diœceſim ferret Epiſcopus. II 214
Valida eſt lata in Religioſos delinquentes extra Monaſterium. II 217
Concilium Tridentinum permittit Epiſcopis abſolvere a caſibus & cenſuris, reſervatis Sedi Apoſtolicæ, & quando. II 219
A quibuſnam irregularitatibus poſſint diſpenſare Epiſcopi. II 240
Soli Epiſcopi poteſtatem habent conferendi Indulgentias. II 322
Error: Quinam error ſit impedimentum dirimens Matrimonium. II 272
Quid facto eſt quando Matrimonium cum tali errore perſonæ fuit contractum. II 273
Euchariſtia: Varia ejus nomina. II 3
Quid ſit Euchariſtia in facto eſſe. II ibid.
Eſt Sacramentum novæ legis. II 4
Quid in Euchariſtia habeat preciſe rationem Sacramenti. II 4
Conſiſtit in re permanenti. II ibid.
Primus qui præſentiam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia impu-

pugnavit, fuit Berengarius Andegavenſis. II 5
Quem ſecuti ſunt Petrobuſiani, Novatores, & Calviniſtæ. II 6
Corpus Chriſti eſt vere, realiter, & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia. II 7
Solvuntur Calvini Objectiones. II ibid.
Probatur ex Verbis inſtitutionis Euchariſtiæ. II 10
Probatur ex SS. Patribus eadem doctrina. II 14
Eſt purum figmentum Calviniſticum Paſchaſium nono Sæculo fuiſſe Novatorem, & fidem de præſentia reali fuiſſe immutatam. II 17
Impoſſibile eſt in Eccleſia factam fuiſſe mutationem dogmatis nemine contradicente. II 20
Aperitur Dogma præſentiæ realis rationibus Theologicis. II 22
Solvuntur objectiones ex Patribus deductæ. II 23
Quo ſenſu Patres dixerint Euchariſtiam Typum Corporis Chriſti. II 23
Defenditur Tertullianus. II 24
Auguſtinus pariter & Theodoretus. II 26
In Euchariſtia eſt Corpus Chriſti realiter præſens per veram tranſubſtantiationem. II (vide Tranſubſtantiatio) 34

EUCHARISTIÆ MATERIA, FORMA, ET INSTITUTIO.

Varii Hæreticorum errores circa Materiam Euchariſtiæ. II 43
Panis & Vinum ſunt Materia idonea & Eſſentialis Euchariſtiæ. II. ibid.
Quænam fuerit Eccleſiæ praxis circa Panem vel Azimum, vel Fermentatum. II 44
Uterque tamen Panis eſt Materia idonea, & legitima hujus Sacramenti. II ibid.
Quantitas Materiæ conſecrandæ non eſt determinata, ſed neque ingentem, neque inſenſibilem poſſunt Sacerdotes conſecrare. II ib.
Panis conſecrandus debet eſſe moraliter præſens. II 45
Ex parte Sacerdotis requiritur intentio conſecrandi hanc vel illam hoſtiam, hunc, vel illum numerum hoſtiarum. II ibid.
Non una & eadem ſemper fuit Panis conſecrandi præparatio. II ibid.
Aqua eſt vino miſcenda neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. II 46
Græci Schiſmatici vim conſecrandi tribuunt precibus. II 50
Catherinus, Durandus & Le Brun contendunt formam conſecrandi poſitam eſſe in Chriſti verbis ſimul & in precibus. II 51
Odo Cameracenſis vult Chriſtum conſecraſſe per benedictionem. II 50
Per quæ verba fiat conſecratio Panis & Vini. II ibid.
Oſtenditur etiam id Liturgiis Græcorum. II 52
Quæ minime nobis adverſantur. II 54
Non eſt tamen de fide Chriſtum conſecraſſe, & a Sacerdotibus conſecrationem fieri debere per illa verba &c. II ibid.
Quænam præciſe verba ſint neceſſaria ad conſecrationem. II 55
Quandonam Euchariſtia ſit inſtituta. II 57

EUCHARISTIÆ NECESSITAS.

Duplex neceſſitas in ordine ad ſalutem æternam. II 63
Actualis Euchariſtiæ perceptio non eſt neceſſaria neceſſitate medii. II 63

Pro-

Probatur id ex conſtanti Eccleſiæ doctrina. II ibid.
Solvitur objectio deſumpta ex illo Jo: *Niſi manducaveritis* &c. II 64
Auguſtinus dum docet Euchariſtiam neceſſariam utitur Argumento ad hominem contra Pelagianos, non ex propria mente. II 65
Nec in Voto eſt neceſſaria neceſſitate Medii. II 67
Bene vero neceſſitate præcepti tum divini tum Eccleſiaſtici. II ib.
Quandonam communicandum ſit juxta præceptum Eccleſiæ. II ibid.
Præceptum Paſchale non adimplet, qui indigne communicat. II 68
Communio ſub utraque ſpecie non eſt de neceſſitate Sacramenti, nec a Chriſto omnibus præcepta. II 69

EUCHARISTIÆ MINISTER & SUBJECTUM.

Quinam dederunt Mulieribus facultatem conficiendi Euchariſtiam. II 74
Waldenſes tribuunt cuilibet Laico ſi ſit probus. II. ibid.
Solis Sacerdotibus competit poteſtas valide conficiendi Euchariſtiam. II ibid.
Explicatur locus Tertulliani. II 75
Nunquam diaconi fuere Miniſtri Ordinarii Euchariſtiæ. II 77
Sed antiquitus fuere extraordinarii ex licentia Epiſcopi. II ibid.
Aliquando data eſt Laicis poteſtas Euchariſtiam diſtribuendi. II 78
Juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam licet cuilibet Sacerdoti miniſtrare. II ibid.
Utrum miniſtranda ſit Infantibus. II ibid.
Utrum amentibus, mutis, ac ſurdis diſpenſanda. II 79
Energumenis olim non data niſi in tempore Mortis. II 80
Mortuis nequaquam adminiſtranda. II ibid.
Sicuti nec peccatoribus publicis tam evidentia facti, quam juris. II ibid.
Bene vero peccatoribus occultis. II ibid.
Quoad reos ſupplicio afficiendos diverſa fuit in Gallia & in Hiſpania, praxis, ab ea quæ viget in Italia, & in Germania. II 80
Quænam diſpoſitiones requirantur ex parte Animæ ad recipiendam. II 81
Quænam ex parte Corporis. II 82
Quænam Circumſtantiæ ſpectandæ in ſubjecto pro ei permittenda frequenti Communione. II 90

EUCHARISTIÆ EFFECTUS.

Euchariſtiam digne recipientibus communicat vitam ſpiritualem. II 84
Eſt antidotum quo liberamur a venialibus. II ibid.
Præſervamur a Mortalibus. II 85
Eſt pignus vitæ æternæ. II ibid.
Euchariſtia tamen per ſe non remittit peccata mortalia, & proinde indigne accipit peccati mortalis reus, & eſt de fide. II ib.
Nequidem indirecte remittuntur peccata mortalia. II 87
Licet remittantur ex opere operantis. II 88
An peccata venialia impediant effectus Euchariſtiæ. II ibid.
Quam gratiam producat. II. ibid.
Utrum per Euchariſtiam ut Sacramentum eſt remittatur pœna temporalis peccatis debita. II ibid.
Euchariſtia producit gratiam eo ipſo inſtanti, quo vere ex ore ſumentis in ſtomacum tranſit. II 89

Eu-

Eucharistiæ honores debiti.

Adorationem Euchariſtiæ negant Sacramentarii. II 91
Nec non e Lutheranis nonnulli. II ibid.
Adoranda tamen eſt & merito adoratur. II ibid.
Pius & laudabilis uſus reſervandi hoſtiam conſecratam peracto Sacrificio. II 93
Varii recenſentur fines ob quos antiquitus ſervabantur hoſtiæ. II ibid.
Pia eſt conſuetudo cum pompa circumferendi Euchariſtiam in Proceſſionibus. II 95
Feſtivitas Corporis Chriſti inſtituta ab Urbano IV. non obtinuit in tota Eccleſia niſi poſt Concilium Generale Viennenſe. II ibid.
Non eſt deportanda Euchariſtia ad extinguendum incendium ne ſine manifeſto abuſu fieri poteſt, & ſine Epiſcopi conſenſu. II 96
Euchariſtia ut Sacrificium. (vide Miſſa)

Excommunicatio: quid ſecundum Æthimologiam, & definitur. II 219
Quotuplex ſit, & quid excommunicatio major. II 220
Dicitur etiam Anathema. II ibid.
Quinam excommunicati vitandi. II 222
Quinam excommunicationia majoris effectus. II 220
Quo jure ſint vitandi excommunicati. II 222
In quibus non liceat communicare cum Excomunicatis. II ibid.
Quodnam committatur peccatum ab eo qui cum excommunicato comunicavit. 223
Quam ob cauſam fieri debeat excommunicatio major. II ibid.
Quænam ſiat formalitates requiſitæ, ut rite & valide feratur Excomunicatio a Judice Eccleſiaſtico. II 224
Excomunicatio minor quomodo definiatur. II 225
Ea excomunicatus non privatur adminiſtratione Sacramentorum, licet ea admiuiſtrando peccet. II 225
Quid antiquitus importaret excomunicatio. II 226

Exorciſtatus quodnam ejus officium olim in Eccleſia. II 187
Quomodo definiatur, & per quid conferatur. II 187

Extrema Unctio quomodo definiatur. II 120
Novatores negant eam eſſe Sacramentum proprie dictum novæ Legis. II 121
Dallæi objectiones ſolvuntur. II ibid.
Materia remota hujus Sacramenti eſt Oleum Olivarum. II 124
Non videtur benedictio, ſeu conſecratio Olei de neceſſitate Sacramenti, II ibid.
Cum Oleum conſecratum deficit Oleo quod ſupereſt aliud eſt admiſcendum non conſecratum. II 125
Materia proxima eſt Unctio quæ apud Latinos fit in Organis quinque ſenſuum. II ibid.
Plures autem adhibendæ ſunt unctiones ſed non neceſſitate Sacramenti. II ibid.
Quænam ſit hujus forma. II ibid.
Deprecatoria ſolum eſt adhibenda, non indicativa. II ibid.
Quænam præciſe Verba ſint eſſentialia. II 126
Soli Sacerdotes ſunt hujus Sacramenti Miniſtri. II 126
Præter poteſtatem Ordinis requiritur in Sacerdote poteſtas juriſdictionis. II 127
Eaque vel Ordinaria, vel delegata. II ibid.

Plu-

Plures olim adhibiti Sacerdotes tam in Eccleſia Græca, quam in Latina, ſed unus ſufficit. II 127
Apud Græcos confertur omnibus ſanis, & bene valentibus. II 128
Sed in Latina non datur niſi infirmis. II ibid.
Quibuſnam Infirmis conferenda. II ibid.
Solis Peccatoribus danda, & proinde non pueris. II 129
Ad ſanitatem corporis procurandam eſt inſtituta, eamque quandoque procurat. II ibid.
Alleviatio animæ eſt illius effectus. II 130
Remittit peccata non ſolum venialia, ſed etiam mortalia, ea nempe poſt confeſſionem patrata, quæ non poſſet homo confiteri, vel ignoraret eſſe gravia. II 131
Iterari poteſt, ſed in praxi in eodem morbo ſemel tantum datur. II 132
Non eſt neceſſaria neceſſitate medii ſed præcepti tum Divini, cum Eccleſiaſtici. II ibid.
Olim ante Viaticum conferebatur Infirmis, nunc poſt. II 133
Sacerdotes circa hoc tenentur obſervare quod in ritualibus ſuæ diœceſis præſcriptum eſt. II ibid.

F

Fides in mediatorem venturum aliquo ſigno ſenſibili manifeſtata, fuit remedium pro peccato originali. I 5
Non requiritur in Miniſtro Sacramentorum. I 44
Nec in ſuſcipiente ad validam receptionem. I 53
Bene vero ad licitam. I ibid.
Formæ Sacramentorum fuere a Chriſto immediate inſtitutæ in ſpecie. II (Vide Sacramentum.) I 19

H

Hæretici: validus eſt Baptiſmus ab ipſis collatus, modo ritum ab Eccleſiam præſcriptum adhibuerint. I 45
Nequeunt eſſe Patrini in Baptiſmo. I 102
Ab hæreſi venientes non recipiebant per Sacramentum Confirmationis. I 117
Variæ circa hoc eruditorum opiniones. I 116
Prioribus ſæculis hæretici redeuntes ad Eccleſiam pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur. I 223
Ordinationes ab ipſis factæ cenſeri debent validæ. II 160
Quinam hæretici vitandi. (Vide Excomunicatio.)
Horum Matrimonia cum Catholicis non ſunt invalida. I 377
Hieronymus an exiſtimaverit nullum antiquitus fuiſſe diſcrimen inter Epiſcopos & Prebyteros. II 201

I

Impanatio: hanc in Euchariſtia non admiſerunt, qui poſt Paſchaſium præſentiam realem agnoverunt. II 33
Bene vero quidam *Berengarii* diſcipuli, & alii. II ibid.
Et Lutherus & Lutherani, etſi non conſentiant inter ſe. II ibid.
Qui omnes confutantur. II 35
Impoſitio manuum quæ fit in Confirmatione, eſt diverſa ab ea, qua recipiebantur hæretici ab hæreſi redeuntes. I 117
Eſſe materiam eſſentialem confirmationis ex Scriptura evincitur. I 121
Idem probatur Patrum traditione. I 122
Ea uſi ſunt veteres Græci, & etiam nunc utuntur. I 123
De

De qua verbum faciat S. Cyprianus a Diaconis collata. I 238
Sola eſt materia eſſentialis Sacramenti Ordinis. II 146
An Diaconiſſis imponerent manus Epiſcopi. II 191
Materia eſſentialis Presbyteratus eſt manuum impoſitio, non porrectio Inſtrumentorum. II 192
Impotentia quænam ſit impedimentum dirimens Matrimonium. II 288
Et quo jure dirimat. II 289
Quid ſentiendum de impotentia per maleficium dæmonis inducta. II ibid.
Quid de Matrimoniis in ſenectute contractis. II 290
Indulgentia quid ſignificet, & quomodo definiatur. II 316
Eſt legitima in Eccleſia poteſtas concedendi Indulgentias. II 318
Soli Epiſcopi hanc poteſtatem habent. II 322
Utrum Epiſcopi poſſint æque ac ſummus Pontifex plenarias concedere. II 324
An poſſit Papa & Epiſcopi ſibimetipſis concedere. II ibid.
Remittunt pœnam etiam injungendam. II 326
Eccleſiæ Theſaurus ex quo ſumuntur conſtat potiſſimum ex meritis Chriſti. II ibid.
Nec non ex meritis Sanctorum. II 327
Quomodo Sanctorum merita concurrant ad Indulgentias. II ibid.
Merito conceduntur pro mortuis, & illis proſunt per modum ſuffragii. II 328
Non omnibus defunctis æqualiter proſunt. II 329
Quænam diſpoſitiones requirantur ad conſequendas Indulgentias. II 330
Sine legitimis cauſis dari non debent. II 333
Quotuplex ſit Indulgentia. II 334
Quid ſignificent in particularibus Indulgentiis dies & anni, computari ſoliti. II 334
Infamia juris quid ſit, & quid Infamia facti. II 235
Infans: olim Infantes communicabantur poſt Baptiſmum ſuſceptum. II 63
Sed nunquam fuit credita iis neceſſaria ad ſalutem. II ibid.
Et quidem communicabantur ſub ſola ſpecie Vini. II 70
Mos iſte viguit ſemper apud Græcos, & etiam viget. II 78
Olim obſervabatur etiam in Eccleſia Latina. II ibid.
In qua tamen ſæculo XII. mutata fuit diſciplina. II 79
Quæ mutatio immerito vertitur errori Eccleſiæ ab Hæreticis, & Schiſmaticis. II ibid.
Intentio requiritur in Miniſtro Sacramentorum faciendi quod facit Eccleſia ad validitatem eorumdem. I 33
Quid ſit intentio interior & exterior. I 35
Ad validitatem ſufficit in Miniſtro interior. I 36
Neque hæc opinio eſt recens in Sholis introducta. I 37
Aut contraria definitionibus Tridentini. I 38
Habitualis intentio non ſufficit in Miniſterio Sacramentorum. I 41
Actualis non requiritur abſolute. I ibid.
Sufficit virtualis. I ibid.
Requiritur in Adultis, ut valide recipiant Sacramenta. I 51
In ſuſcipiente ſufficit intentio exterior ad validitatem Sacramenti, adeo ut nihil obſtet, aut perverſitas, aut retentio intentionis. I 52
Intentio neceſſaria ad valide ſuſcipienda Sacramenta qualis requiratur. I ibid.
Interdictum quomodo definiatur. II 229
Quinam ejus effectus. II. ibid.

Quibus Sacramentis privet. II ibid.
Quotuplex ſit, & quænam regulæ tenendæ circa illud. II 230
Irregularitas quomodo definiatur. II 232
An reddat perſonam inhabilem ad beneficium recipiendum. II 233
Quandonam incurratur. II ibid.
Quot ſint, & quænam irregularitates provenientes ex aliquo defectu. II 234
Quænam ex delicto. II 237
Quomodo tollatur. II 240
A quibuſnam irregularitatibus poſſint Epiſcopi diſpenſare. II ibid.
Jubilæum. Quid ſit Jubilæum, & quando inſtitutum. II 334

L

LEctor: quodnam eſſet ejus officium olim in Eccleſia. II 187
Quomodo definiatur. II ibid.
Per quid conferatur. II ibid.
Lex vetus, an ipſa extiterint Sacramenta, & quænam fuerit eorum virtus. II 9
Lex Naturæ: an quædam extiterint Sacramenta in ſtatu Legis naturæ. II 4
Legi naturæ contraria non eſt lex continentiæ. II 15
Adnexæ ordinibus ab Eccleſia. II 209
An lege naturæ Matrimonium ſit indiſſolubile. II (Vide Matrimonium.)
An Polygamia lege naturæ prohibita. II (Vide Polygamia)
Quænam impedimenta lege naturæ dirimant Matrimonium. II (Vide Impedim. Matrimonium.)
Lex continentiæ. (Vide Cœlibatus.)
Lotio Pedum non eſt verum, & proprie dictum Sacramentum novæ Legis. I 15
Liber de ablutione Pedum non eſt S. Cypriani, ſed recentioris Auctoris. I 16
Nec Ambroſius, nec Bernardus inter Sacramenta recenſent lotionem Pedum. I ibid.

M

MArtyrium ſupplet vicem Baptiſmi. I 82
Sed ita ut Martyr neceſſe ſit habere votum Baptiſmi. I 83
Martyrium agit ex opere operato. I ibid.
Materiæ Sacramentorum fuere a Chriſto Domino immediate determinatæ in ſpecie. I (Vide Sacramentum.) 18
Matrimonii impedimenta alia dirimentia, alia prohibentia. II 271
Quot, & quænam impedimenta dirimentia. II ibid.
Quot, & quænam prohibentia. II ibid.
Quatuordecim ſunt dirimentia, & ſingula recenſentur, & explicantur. II 272
Eccleſia poteſt legittime ſtatuere impedimenta Matrimonii. II 292
Contrarium ſenſit Launojus. II ibid.
Ineſt Principibus ſæcularibus poteſtas ſtatuendi impedimenta. II 295
Quomodo conciliari debeat Decretum Tridentini declarans valida Matrimonia filiorum familias contracta ſine conſenſu parentum cum decretis Regis Galliæ ea declarantis invalida. II 296
An in Summis Pontificibus ſit poteſtas dirimentia impedimenta ſtatuendi. II 295
Cujus ſit diſpenſationes concedere ab impedimentis. II 299
Matrimonium tripliciter ſumitur a Theologis. II 242
Quænam concurrant in Matrimonio ut contractus ſit naturalis. II ibid.
Verum & perfectum eſt Matrimonium abſque carnali copula. II 243

Ve-

Verum fuit Matrimonium inter S. Joſephum, & Mariam. II 245
Quomodo definiatur Matrimonium in ſuo fieri. II ibid.
Quomodo in facto eſſe. II ibid.
Quinam hæretici nuptias malas eſſe & illicitas dixerint. II 246
Eſt licitum & de ſe bonum. II ibid.
Eſt verum novæ legis Sacramentum. II 247
Invicte demonſtratur Miniſtrum Sacramenti Matrimonii eſſe Sacerdotem. II 250
Concilium Tridentinum non definivit Matrimonia clandeſtina antea fuiſſe valida Sacramenta. II 252
Noluit Concilium definire Quæſtionem de Miniſtro Matrimonii. II 253
An primis Eccleſiæ ſæculis benedicerentur ſecundæ Nuptiæ. II ibid.
Quænam materia, & forma hujus Sacramenti. II ibid.
Confert gratiam ſanctificantem, & præbet jus accipiendi a Deo auxilia actualia. II 254
Matrimonium in prima ſui inſtitutione fuit indiſſolubile. II ibid.
In lege Moſayca per libellum repudii vere ſolutum fuit. II 255
In lege Evangelii non diſſolvitur quoad vinculum etiam in cauſa adulterii. II 256
Eſt contra Calvinum & Græcos. II ibid.
Explicatur locus Matthæi. II 257
Patres illum locum explicant de ſolo divortio. II 259
Non eſt certum, & indubitatum aſſertionem noſtram de Matrimoniis Chriſtianorum, quod ſola morte conjugum diſſolvi poſſint pertinere ad fidem. II 260
Matrimonia ab infidelibus in infidelitate contracta ſunt legittime vera etiam poſtquam fidem per Baptiſma ſuſceperunt. II ibid.
Ex duobus infidelibus, qui Matrimonium contraxerunt uno ad Religionem Chriſtianam veniente, altero in infidelitate permanente utrum liceat Conjugem dimittere. II 261
Quid ſi velit unus habitare cum alio. II ibid.
Tunc ſolvitur Matrimonium, cum fidelis aliud Matrimonium contrahit. II ibid.
Matrimonium ratum non conſummatum diſſolvitur per Monaſticam profeſſionem unius, & alias inire poteſt nuptias alter. II 262
Minus proprie dicitur jure naturæ indiſſolubile. II 263
Sed eſt tale ex Chriſti inſtitutione, & Eccleſiæ decretis. II 264
Loca novi Teſtamenti de indiſſolubilitate explicantur de Matrimonio conſummato. II 262
Hinc Matrimonium conſummatum non ſolvitur per ſolemnem vitæ Religioſæ profeſſionem. II 264
De divortio (Vide divortium.)
(Vide Nuptiæ.)
Meritum: merita per peccatum lethale mortificata per pœnitentiam reviviſcunt. I 243
An reviviſcant in eodem perfectionis gradu, ut erant ante lapſum. I ibid.
Theſaurus Indulgentiarum conflatur potiſſimum ex meritis Chriſti. II 326
Et ex meritis etiam Sanctorum. II 327
Miſſa: Quid hodie ſignificet hoc nomen. II 97
Novatores negant Miſſam eſſe Sacrificium. II ibid.
Miſſa eſt verum ac proprie dictum Sacrificium. II 98
Sed incruentum. II ibid.
Eſſentia Sacrificii Miſſæ conſiſtit
Yy 2 in

in conſecratione. II 101
Non autem in aliis actionibus Sacerdotis. II 104
Eſt Sacrificium propitiatorium. II 103
Pro fidelibus tam vivis, quam defunctis. II 104
Offerri tamen non poteſt pro defunctis, qui certo cognoſcuntur reprobi. II 106
Soli Deo, non Sanctis offertur. II 107
Non repugnat quod offeratur Deo in honorem Sanctorum. II ibid.
Eſt Sacrificium etiam impetratorium. II 108
Satisfactorium, & meritorium. II ibid.
Quamdam habet efficaciam ex opere operato. II ibid.
Quot ex cauſis Miſſa dici poſſit privata. II 109
Licitæ ſunt Miſſæ privatæ, in quibus ſolus Sacerdos communicat. II 109
Miſſæ cæremoniæ: nonnullas Lutherus, ſed Calvinus omnes reſpuit. II 116
Non eſt illicitum varias adoptare cæremonias in celebratione Miſſæ. II ibid.
Laudabilis & ſequenda conſuetudo Eccleſiæ, quædam pronuntiandi in celebratione Miſſæ ſubmiſſa voce. II 118
Recte quoque factum, ut Miſſa non celebretur vulgari lingua. II 119
Miſſæ Miniſter principalis eſt Chriſtus Dominus. II 111
Fideles etiam ſuo modo offerunt Sacrificium. II ibid.
Sacerdos eſt Miniſter proprie dictus Sacrificii Miſſæ. II ibid.
Utrum Sacerdotes teneantur celebrare Miſſam, & quando. II 112
Quoties in anno Sacerdotes Miſſam celebrare teneantur. II ibid.
Quo jure pro celebratione Miſſarum ſtipendium percipiant. II ibid.
Quodnam ſtipendium juſte, & legittime poſſint repetere. II ibid.
Propoſitiones damnatæ a Pontificibus circa ſtipendia Miſſarum. II 113
An liceat Sacerdoti Miſſam celebrare in Eccleſia violata. II 114
Miſſam ex præcepto Eccleſiæ tenentur audire fideles. II ibid.
Quid ſit Miſſa Parochialis. II 115
Propoſitiones a Clero Gallicano damnatæ. II ibid.
Monitorium quid ſit, a quo feratur, & in quem finem & ſub qua pœna. II 226
Utrum decerni poſſint monitoria in cauſis criminalibus. II ibid.
Non omnes teneniur revelare cognito, vel audito monitorio. II ibid.
An teneantur Clerici. II ibid.

N

Novatores eamdem vim tribuunt Sacramentis novæ, ac veteris Legis. I 9
Septenarium numerum Sacramentorum rejiciunt, ſed inter ſe circa numerum diſſentiunt. I 13
Verba Sacramentorum eſſe promiſſoria, & concionalia dicunt, non autem conſecratoria. I 21
Negant vim ineſſe Sacramentis novæ Legis producendi gratiam ex opere operato. I 23
Characterem in nonullis Sacramentis, ut ſcholaſticum inventum rejiciunt. I 26
Auſi ſunt affirmare Miniſtros Sacramenta valide miniſtrare, etſi nihil intendant, vel etiam licet jocoſe, & ſcurriliter illa adminiſtrent. I 32
Verba Chriſti, (*niſi quis renatus* fue-

fuerit , ad puram metaphoram retorquent . I 59

Expungunt e numero Sacramentorum Confirmationem . I 107

Tam Presbyteris , quam Epiſcopis ordinariam tribuunt confirmandi poteſtatem . I 135

Errant in Ethymologia nominis Pœnitentiæ . I 148

Denegant Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata . I 149

Negant Pœnitentiam eſſe cauſam remiſſionis peccatorum , quam adſcribunt fidei . I 166

Negant Confeſſionem Sacramentalem eſſe de jure Divino , & a Chriſto præceptum . I 185

Contendunt remiſſa culpa nullum remanere reatum pænæ temporalis expungendum . I 207

Negant per formam abſolutionis vere remitti peccata . I 230

Etiam Laicos faciunt Miniſtros abſolutionis Sacramentalis . I 237

Volunt Euchariſtiam conſiſtere non in re permanenti , ſed in actionibus tranſeuntibus . II 4

Vino ſine aqua utuntur in ſua Cœna . II 46

Contendunt communionem ſub utraque ſpecie etiam Laicis eſſe de neceſſitate Sacramenti . II 69

Effectum Euchariſtiæ dicunt eſſe remiſſionem peccatorum mortalium . II 85

Negant adorationem proprie dictam Euchariſtiæ exhibendam . II 91

Negant Miſſam eſſe Sacrificium . II 98

Et negant extremam unctionem eſſe Sacramentum . II 120

Volunt Laicos adminiſtrare poſſe extremam unctionem . II 126

Poteſtatem ordinandi jure divino non eſſe in ſolis Epiſcopis , ſed & in aliis fidelibus etiam Laicis . II 153

Legem continentiæ perpetuæ ſacris ordinibus annexæ ab Eccleſia reprobant , & cur . II 209

Negant Eccleſiæ poteſtatem ferendi cenſuras . II 215

Negant Matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis . II 247

Inficiantur Purgatorii exiſtentiam . II 304

Nuptiæ ſecundæ cur primis Eccleſiæ ſæculis non benedicerentur . II 253

Licitæ ſunt ſecundæ , tertiæ , & ulteriores Nuptiæ . II 266

Contrarium ſenſerunt Montaniſtæ , & Novatiani . II ibid.

O

Ordinatio eſt verum novæ legis Sacramentum , a Chriſto Domino inſtitutum . II 153

Ordinatio Miniſtrorum non pendet ab electione plebis , & fidelium . II 157

Morinus contendit ordinationes ab Hæreticis & Schiſmaticis factas per 12. priora ſæcula nulla eſſe . II 159

Sed probatur tales ordinationes eſſe validas , adhibitis ſcilicet omnibus eſſentialibus . II 160

Et etiam validæ ſunt factæ a Simoniacis , Intruſis , & degradatis . II 163

Objecta ſolvuntur facta diſtinctione inter poteſtatem alios ordinandi , & uſum talis poteſtatis . II 164

Quid dicendum de decreto Stephani contra ordinationes Formoſi . II 165

An liceat cuilibet Epiſcopo quemlibet promiſcue ordinare . II 166

Ordinatio eſt facienda a proprio Epiſcopo . II 167

Poteſt quis ordinari ab alieno Epiſcopo cum litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi . II 169

Quænam conditiones requirantur

ad

ad validam, & licitam ordinationem. II 170
Ordinatio fieri non debet per ſaltum, & ſervanda interſtitia. II 176
Ordinis ſubjectum. Mulieres nequeunt ſuſcipere Sacramentum Ordinis. II 170
Vir non baptizatus eſt incapax Ordinationis. II ibid.
Etiam Infantes & uſu rationis deſtituti valide ordinantur, ſi facto ipſo contingat ordinari. II 171
Ætas tamen competens, & carentia impedimentorum requiruntur ad licitam ordinationem. II ibid.
Sicuti, & ſcientia, & vitæ probitas. II 172. 174
Nec non titulus Clericalis, & divina vocatio. II 178
Ordinum numerus quiſnam a diverſis aſſignetur. II 184
Septem aſſignantur in Eccleſia Latina. II 183
Epiſcopatus, & Presbyteratus non duos faciunt Ordines. II 184
Quinam dicantur Ordines majores, quinam minores. II ibid.
An prima Tonſura ſit Ordo. II 185
Minores Ordines quinam dicantur. II 184
Non ſunt Sacramenta. II 143
Conferuntur per porrectionem Inſtrumentorum. II 152
Et quidem extraordinarie poſſunt conferri a Presbyteris. II 156
Ordo Subdiaconatus. (Vide Subdiaconatus.)
Ordo Diaconatus. (Vide Diaconatus)
Ordo Presbyteratus. (Vide Presbyteratus.)
Ordo Epiſcopatus. (Vide Epiſcopatus.)
Ordo: quomodo Sacramentum Ordinis definiatur. II 134
Lutherus negat Sacramentum Ordinis eſſe Sacramentum. II 135
Id fecerunt etiam Calviniſtæ. II ibid.
Probatur eſſe verum novæ legis Sacramentum. II ibid.
An quilibet Ordo ſit Sacramentum. II 139
Sola manuum Impoſitio eſt materia eſſentialis Sacramenti Ordinis, & probatur ex traditione perpetua utriuſque Eccleſiæ. II ibid.
Decretum Eugenii pro inſtructione Armenorum ſpectat materiam integrantem, ſeu ritum Latinorum. II 148
Materia tamen eſſentialis Subdiaconatus, & quatuor Ordinum minorum, non alia videtur eſſe, quam porrectio Inſtrumentorum. II 151
Forma Sacramenti Ordinis eſt Oratio, quam fundit Epiſcopus, cum ſuper initiandum manus imponit. II 153
Diſſentiones Theologorum circa materiam, & formam Ordinis quæ. II ibid.
Nihil obſtat dogmati quod ſit Sacramentum a Chriſto inſtitutum. II ibid.
Poteſtatem ordinandi Miniſtros volunt Novatores non eſſe ſolum in Epiſcopis, ſed & in aliis fidelibus etiam Laicis. II ibid.
Soli Epiſcopi jure divino poteſtatem habent ordinandi, ita ut nemo poſſit eſſe Miniſter etiam Extraordinarius. II ibid.
Quod intelligi debet de Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu. II 156
Quid dicendum de Privilegio conceſſo ab Innocentio VIII. Abbatibus Ciſtercienſibus. II 155
Effectus Sacramenti Ordinis ſunt gratia, & character. II 159
Oſtiariatus, quodnam ejus officium, quomodo definiatur & conferatur. II 187
Ori-

Originale peccatum pro eo Deus inſtituit remedium in quolibet Statu. I 4
Ante Baptiſmi inſtitutionem fuit fides in mediatorem venturum. I 5
Sed aliquo ſigno ſenſibili manifeſtata. I 6

P

Panis nec materia, nec forma remanent in Euchariſtia poſt conſecrationem. II 34
Sed ſolæ ſpecies, ſeu accidentia. II 41
Panis eſt Materia idonea & eſſentialis hujus Sacramenti. II 43
Sive ſit Azimus, ſive ſit fermentatus. II 44
Non una, & eadem ſemper fuit panis conſecrandi præparatio. II ibid.
Paſcha: Græci volunt Chriſtum per anticipationem celebraſſe Paſcha die 13, quo panis azimus non erat in uſu. II 57
Bernardus Lamy contendit Chriſtum morte præventum non celebraſſe Paſcha. II 57
Quidam Hiſpanus doctor dicit Chriſtum feciſſe Paſcha Luna XIV. ineunte. II 57
Sed communior & verior ſententia eſt Chriſtum feciſſe cœnam legalem, & celebraſſe Paſcha pridie quam pateretur, & Luna XIV. exeunte. II ibid.
Probabilius videtur Judæos non die ipſa XIV. cum Chriſto manducaſſe Paſcha, ſed poſtridie ad Veſperam translata etiam die Azimorum in Sabatum. II 60
Reſpondetur Argumentis oppoſitis. II 61
Paſchaſius: falſum eſt quod dicunt Calviniſtæ Paſchaſium novæ doctrinæ circa præſentiam realem Corporis Chriſti fuiſſe Parentem. II 17
Pugna Rabani cum Paſchaſio non fuit circa Dogma præſentiæ realis, ſed circa modum quo Chriſtus eſt in Sacramento. II 19
Patrinus, horum uſus ab initio Eccleſiæ in Baptiſmo. I 102
Quænam horum obligatio. I ibid.
Quinam ab hoc numero excludantur. I. ibid.
Peccatum: eſt poteſtas in Eccleſia remittendi quæcumque peccata. I 150
Adeoque nullum eſt peccatum vere irremiſſibile. I. ibid.
Contrarium ſenſere Montaniſtæ & Novatiani. I. ibid.
Qui Scriptis Patrum, & traditione impugnantur. I 151
Explicatur illud Matth. *non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. I 152
Quo ſenſu Patres dixerint aliquod peccatum irremiſſibile. I 153
Hieronymus Novatianos impugnans iis non adhæſit. I 153
Peccata ſunt Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ. I 156
Ad peccatorum remiſſionem contritio eſt neceſſaria. I 164
Peccatorum Confeſſio facienda neceſſario, & quomodo. I 185
Confeſſionis proprietas, & varia genera. (vide Confeſſio &c.)
Peccata venialia ſunt materia ſufficiens, ſed non neceſſaria confeſſionis. I 205
Dimiſſo peccato quoad reatum pœnæ æternæ remanet pœna temporalis. I 207
Utrum pœnitens poſſit ſatisfacere etſi ſit in ſtatu peccati mortalis. I 214
Tria erant peccata Canonica. I 215
Non omnia peccata mortalia ſubjiciebantur pœnitentiæ publicæ. I 216

Pec-

Peccata mortalia non remittuntur per Euchariſtiam. II 85

Pœnitentia; quid hoc nomen ſignificet. ſecundum Æthymologiam. I 148

Quid ſit Pœnitentia & virtus, & Pœnitentia ut Sacramentum. I ibid.

Montaniſtæ, Novatiani, Waldenſes, & Novatores errarunt circa poteſtatem Eccleſiæ remittendi peccata. I 149

Sed ſcriptis Patrum, & variis Eccleſiæ decretis probatur eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi peccata etiam graviſſima, nec ullum eſſe quod pœnitentia deleri non poſſit. I 150

Explicatur illud Matth. *non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. I 152

Quo ſenſu Patres dixerint aliquod peccatum irremiſſibile. I 153

An revera Hieronymus putaverit aliquod peccatum irremiſſibile. I ibid.

Pœnitentiam eſſe Sacramentum veri nominis negant ſoli Calviniſtæ dicentes eam non eſſe quid diſtinctum a Baptiſmo, ejuſque memoria. I 154

Sed probatur pœnitentiam eſſe verum, ac proprie dictum novæ legis Sacramentum. I 154

Et eſſe Sacramentum a Baptiſmo, ejuſque memoria diſtinctum. I 156

Materia remota hujus Sacramenti ſunt peccata. I 157

Scoti ſententia autumantis totam Pœnitentiæ eſſentiam in ſola Sacerdotis abſolutione poſitam eſſe refellitur. I 158

Rejicitur etiam opinio eorum qui volunt Materiam Pœnitentiæ eſſe manuum impoſitionem reconciliatoriam. I 158

Communior, & verior eſt Sententia tres actus Pœnitentis, Confeſſionem Contritionem, & ſatisfactionem eſſe materiam Pœnitentiæ proximam. I 159

Hæc tamen ſententia non eſt de fide. I 161

Contritio perfecta non requiritur in Sacramento Pœnitentiæ ut diſpoſitio abſolutioni prævia. B 170

Oppoſita tamen Theologorum ſententia etiam nunc defendi poteſt in Eccleſia, abſque ulla hæreſeos aut temeritatis nota. I 171

Ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficit attritio ex ſolo timore pœnæ concepta abſque amore Dei. I 172

Pœnitentia publica: Quandonam in Eccleſia Dei incœperit. I 214

Quatuor pœnitentiæ publicæ ſtationes. I 215

Praxis circa illam non eadem in omnibus Eccleſiis, nec in unaquaque ſemper. I 215

Uſus illius evanuit Sæculo IX. I ibid.

Quænam peccata dicerentur Canonica. I ibid.

Non omnia peccata mortalia ſubjiciebantur pœnitentiæ publicæ. I 216

Sex prioribus Eccleſiæ ſæculis occulta crimina ſi graviora eſſent, & canonica fuerunt ſubjecta pœnitentiæ publicæ. I 219

Circa ſeptimum ſæculum mutata fuit Eccleſiæ diſciplina, ut pro publicis publica, pro occultis occulta imponeretur pœnitentia. I 221

Clerici majores publicæ Pœnitentiæ fuere ſubjecti tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, non item quarto, & ſequentibus. I 221

Minores autem apparet eos fuiſſe addictos publicæ pœnitentiæ circa ſæculum ſeptimum. I 223

Prio-

Digitized by Google

Prioribus Eccleſiæ ſæculis hæretici omnes nulla facta Diſtinctione ad pœnitentiam amandabantur, cum ad Eccleſiam redibant . I 223
Pœnitentia publica non iterabatur. I 224
Etiam his temporibus aliquam publicam pœnitentiam imponere licet ſaltem pro publicis peccatis. I 225
Ex Tridentina & ex aliis Conciliis nationalibus id probatur . I ibid.
Pœnitentiæ Sacramenti Forma, in quonam poſita ſit. I 227
Duplex forma Sacramentorum . I ibid.
Sacramentalis abſolutionis forma in utraque Eccleſia ſaltem uſque ad XII. Sæculum fuit deprecatoria. I ibid.
Forma indicativa abſolutionis tempore D. Thomæ judicabatur ſola legitima. I. 228
Quæ mutatio formæ eſt mere accidentalis. I. 228
Vera abſolutionis forma conſiſtit in his verbis *Ego te abſolvo* &c. eaque retinenda eſt . I ibid.
Licite omitti non poſſunt illa verba: *a peccatis tuis*, ſed tamen non videntur de neceſſitate Sacramenti addenda. I ibid.
Non eſt neceſſe, de neceſſitate Sacramenti addere invocationem Trinitatis, ut in Baptiſmo . I 229
Irrita tamen non eſſet abſolutio, quæ daretur apud nos in forma deprecatoria. I ibid.
Valet apud Græcos Catholicos abſolutio Sacramentalis, quæ datur ſub forma deprecatoria . I ibid.
Forma pœnitentiæ eſt actus vere judicialis, quo non modo peccata declarantur remiſſa, ſed & vere remittuntur. I 230
Pœnitentiæ Sacramenti Miniſter: Error VValdenſium & Proteſtantium . I 237
Omnes & ſoli Epiſcopi, & Sacerdotes ſunt Miniſtri legitimi abſolutionis Sacramentalis, non Laici, nec diaconi . I 237
De qua manus impoſitione data a Diaconis agat Cyprianus . I 238
Duplex tamen in Miniſtro poteſtas requiritur, ordinaria, & juriſdictionis. I 240
A quo Epiſcopo obtineri debeat approbatio ad abſolvendum a peccatis (vide Regulares). I 240
Eſt in Prælatis poteſtas reſervandi quoſdam caſus, in quibus Presbyteri, ſine eorum Licentia, abſolvere non poſſint. I 242
Utrum Confeſſarius non habens facultatem debeat remittere Pœnitentem ad Superiorem a quo abſolvatur a reſervatis. I 242
Pœnitentiæ effectus: bona opera per peccatum lethale mortificatas reviviſcunt per Pœnitentiam. I 243
Utrum reviviſcant in eodem perfectionis gradu, ut erant ante lapſum. I. (vide Merita) 244
Pœnitentiarius abrogatus a Nectario quiſnam fuerit. I 190
Quale munus habuerit ob hæreſim Novatianam. I ibid.
Polygamia, non fuit initio Generis humani licita, ſed videtur jure divino prohibita. II 268
Poſt diluvium fuit licita. II ibid.
Et quidem omnibus Judæis . II 269
Illicita autem eſt in hoc legis Evangelicæ ſtatu. II 270
Utrum Polygamia ſit juri naturali contraria. II ibid.
Presbyter & Presbyteratus: Presbyteratus eſt Sacramentum proprie dictum. II 139
Ejus materia eſſentialis eſt ſola Ma-

Manuum impoſitio. II 147
A Græcis ſemper collatus ſola manuum impoſitione. II 148. 192
Ita etiam a Latinis uſque ad Sæculum XIV. II 148
De traditione Inſtrumentorum in ritualibus antiquis nulla fit mentio. II 148
Forma eſt oratio quam fundit Epiſcopus, cum ſuper initiandum manus imponit. II 153
Solus Epiſcopus poteſt Presbyteratum conferre, ut nullus alius ejuſdem poſſit eſſe miniſter vel ordinarius, vel extraordinarius. II 156
Quid ſignificet Presbyteri nomen. II 192
Quomodo definiatur Presbyteratus. II 193
Cur in Novi Teſtamenti Libris Presbyteri nunquam vocentur Sacerdotes. II 192
Sunt jure divino Epiſcopis inferiores. II 193
Quænam conditiones requirantur ad ſuſcipiendum Presbyteratus ordinem. II (vide Ordinis ſubjectum, Sacerdos.) 170
Probitas morum non requiritur in Miniſtro ad validam Sacramentorum adminiſtrationem. I 47
Bene vero ad licitam. I 48
Sicuti nec eadem probitas eſt neceſſaria in recipiente ad validam ſuſceptionem. I 53
Bene vero ad licitam: (vide ſubjectum Sacramentorum). ibid.
Profeſſio Religioſa ſolemnis ſolvit Matrimonium ratum, ſed non conſummatum. II (vide Matrimonium) 262
Purgatorium quinam hæretici illius exiſtentiam negaverint. II 304
Admitti debet Purgatorium. II 305
Probatur validiſſime ex libro Machabæorum. II ibid.
Et ex loco D. Pauli. II 306
Aſſeritur Purgatorium ex Traditione. II 308
Solvuntur objectiones. II 310
Quid ſentiendum de gravitate pœnarum Purgatorii. II 313
Quanto tempore durare debeant pœnæ in Purgatorio luendæ. II 313
Utrum pœna ignis ibi ſit. II 314
Communis Theologorum opinio Purgatorium eſſe in viſceribus Terræ. II 314
Conſtans & Catholica eſt doctrina animas Juſtorum in Purgatorio ſecuras eſſe de ſua ſalute. II 315

R

Raptus duplex eſt. II 290
Uterque eſt impedimentum dirimens. II 291
Sed ſub certis conditionibus. II ibid.
Regulares: Regularibus interdictum a Concilio Lateranenſi, & conſtitutionibus Pontificiis audire Confeſſiones Fidelium tempore Paſchatis. I 196
Conſtitutiones Pontificiæ id concedentes Regularibus in derogationem Concilii Lateranenſis in Gallia non acceptatæ. I ibid.
Neceſſaria eſt Regularibus approbatio Epiſcopi ad audiendas confeſſiones Fidelium. I 240
Id ſanxerunt Pius IV. Gregorius XIII, & Urbanus VIII. I 240
Nec ſine approbatione Epiſcopi Sacerdotes regulares excipere poſſunt confeſſiones Monialium etiam Regularibus ſubjectarum, ut definivit Gregorius XV. I. 242
Penes Epiſcopum eſt ut Regulares cujuſcumque Ordinis examen ſubire teneantur, antequam facultas eis detur confeſſiones audiendi. I 242
Poſſunt tamen ſine Epiſcopi appro-

probatione excipere confeſſiones Regularium ſui Ordinis, modo ſint a ſuis Superioribus approbati. I. ibid.
Id declaravit Clemens X. anno 1670. I ibid.
Quiſnam ſit proprius Regularium Epiſcopus relate ad Ordinationem. II 168
Utrum Abbas Regularis debeat eſſe ab Epiſcopo approbatus, ut ſuorum Religioſorum confeſſiones excipiat. II 336
Reſervatio Caſuum poteſt fieri. I. 242
In his ſine ſpeciali licentia abſolutio invalida. I ibid.
Etiam a quolibet Regulari. I ib.
Excipiantur tamen caſus extremæ neceſſitatis. I ibid.
Qui habet poteſtatem abſolvendi ab omnibus caſibus reſervatis Papæ non ideo poteſt abſolvere a reſervatis Epiſcopo. I 242
Confeſſarius non habens poteſtatem abſolvendi a reſervatis debet remittere pœnitentem ad Superiorem a quo abſolvatur a reſervatis, & non reſervatis. I 243

S

SAcramentum quot habeat definitiones hoc nomen. I I
Ejus vera definitio traditur. I I
Quæ univoce convenit Sacramentis antiquæ & novæ Legis. I 2
Quale ſignum ſit Sacramentum. I 2
Nullum fuit Sacramentum in ſtatu innocentiæ. I 3
Veriſimile tamen eſt quædam fuiſſe in ſtatu legis naturæ. I 4
Quænam tamen fuerint definiri nequit. I 5
Remedium peccati Originalis fuit fides in mediatorem venturum aliqua ſigno ſenſibili manifeſtata. I 5
In lege ſcripta exiſtebant Sacramenta a Deo inſtituta, qualia erant Sacrificia, circumciſio &c. I (vide Circumciſio). 9
Hæc tamen Sacramenta non producebant gratiam ex opere operato. I 10
Bene vero ex opere operantis. I 12
Novatores ſeptenarium numerum Sacramentorum reijciunt, ſed inter ſe plane diſſentiunt. I 7
Septem ſunt Eccleſiæ Sacramenta nec plura, nec pauciora. I 13
Quænam, & quot partes eſſentiales Sacramentorum. I 17
Quid ſit & forma Sacramentorum. I 17
Chriſtus Dominus determinavit in ſpecie materiam cujuslibet Sacramenti. I 18
Id ſaltem eſt probabilius ſententia quorumdam id negantium. I 19
Si mutatio materiæ fiat redditur nullum Sacramentum. I 19
Formæ etiam Sacramentorum fuere a Chriſto immediate determinatæ. I 19
Quid intelligitur de verbis quoad ſignificationem eſſentialem eorum. I 20
Omnis mutatio etiam accidentalis formæ Sacramentorum eſt illicita, & graviter peccat Miniſter, qui formam alicujus Sacramenti mutat. I 20
At ex ea mutatione accidentali non redditur Sacramentum nullum. I 20
Quid ſit forma abſoluta, quid conditionalis. I ibid.
Poſterior ſolum ſæculo XII. invaluit. I 20
Legitimus tamen eſt ejus uſus in quibuſdam Sacramentis. I 21
Solummodo in dubio legittimo, & præhabito diligenti examine de validitate Sacramenti prius collati. I 21
Quo caſu liceat uti materia & for-

forma dubia . 1. ibid.
Verba Sacramentorum vere ſunt conſecratoria, non promiſſoria, neque concionatoria. 1 22
Conferunt gratiam ex opere operato quod eſt de fide. 1. 24
Producunt autem gratiam non Phyſice, ſed moraliter contra Thomiſtas. 1 26
Quænam dicantur Sacramenta Mortuorum, quænam vivorum. 1 27
Quinam effectus Sacramentorum. 1 ibid.
Quid Sacramentalis. 1 28
Admitti debet caracter impreſſus per Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem, hoc enim eſt de fide. 1 29
Eſt aliquid reale in anima intrinſecus poſitum, & ab ipſo Sacramento diſtinctum. 1 31
Non vero determinatio quædam extrinſeca, aut relatio quædam realis. 1 ibid.

De Ministro et Subjecto Sacramentorum.

Soli homines ſed non omnes indiſcriminatim ſunt Miniſtri Sacramentorum. 1 32
Intentio requiritur in Miniſtro Sacramentorum, ita ut nullum plane ſit Sacramentum, niſi Miniſter ſerio illud peragat, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. 1 33
Quid ſit intentio interior, & quid exterior. 1 35
Sufficit in Miniſtro ad validitatem Sacramenti intentio exterior. 1 36
Neque hæc opinio eſt recens in Scholis introducta. 1 37
Aut contraria definitionibus Tridentini. 1 38
In Sacramentorum adminiſtratione habitualis intentio non ſufficit, actualis abſolute non requiritur, ſufficit autem virtualis. 1 41
Fides non requiritur in Miniſtro Sacramentorum. 1 44
Donatiſtæ, VValdenſes, & Anabaptiſtæ & alii ſentiunt a peccatoribus publicis valide non conferri Sacramenta. 1 46
Sed probatur in Miniſtris non requiri probitatem, ut valide Sacramenta adminiſtrent. 1 47
Peccant mortaliter illi Miniſtri, qui in Statu peccati mortalis Sacramenta adminiſtrant ex officio. 1 48
Sicuti & hi Sacerdotes, qui in peccato mortali concionantur. 1 49
Licitum eſt a malis Miniſtris recipere Sacramenta, quamdiu ab Eccleſia tolerantur. 1 49
Licitum tamen non eſt Sacramenta petere a malis Miniſtris, niſi gravis vigeat neceſſitas tale Sacramentum recipiendi, vel aliunde jus non habeat quis ea petendi ut Parochianus a ſuo Parocho. 1 50
Solus homo, & quidem viator eſt Sacramentorum ſubjectum. 1 50
In adultis ut valide recipiant Sacramenta requiritur intentio, ſeu conſenſus. 1 51
Sufficit intentio exterior. 1 52
Et quidem non eſt neceſſaria ad validam receptionem actualis, aut virtualis, ſed ſatis eſt interpretativa. 1 ibid.
Neceſſaria non eſt fides, uti nec morum probitas ad valide ſuſcipienda Sacramenta. 1 53
Bene vero ad ea, debite & licite recipienda. 1 ibid.
Calviniſtæ cæremonias Eccleſiæ in Sacramentorum adminiſtratione irrident, & multa falſo, & malitioſe tribuunt eidem Eccleſiæ. 1 54

Pro-

Probatur tamen non eſſe vertendum vitio Eccleſiæ Catholicæ quod multas uſurpet cæremonias tum in officio divino tum in adminiſtratione Sacramentorum. I 55
Poteſt Eccleſia prudenter novas inſtituere cæremonias. I 57
Quarum nonnullæ producunt gratiam ex opere operantis. I ibid.
Satisfactio prout materia Pœnitentiæ quid ſit. I 207
Dimiſſo peccato quoad reatum pœnæ æternæ, remanet pœna temporalis luenda. I ibid.
Pœnæ ſatisfactoriæ merito injunguntur a Sacerdotibus ut earum beneficio ira Dei placari poſſit, & pœna temporalis debita peccatis relaxetur. I 209
Eſt in Sacerdotibus legittima poteſtas injungendi pœnas ſatisfactorias pœnitentibus. I 210
Satisfactio imponenda reliquitur arbitrio Sacerdotum. I 211
Laudabilis & ſervanda conſuetudo imponendi ſatisfactionem ante abſolutionem. I 212
Res meræ diſciplinæ eſt quod ſatisfactio impleatur a Pœnitente, vel ante, vel poſt abſolutionem. I ibid.
Licet Sacerdoti aliquam injungere ſatisfactionem, ſaltem ex parte implendam, prinſquam abſolvat Pœnitentem. I 213
Non debet mutare Pœnitentiam ab alio Sacerdote impoſitam ſine gravi, & laudabili cauſa. I ibid.
Amplectenda eſt ſententia qua aſſeritur teneri Pœnitentem ſatisfactionem injunctam a Confeſſario acceptare. I ibid.
Oppoſita Scoti ſententia in praxi periculoſa. I ibid.
Poteſt quis pro alio ſatisfacere. I ibid.
Poteſt Sacerdos ſatisfactionem Pœnitentis commutare. I ibid.
Non poteſt homo ſatisfacere Deo per pœnitentiam impoſitam in actu peccati mortalis exiſtens, vel in affectu ad peccatum mortale, bene vero, licet in ſtatu peccati mortalis verſetur. I 214
Quid proſint pœnæ ſatisfactoriæ. I ibid.
Species Panis, & Vini: (Vide Accidentia.)
Sponſalia quid ſint. II 301
Quænam perſonæ ſint habiles ad contrahenda, & quæ inhabiles. II ibid.
Quiſnam Sponſalium effectus. I 302
Utrum, & quibus ex cauſis diſſolvantur. I ibid.
Utrum ad Sponſalium diſſolutionem requiratur aliqua ſolemnitas. I 303
Suſpenſio in quos cadat. II 227
Quid ſit ſuſpenſio ab Ordine, & quid ab Officio, & quid a Beneficio. II ibid.
Alia ſuſpenſio a jure, alia ab homine. II 228
Traduntur nonnulla ſpectantia ad praxim circa ſuſpenſionem. II ibid.

T

TErtullianus non negavit præſentiam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia. II 24
Theologi Scholaſtici: horum opiniones peculiares quæ ſint. I 10
Petrus Lombardus docuit Circumciſionem idem valuiſſe contra Originale peccatum, ac nunc Baptiſmus. I ibid.
Non omnia Sacramenta fuiſſe a Criſto immediate inſtituta. I 14
Idem ſenſit S. Bonaventura, & ante illum Hugo Victorinus. I ibid.

Pe-

Petrus Lombardus putavit verum Baptiſma dari poſſe in nomine unius perſonæ, ſi Miniſter fidem habeat Trinitatis. I 66
D. Thomas ſenſit Apoſtolos baptizaſſe ex ſpeciali Chriſti revelatione in ſolius Chriſti nomine. I ibid.
Cajetanus & Maldonatus validum fore Baptiſmum etſi collatum invocatione ſolius Chriſti, vel non appellatis tribus Perſonis. I ibid.
Gabriel Bien & Gerſon dixere Infantes ſine Baptiſmo mortuos ſalvari precibus parentum, aut aliorum Fidelium. I 78
Cajetanus docuit, quod cum Chriſtus voluit Baptiſmum, intellexit, poſito quod applicari poſſit. I ibid.
Alenſis auſus eſt dicere Sacramentum Confirmationis non fuiſſe inſtitutum a Chriſto, neque ab Apoſtolis, ſed a Concilio Meldenſi. I 107
Biel, & Scotus putant hoc Sacramentum probari non poſſe ex ex Scripturis. I ibid.
S. Thomas ait Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum non exhibendo, ſed promittendo. I ibid.
Scotus totam Sacramenti Pœnitentiæ eſſentiam in ſola Sacerdotis abſolutione poſitam contendit. I 158
Quem ſequuntur Okamus, Jo: Major, & alii. I ibid.
Guillielmus Antiſiodorenſis, Bellovacenſis, Alenſis, & alii materiam Pœnitentiæ reponunt in impoſitione manuum reconciliatoria. I ibid.
Nonnulli Theologi docent falſam contritionem ſufficere, dummodo putetur vera. I 163
Eſcobar, & Fillincius ad Sacramentum Pœnitentiæ dicunt ſufficere attritionem naturalem, modo ſit ex motivo honeſto. I ibid.
Melchior Canus, & Henricus Salmaticenſis primi putantur auctores, qui docuerint in Sacramento Pœnitentiæ ſufficere attritionem ex ſolo timore gehennæ conceptum abſque amore Dei. I 175 177
Quidam auſi ſunt dicere confeſſionem ſoli Deo factam ſufficere. I 193
Gratianus problematicam putat quæſtionem de neceſſitate confeſſionis auricularis. I 192
Nonnulli contendunt in quibuſdam caſibus factam fuiſſe confeſſionem abſentibus Sacerdotibus, & ab iis ſcripto abſolutionem etiam datam. I 206
Scotus docet non teneri Pœnitentem ſolvere pœnam inflictam a Sacerdote, quæ excedat totam latitudinem juſtitiæ. I 213
Quidam impugnatus a D. Thoma docuit ita retinendam formam deprecatoriam abſolutionis, ut indicativa foret nulla. I 228
Vaſquez putat abſolutionem, quæ daretur apud nos in forma deprecatoria fore nullam. I 229
Nonnulli veteres *Theologi* cenſuere per formam abſolutionis non declarari peccata remiſſa, ſed diverſo plane animo a Novatoribus. I 230
Durandus dici poteſt conſubſtantiator. II 34
Modus explicandi tranſubſtantiationem adhibitus a Thomiſtis, & Scotiſtis non videtur accuratus. II 37
Catherinus, Durandus, Le Brun docent formam Euchariſtiæ eſſe poſitam in verbis Chriſti ſimul, & in precibus. II 51
Melchior Canus cum aliis ſuſtinet ma-

majorem conferri gratiam per ſumptionem utriuſque ſpeciei, quam per unam. II 73
Quidam putarunt ſimplicem Presbyterum poſſe delegari a Papa ad Presbyteri ordinationem. II 156
Docet Morinus ordinationes ab hæreticis & Schiſmaticis factas per XII ſæcula habitas ut nullas. II 159
Durandus contendit etiam Sacerdotibus puris competere poteſtatem conferendi Indulgentias. II 322
Theodoretus non putavit Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia tantum figurate. II 28
Non negavit tranſubſtantiationem in Euchariſtia. II 36
Timor mundanus quid ſit. I 173
Timor Dei duplex, & quid ſit ſervilis timor, & quid caſtus. I ibid.
Lutherus docuit timorem gehennæ vitioſum eſſe, & hominem reddere magis hypocritam. I ibid.
Hujus error damnatus a Tridentino. I ibid.
Oſtenditur timorem pœnæ de ſe, & ex natura ſua dignum eſſe & utilem fidelibus. I ibid.
Attritio ex ſolo timore pœnæ concepta ſine ullo amore Dei non ſufficit in Sacramento Pœnitentiæ. I 175
Titulus Clericalis quotuplex. II 178
Quænam fuerit in hoc poſitiva Eccleſiæ praxis. II ibid.
Quando mutata Eccleſiæ diſciplina. II. ibid.
Tonſura - Clericalis quid ſit. II 184
Antiquiſſimus ejus uſus, & cæremoniæ. II ibid.
Non eſt Ordo. II 185
Quænam requirantur ad illam recipiendam. II ibid.
Per eam Clerici fiunt. II ibid
Tranſubſtantiatio quid ſignificet. II 33
Demonſtratur Corpus Chriſti eſſe realiter præſens in Euchariſtia per tranſubſtantiationem. II 34
Vox illa Tranſubſtantiatio nova non eſt, etſi nova potuerit merito a Tridentinis Patribus uſurpari. II 35
Nec Thomiſtæ, nec Scotiſtæ ſatis accurate ad mentem Tridentini eam explicant. II 39
Quid ſit & quomodo explicari poſſit tranſubſtantiatio. II ibid.

V

Verba Sacramentorum ſunt conſecratoria, non concionalia, nec promiſſoria. I 191
Unctio (Vide Chriſma) Unctio Infirmorum, (Vide extrema Unctio.) II 120
Vinum: Vino in Calice miſcendam eſſe Aquam neceſſarium eſt neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. II 46
Vocatio divina prærequiritur ad Ordines tamquam conditio. II 180
Id docent Scripturæ, & Patres. II ibid.
Quibuſnam ſignis innoteſcere poſſit vocatio Dei ad Ordines. II 182
Utrum bonum ſit deſiderare ſacros Ordines. II 183
Votum ſolemne ſacris Ordinibus adnexum eſt impedimentum dirimens Matrimonium. II 274
Sed non ſolvit Matrimonium ratum ſine conſenſu alterius. II 275
Et multo minus conſummatum. II ibid.
Votum ſolemne Religionis approbatæ eſt pariter dirimens impedimentum. II ibid.
Votum ſimplex non eſt impedimentum prohibens. II 274

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google